






Best wishes for a
happy and fruitful
Priesthood

Mark C. Driscoll

SCHNEIDER-LEHMKUHL,

MANUALE SACERDOTUM

DUAS PARTES COMPLECTENS.

EDITIO SEXTA DECIMA.



COLONIAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS JOANNIS PETRI BACHEMII.

Prostat apud

BARCINONE: Subirana Hermanos.
BOMBAY: B. X. Furtado & Brother.
BUSCODUCI: G. Mosmans Zoon.
BRUXELLIS: Spineux & Co. (Armes Succ.); Société Belge de Librairie.
CINCINNATI: Benziger Brothers; Fr. Pustet & Co.
CHICAGINE: Benziger Brothers.
DUBLINII: M. H. Gill & Son.
LEOPOLI: Gubrynowicz & Schmidt.
LONDINI: Burns & Oates.
LOVANII: Ch. Peeters.
ST. LUDOVICI: B. Herder.
NEO-EBORACI: Benziger Brothers; Fr. Pustet & Co.
PARISIIS: A. Roger & F. Chernoviz; Victoire Lecoffre; P. Lethielleux.
ROMAE: Fr. Pustet; Libraria J. Spithöver.
TORNACI: H. & L. Casterman.
ULTRAJECTI: Wed. J. R. van Rossum.
VARSOVIAE: Gebethner & Wolff.
VIENNAE: B. Herder Verlag; Mayer & Co.



Imprimatur.

Coloniae, 15. Febr. 1862.

Vic. Arch. in Spir. Gen.
Dr. Baudri,
Episc. Arethus. i. p.
Dec. Eccl. Metrop.
Prael. Dom. Pont. Sol. Assist.

Approbatio.

Cum librum, qui inscribitur „Manuale Sacerdotum" a P. Josepho Schneider, nostrae Societatis sacerdote, compositum et a Patre Augustino Lehmkuhl, eiusdem Societatis sacerdote, denuo pervolutum atque emendatum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et reimprimi posse probaverint, facultatem concedimus, ut denuo typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas dedimus.

Valkenberg, 24. Nov. 1904.

Carolus Schaeffers,
Praep. Prov. German.

Imprimi permittitur.

Coloniae, die XXII. Februarii 1904.

Vicarius Capitularis
Dr. Kreutzwald.

MANUALE SACERDOTUM

DIVERSIS EORUM USIBUS

TUM IN PRIVATA DEVOTIONE
TUM IN FUNCTIONIBUS LITURGICIS ET
SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE

ACCOMMODAVIT

P. JOSEPHUS SCHNEIDER, S. J.

SACR. CONGREG. INDULG ET S. RELIQU. CONSULTOR.

EDITIO SEXTA DECIMA

CURA ET STUDIO

AUGUSTINI LEHMKUHL, S. J.

SUPERIORIBUS ECCL. APPROBANTIBUS.



COLONIAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS JOANNIS PETRI BACHEMII.

1905.


1818
J.P.BACHEM
BUCHDRUCKEREI
KÖLN
51154

Reverendissimo et Illustrissimo

Domino

D. THEODORO DALHOFF S.J.

Archiepiscopo Bombayensi

hoc venerationis et obsequii documentum

d. d. d.

editor.

PRAEFATIO
AUCTORIS AD I. EDITIONEM.
L. B. S.

Cum tanta sit munerum sacerdotalium praestantia atque sanctitas, ut nihil augustius, nihil sanctius ac divinius sub sole inveniatur. illud imprimis nobis curandum est, ut spiritu divino animati, tanta illa ministeria ea, qua par est, animi pietate ac reverentia. nec minore gravitate atque decentia externa tractemus. Quodsi desit vel ille pietatis sensus, vel exterior haec decentia actionisque gravitas, nec Deo debitus honor praestatur, nec fidelium aedificationi consulitur. Spiritum autem illum devotionis, quo ad sancta sancte religioseque tractanda animamur, continuo foveri et augeri necesse est, ne paulatim ac fere sensim sine sensu intepescat, vel omnino intereat, neve nos, omnino circumdati infirmitate, ab excelsis cogitationibus sacerdotum Altissimi prorsus degeneremus, laboresque nostri in Ipsius vinea collocati benedictione coelesti destituantur.

Qua in re ut externis etiam subsidiis nos adiuvaret Ecclesia, Spiritu sancto in omnibus ducta, minima maxima ad regulam exaequavit, iis conditis legibus, quas negligere non minus coelesti ipsius sapientiae, quam maternae auctoritati iniuriosum foret. Ministri enim ab Ecclesia constituti sumus; ideoque muneris nostri officia non ad arbitrium nostrum, verum ad normam legum ab ipsa conditarum peragere debemus; praesertim quum actionum nostrarum valor saepe ab illarum observantia dependeat.

Librorum, unde sacerdotes, quae tum ad pietatem spiritumque orationis fovendum et augendum

conferant, tum in plerisque officii muneribus obeundis adiumento et directioni sint, abunde haurire possint, infinitus quidem fere est numerus; sed alii multis constant voluminibus, quae non facile ubique, nec ab omnibus comparari possunt, alii vero, qui vulgo Manualia dicuntur, quamvis praeclara multa contineant, tamen non omni ex parte RR. confratrum optatis respondent. Aut enim ea tantum continent, quae ad devotionem spectant privatam, nihilque, aut paene nihil ex iis, quae fere quotidie in praxi occurrunt, aut contra, ea solummodo, quae ipsum rerum usum spectant, omissis iis, quae devotioni domesticae sunt propria. Plures etiam pios novi sacerdotes diversarum dioecesium, qui librum desiderant, in quo omnia ad manus habeant, quae tum in privatis pietatis exercitiis, tum in Missae celebratione, SS. Sacramentorum administratione et ceterorum muneris officiorum executione usu venire solent.

Quare hunc in finem ex optimis scriptoribus ecclesiasticis optima quaeque colligere et in commodum usum digerere conatus sum.

Quo vero maior libello fides tribuatur, nonnullorum operum, quorum potissimum usus sum verbis et sententiis, in sequentibus paginis adiiciendos duxi titulos et auctores.

RR. DD. sacerdotibus demum omni, qua par est, reverentia ac veneratione opusculum meum offerens, per B. M. V., piissimam matrem ac peculiarem sacerdotum patronam, hanc spero gratiam, ut conatus meus cedat

Ad maiorem Dei gloriam.

Coloniae Cal. Aug. MDCCCLXI.

P. Jos. Schneider, S. J.

PRAEFATIO

NOVI EDITORIS AD EDITIONEM X.

Post primam suam editionem liber hic adeo divulgatus est, ut cum nunc decimo debeat praelo committi, iam 40 000 fere eius exemplarium in quam plurimis et diversis regionibus sint divendita. Neque auctor labori pepercit, quo semper magis confratrum suorum sacerdotum votis responderet librumque semper magis perficeret.

Interea vero auctor ipse, inopinato morbo confectus, e vivis excessit, et ut sperare licet, laborum suorum mercedem coelestem accepit. Qui, integris adhuc viribus, mortem praesagire videbatur, atque cum hanc ipsam Manualis editionem cogitaret, cum novo editore ut cum amico consilia sua communicavit, quae in illa adornanda cepisset. Quare defuncti mentem ante omnia exsequi, neque novum librum componere, sed veterem, diuturno usu comprobatum, quantum inter alias occupationes licebat, expolire studui.

Neque tamen pauca sunt vel parvi momenti, quae in secunda saltem Parte nonnihil immutavi. Imprimis ad *nova decreta SS. Congregationum vel SS. Pontificum* attendendum erat in variis quaestionibus; et quoniam non omnia decreta eandem vim vel eandem formam habent: quando formaliter sunt universalia, id non raro expresse notavi, non quod quibusvis aliis universalem obligandi vim denegem, sed quod ista saltem omnes ubique ligare, imprimis S. Congregatio et SS. Pontifices voluere. Et haec quidem in rebus liturgicis.

In aliis vero partibus, quae sacramentorum administrationem et pastoralem curam spectant, etiam maius studium adhibui, quo omnia ad doctrinam probatissimorum scriptorum collimarem. Quo enim periculosior res est, in animarum salutis cura errare, eo cautius omnia evitanda esse putavi, quae minus accurata essent, quae minus rectae interpretationis possibilitatem relinquerent.

Tandem moneo lectorem, me id exsecutum esse, quod et defunctus auctor, et multi lectores desideraverant, ut duobus voluminibus, quorum utrumque suas paginas numeraret, totum opus distingueretur, quo lectori liberum esset, vel uno vel duobus voluminibus Manuale compactum habere.

Conatus igitur meos et studia exposui. Quibus si res ipsa parum responderit, lector habet, quo non voluntatem quidem, sed vires meas incuset.

Augustinus Lehmkuhl, S. J.

PRAEFATIO

AD EDITIONES XV ET XVI.

Quum in dies nova soleant prodire SS. Congregationum decreta, quaelibet huius libri editio nova de novo in aliis atque aliis rebus est reformanda. Quod etiam nunc tum in rebus liturgicis tum in rebus curam animarum spectantibus factum est. Quod res liturgicas attinet, et rubricas reformatas consului et novam S. R. C. *Decr. authent.* collectionem, ad quam nunc, laudatis eius numeris, lectorem semper remitto, nisi aliud quid expresse notetur. In indulgentiis indicandis usus sum editione collectionis, quae Raccolta inscribitur, ultima anno 1898 auctoritate Leonis XIII. facta.

Librum igitur istum toties iam recusum et tam diu probatum in hac nova editione de novo confratribus sacerdotibus offero, Dei bonitatem rogans, ut per gratiam suam eum utilem reddat ad colendam pietatem et religionem rite exercendam.

Scribebam Valkenberg Hollandiae, in collegio Si Ignatii, die 25. Nov. 1904.

Editor.

R[DI] P. JOS. SCHNEIDER, S. J.

MANUALE SACERDOTUM

CURA

P. AUG. LEHMKUHL

eiusd. S. J.

PARS I.

ASCETICA.

Index capitum I. Partis.



Preces matutinae.

Dum evigilas vel excitaris: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen. Gloria Patri, qui creavit me; gloria Filio, qui redemit me; gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit me.

Dum surgis, forma signum crucis, et dic: In nomine Domini nostri Jesu Christi surgo; ipse mihi benedicat, regat et custodiat me et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Dum vestes induis: Redde mihi, Pater aeterne, et conserva in me vestem innocentiae, quam in Baptismate recepi, ne paradiso coelesti excludar. Amen.

Indue me, Jesu Christe, rex gloriae, fragrantibus virtutum tuarum vestimentis, humilitatis scilicet, patientiae, caritatis et castitatis, ut Patris coelestis obtineam benedictionem. Amen.

Orna me, Spiritus sancte, toga polymita donorum tuorum, ut in oculis tuis gratiam inveniam. Amen.

Actus fidei. Firmiter credo et profiteor te unum Deum in Trinitate, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, remuneratorem bonorum et vindicem malorum; Unigenitum Dei Filium hominem factum atque in cruce mortuum, ut nos a peccatis redimeret et sempiternam vitam in beata Dei visione gratiasque necessarias conciliaret; credo, quidquid Christus docuit, Apostoli praedicarunt, et sancta Romana Ecclesia credendum proponit; quia tu,

Domine, revelasti, veritas aeterna et infall[illegible] atque in hac fide et pro hac fide vivere et [illegible] volo et statuo.

Actus spei. Spero in te et a te, mi Deus, gr[illegible]tiam, gloriam et omnia salutis media; potes enim dare, quia omnipotens es; vis etiam, quia infinite misericors es; dabis autem, quia sicut de promissis tuis ita etiam de fidelitate tua aeterna persuasum mihi est.

Actus caritatis. O mi Deus! amo te, quia amasti me; sed vel ideo potissimum super omnia amo te, et proximum quemvis propter te, quia tu, summum, unicum et infinitum bonum, omni amore es dignissimus.

Actus contritionis. Amantissime Pater! de omnibus peccatis meis doleo ex toto corde meo, quia te, Deum meum, summum infinitum bonum, iis tam turpiter offendi. „Ingemisco tanquam reus, culpa rubet vultus meus, supplicanti parce Deus."

Indutus aspergas te aqua lustrali, et omni, qua potes, devotione, genuflexus has vel similes recites preces:

1. O mi Deus, spes, desiderium, amor! ameris, glorificeris ab omnibus, in omnibus, super omnia, in aeternum. Adoro et veneror te, o sanctíssima Trinitas! te glorifico, laudo, benedico, ac me ante thronum maiestatis tuae humillime prosterno. Quam bonus hucusque ergà me fuisti! Tibi gratias ago pro universis beneficiis tuis, ac praesertim quod me hac nocte custodieris et conservaveris. Quot eheu! hac nocte e cubili suo ad tuum tribunal indeque ad inferos rapti sunt!

2. Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua Ipse in terris per sacratissimum Cor tuum laudes Deo persolvisti, et nunc continenter in Eucharistiae Sacramento ubique terrarum persolvis usque ad consummationem saeculi, ego per hanc diem integram, nulla, nec minima

te excepta, ad imitationem sacratissimi Cordis Mariae semper Virginis Immaculatae Tibi libentissime offero omnes meas intentiones et cogitationes, omnes meos affectus et desideria, omnia mea opera et verba.

(Indulg. 100 dier. semel in die Leo XIII. 19. Dec. 1885 *Raccolta* p. 200.)

3. Ecce, mi amantissime Jesu, te aspirante firmiter statuo, ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, probi sacerdotis partes explere, consueta pietatis officia devote obire, virtutem et praesertim puritatem sectari, universa denique et singula in nomine tuo facere et pati. „Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas!“ (Ps. 118, 5.)

4. O mi Deus, quem amo super omnia, da mihi, servo tuo, cor docile, ut tuam voluntatem hodie in omnibus fideliter impleam; protege me, amantissime Pater, et custodi me ab omni peccato. Malo mori, quam peccatum, maxime illud . . . iterum committere. Tu, precor, in tot periculis vacillantem praesens robora, qui spopondisti: „Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.“ (Ps. 90, 13.)

5. Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo. Omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per merita tua omnia mea

dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

(Indulg. 200 dier. semel in die: Racc. p. 306.)

Angeli Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege et guberna. Amen. (Indulg. 100 dier. toties quoties. Racc. p. 386.)

Adeste mihi, o beatorum spirituum agmina; praesertim vos, patroni mei N. N., piis precibus vestris ac meritis servate me a malis et adiuvate in omnibus bonis. Amen.

In nomine Patris † et Filii et Spiritus Si. Amen.

His precibus absolutis, antequam animus in alia negotia distrahatur, sacerdos virtutis et perfectionis studiosus continuo ad meditationem se accingit. Teste enim Climaco, meditatio mater est et regina, cibus et fons virtutis, ministra gratiae et profectus omnis auctrix. ,,Cum videro, inquit S. Chrysostomus (in homil. I. de precatione), quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregiae dotis possidere . . . Et quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est et vita carens expersque sanae mentis; nam hoc ipsum est evidentissimum argumentum amentiae, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium.'' Illius rei rationem subiicit S. Augustinus, dicens: „recte novit vivere, qui recte novit orare“ (hom. 4 ex 50). Nec adeo mirum, esse tantum in meditatione momentum: hac enim destitutus, religiosus *(idem dicendum de sacerdote),* teste S. Thoma, est veluti miles sine armis; cum et lumina ei desint et pii motus ad conservandum spiritum maxime necessarii. Quare ut meditationem uberrimo cum fructu instituas, et facilis meditandi methodus, et nonnullae meditationum materiae subiicienda visa sunt.

Meditandi methodus.

Quum ars meditandi pertineat ad scientiam Sanctorum, quae non tam praeceptis ac doctrinis

hominum, quam unctione Spiritus sancti ac bonae voluntatis desiderio constat, quicumque vere cupit magno cum fructu meditari, hanc gratiam ardenter et assidue petat dicendo: „Domine, doce me orare, doce meditari." Ex nostra parte ad hanc gratiam accedat oportet conatus serius, quo ea omnia praestamus et observamus, quae ante meditationem, in ipsa meditatione et post ipsam sunt praestanda. Quae ante meditationem servanda sunt, continentur sub nomine praeparationis.

Praeparatio duplex est, remota et proxima.

Remota praeparatio consistit in vero et sincero desiderio proficiendi in vita spirituali; nihilque aliud est, quam animi talis comparatio, quae ad recte meditandum disponat, removendo scilicet obstacula et adhibendo adiumenta.

Proxima praeparatio ex doctrina S. Ignatii haec fere complectitur: 1° ut pridie materiam meditationis matutinae attente legamus vel audiamus, observando, quinam fructus pro praesenti animae nostrae statu ex ista meditatione sit decerpendus; 2° ut iam in lecto decumbentes ante somnum breviter eandem materiam recolamus; 3° ut mane expergefacti statim, exclusis omnibus aliis cogitationibus, [1]) primam cogitationem de futura meditatione suscipiamus [2]); 4° ut inter induendum,

[1]) Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est, ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat; quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus praeparare debemus (*Cassianus collat. 9, 3*).

[2]) Qui meditationem non summo mane, sed alio diei tempore instituit, observet hoc S. Ignatii monitum: „Statim ut recordabor, adesse horam exercitii (meditationis), antequam vadam, ob oculos mihi ponam, quo vadam et coram quo, et resumens paululum exercitium, quod facturus sum, illud auspicabor;" et illud Directorii III, 6:

lavandum et eundum ad locum meditationis de eadem cogitemus et sensa futurae meditationi conformia foveamus; 5⁰ ut in visitatione SS. Sacramenti, si haec commode potest institui, ipsam meditationem Domino praesenti commendemus, et B. M. Virginis aliorumque Sanctorum opem imploremus; 6⁰ ut ad ipsam meditationem quieto ac sedato animo accedamus, et immediate antequam eandem incipiamus, per tantillum tempus, quo percurri Oratio Dominica possit, animo sursum elevato, consideremus Deum et Dominum nostrum ut praesentem et, quidnam acturi simus, intime perspicientem, eique humili cum gestu reverentiam exhibeamus.

Ingressus. Deinde viva fide, ac si apertum supra nos videremus coelum, in eoque Deum, qui oculos in nos habeat defixos, ut videat, quomodo simus oraturi, intimo cordis affectu, provoluti in genua, nisi aliqua corporis infirmitas impediat, quanta possumus maxima devotione, recitemus consuetam Orationem praeparatoriam, quae praeter actum adorationis etiam dolorem ac deprecationem de peccatis, oblationem nostri nostraeque actionis et petitionem divini auxilii ad bene meditandum continet.

Oratio praeparatoria: Immensa maiestas, mi Deus et Domine! ecce ante oculos tuos me indignum peccatorem constituo, teque hic praesentem omni, qua possum, reverentia adoro et supplex oro, ne me despicias ob multitudinem iniquitatum mearum, sed ut inveniam gratiam ac misericordiam in oculis tuis, ut veritates divinas et leges ac virtutes tuas digne meditari valeam, et audiam, quid loquaris in me, Deus, affectuque ardentissimo omnia,

„Semper aliquanto ante meditationem debet omnia relinquere, et omnino suam cogitationem convertere ad puncta illius exercitii, quod iam instat.“

quae voluntatis ac beneplaciti tui sunt, cognoscam atque complectar, deinceps vero opere ipso compleam, quaecumque ad meam salutem et perfectionem et nominis tui honorem et gloriam spectare cognovero. Deus, in adiutorium meum intende, ut per totum huius meditationis tempus omnes vires et operationes meae sincere ad tuam gloriam tuumque cultum tendant. Amen.

Porro ad imaginationem aliquantulum iuvandam et ad distractiones facilius amovendas fit praeludium primum, i. e. aliqua compositio loci, quae consistit in eo, ut nobis rem ipsam, de qua meditaturi sumus, quasi ob oculos ponamus, non quidem ut depictam in tabula, neque etiam ut iam ante saecula gestam, sed ita, ac si ipsi rem coram nobis agi videremus in praesenti.[1]) Si nihil facile occurrit, non est nimis immorandum, neque ita laborandum, ut caput obtundamus, ideoque ipsam meditationem impediamus, sed tunc hoc primum praeludium consistet in sola recordatione materiae, de qua meditandum est. Ceterum iam in praeparatione punctorum pro hoc primo praeludio imago est quaerenda. Sequitur praeludium secundum, i. e. postulamus gratiam non iam ad bene faciendam meditationem, quia hoc iam factum est in Oratione praeparatoria, sed ad obtinendum illum fructum, quem iam in praeparatione punctorum ex illa meditatione decerpendum nobis pro-

---

1) Tu, si fructum ex his sumere cupis, ita te praesentem exhibeas his, quae per Dominum Jesum Christum dicta et facta narrantur, ac si tuis auribus audires et oculis ea videres, toto mentis affectu diligenter, delectabiliter et morose, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis (*S. Bonaventura in provemio de vita Christi*); et quidem ac si gererentur propter de solum (*Directorium ad libr. Exerc*).

posuimus. Totus hic ingressus non plus temporis occupare debet, quam quatuor, aut ad summum quinque minuta.

Medium seu progressus complectitur ipsum velut corpus meditationis, nempe ipsa puncta, quorum communiter bina vel terna, vel etiam plura parata haberi debent, in quibus perpendendis et ruminandis, ita ut hauriamus ex illis dictum fructum spiritualem, proprie consistit ipsa meditatio. In singulis punctis modo provoluti in genua, modo sedentes, aut stantes, aut eo nos componentes situ, quo speramus, fore, ut facilius id consequamur, quod optamus, oculis vel clausis vel in imaginem Crucifixi, B. M. V. alicuiusve Sancti defixis, neque huc et illuc motis, tres animae facultates, videlicet memoriam, intellectum et voluntatem applicamus; qua in re bene advertendum est 1° quod si flexis genibus vel alio quovis situ voti compotes fiamus, alium situm non debemus tentare; 2° quodsi in puncto aliquo assecuti fuerimus quaesitam devotionem, conquiescere debemus sine transcurrendi anxietate, donec nobis satisfecerimus.

Dictae autem potentiae animae ita exercentur, ut memoria recolat, quidquid in uno puncto (aliis omnibus sepositis) continetur, phantasia eidem subveniente, quo facilius intellectus ad discurrendum sive ratiocinandum, hisque proin discursibus sive ratiocinationibus voluntas ad varios affectus excitari possit. Ita autem memoria applicanda est, ut, si meditationi proposita est sententia, et audiamus eandem nobis dici, et attente nobis proponamus, quisnam ille sit, qui hoc dicat, attenta bene cuiuslibet vocis significatione; si vero materia meditationis sit res gesta, partem eiusdem in uno puncto contentam cum omnibus circumstantiis, quae illi insunt, attente debeamus considerare nobisque proponere, quaestiones faciendo:

quis hoc fecit? quid? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? Ubi fieri commode potest, in hac memoriae applicatione eliciatur actus fidei circa veritatem vel historiam propositam. — Postquam res meditando dicto modo menti proposita est, sequentur actus intellectus, cuius partes sunt, varias reflexiones super veritate vel re gesta, quas memoria proposuit, facere, illas ad nos ipsos nostrasque necessitates applicare, conclusiones practicas inde deducere, earum motiva ponderare, et considerare, quomodo secundum istas veritates hactenus nos gesserimus et in posterum nos gerere debeamus. Commodissimum est, sibi ipsi has vel similes proponere quaestiones: 1° quid de hoc (quod meditandum proponitur, vel quod modo memoria pertractavi) est considerandum? 2° quae conclusio practica inde est deducenda? 3° quae motiva inducunt ad hanc conclusionem practicam servandam? (quam decens? utile? iucundum? necessarium?) 4° quomodo id hactenus observavi? 5° quid in posterum mihi faciendum? 6° quale impedimentum debeo removere? 7° quale medium debeo adhibere? Ad excitandum in frigidiori discursu animum faciet, si expendamus 1° quid aliis in malo pertinacibus aut etiam amico hac in re nos consulenti suasuri, quibusque rationibus ad virtutis studium eum inducturi essemus; 2° quid in morte atque ipso aeternitatis aditu velimus fecisse; 3° quam beati nunc viri sancti sint et in aeternum futuri sint, qui exiguo tempore, difficultatibus strenue superatis, Deo servierunt, quam vero infelices illi, qui voluptatibus brevibus, imo momentaneis postbabuerunt coelestem, aeternam; 4° quid Christus Dominus, huius vitae calamitatibus et miseriis nostri causa ultro subiectus, fecerit ac perpessus sit; 5° quot et qualia beneficia a Deo in nos collata saltem gratitudinis nomine a

nobis fidele servitium exigant; 6° quam gloriosum sit, Deo amicum esse, eaque facere, quae ipsi placent. Ubi de una veritate ex materia meditationis deducta sic ratiocinati sumus, ad alteram transimus, et hac similiter absoluta ad tertiam, et sic deinceps, ubique illas quaestiones vel omnes, vel certe aliquas earum agitando. — Voluntatis in meditatione duplex est officium, affectus scilicet pios excitare et proposita formare, quae duo adeo sunt essentialia, ut sine ipsis meditatio non oratio mentalis, sed merum studium vel speculatio esset dicenda. Ignis gratiae et amoris divini, qui ardere in cordibus nostris vel certe adesse necessario debet, in decursu meditationis per varias considerationes variam veluti materiam nactus in flammas prorumpere pro ratione oblatae materiae solet; unde affectus admirationis, laudis, amoris, gratiarum actionis, timoris, doloris, humiliationis etc. Non est, cur solliciti simus, quibus verbis hos affectus nostros exprimamus, cum etiam solo corde, nullis verbis adhibitis, optime exprimi possint. — Cum finis meditationis sit, non tantum tempus aliquod impendere Deo per orationem, sed meditando et considerando animam purgare a vitiis, exornare virtutibus, vitam omnem emendare et perficere, confirmare se in servitio divino, munire se contra difficultates ac tentationes, actiones suas rite disponere quo perfectius obeantur, quae omnia nonnisi per proposita rite in meditatione concepta fiunt: maximi momenti est, quae sequuntur, sibi bene inculcare. Proposita debent esse: 1° practica, i. e. talia, quae vere ad perfectionem sint efficacia; 2° particularia et praesenti statui accommodata; statuatur quotidie aliquid eo ipso die exsequendum; 3° bene fundata i. e. motivis solidis firmata; 4° humillima i. e. plena diffidentia de nobismetipsis.

Finis sive egressus. Meditationem solent concludere colloquia[1]) quolibet modo et quibuslibet verbis instituenda cum Deo, cum Christo Domino, cum B. M. Virgine aut aliis Sanctis, prout fert meditationis materia, tum ut gratias agamus pro beneficiis nobis in meditatione collatis, tum ut gratiam impetremus implendi et exsequendi proposita in meditatione concepta, tum ut nos ipsos accusemus de culpa aliqua admissa, tum ut res nostras et circumstantias ipsis proponamus et consilium sive auxilium in iisdem petamus. Ubi bene notandum est monitum, quod S. Ignatius in 3. annotatione ex 20 et Direct. cap. 15, n. 6 et 7 tradit, requiri, quando voce aut mente cum Deo Domino nostro vel cum Sanctis eius loquimur, ex parte nostra maiorem reverentiam quam dum utimur intellectu: nam in operationibus intellectus, dum ratiocinamur, nobiscum ipsis, cum nostro ut ita dicam, spiritu colloquimur; in actibus vero voluntatis Deum vel Sanctos veluti praesentes nobisque proxime adstantes, vel certe intentis oculis nos de coelo spectantes nobis proponimus. Porro haec colloquia, si ad Deum Patrem diriguntur, per Pater noster; si ad Christum Dominum diriguntur (non ut est Deus, sed quatenus est homo, mediator et advocatus noster, ut interpellet pro nobis), per Anima Christi; si ad Deiparam, per Ave Maria concluduntur. Quo vero maiori cum devotione haec colloquia instituantur, convenit, pro oratione materiae meditationis nunc personam rei induere iudicem suum

[1]) Colloquia haec non sunt omittenda ob desolationem et ariditatem: facienda sunt semper, sive motus spiritualis occurrat sive non occurrat; imo in ariditate magis illis insistendum est. Possunt etiam in decursu meditationis institui.

deprecantis, nunc servi dominum exorantis, nunc filii cum patre, sponsae cum sponso, amici cum amico loquentis *(Lib. Exerc. exercitium I hebd. I in fine, et Direct. cap. 15).*

Finita meditatione per aliquod tempus sedendo vel deambulando fit reflexio vel examen, tum ad videndum, quonam modo meditatio successerit, tum ad recapitulandum, ut ita dicam, totam meditationis materiam. Utrumque has fere complectitur quaestiones: 1° legine vel audivi puncta attente? 2° servavi deinde animi recollectionem? 3° revocavi in memoriam post cubitum ante somnum materiam meditationis? 4° evigilans de nocte et mane expergefactus, materiam meditationis revocavi in memoriam, exclusis aliis cogitationibus? 5° excitavi affectus meditationi conformes sub lavando, induendo et eundo ad locum meditationis? 6° servavi animi quietem praesertim immediate ante meditationem? 7° punctane, sin minus relegi, saltem revocavi in memoriam? 8° cogitavi stando paulisper ante ipsum meditationis ingressum, quid essem facturus, cum memoria praesentiae divinae? 9° qua reverentia, attentione et devotione recitavi Orationem praeparatoriam? 10° praeludia, praesertim secundum, bene feci? 11° facultates animae bene applicavi? memoriam? intellectum? voluntatem? 12° quaenam proposita feci? 13° distractiones invadentes strenue superavi, vel certe non admisi? 14° taedium, quod forsan insurgebat, devici vel saltem contempsi, nec propterea cessavi ab applicando animo? 15° recurri ad primum praeludium, quo facilius vagam imaginationem figerem? 16° fecine colloquium? 17° excussine torporem quandoque in fine maxime invadentem? 18° finivi meditationem reverenter? 19° ab initio ad finem usque pro viribus curavi, ut responderem gratiae divinae? 20° debitum situm corporis ser-

vavi? 21^0 internam et externam reverentiam, praesertim in actibus voluntatis, adhibui? 22^0 num interrupi vel abrupi meditationem sine necessitate?

Si male successerit meditatio, inquirendae sunt causae cum poenitudine et emendationis proposito; si bene successerit, gratiae agendae sunt Deo, idemque modus postea observandus.

Synopsis meditationis.

Praeparatio remota.	Praeparatio proxima.
Remove obstacula, spiritum huius mundi, mentis dissipationem etc. Adhibe virtutes oppositas, spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.	Perlege meditationem pridie. Expergefactus primo cogita de meditatione facienda. Cogitationes conformes fove. Accede animo tranquillo.

Initium.

Deum praesentem cogita — adora — pete gratiam bene orandi.

Praeludia:
1. Mysterium contemplandum ante oculos pone, ac si coram te ageretur.
2. Fructum e meditatione eruendum pete.

Medium.

I. Memoria materiam meditationis in mentem revocat.

II. Intellectus perpendit:
1. Quae veritas consideranda?
2. Quae conclusio practica ex veritate deducenda?
3. Quae motiva ad conclusionem practicam servandam inducent? (Quam decens, utile, iucundum, necessarium?)
4. Quomodo id hactenus a me observatum?
5. Quid in posterum faciendum?
6. Quale impedimentum removendum?
7. Quale medium eligendum?

III. Voluntas 1. affectus excitat per totam meditationem corde plus quam ore, e. g. laudis, gratiarum actionis, confusionis, doloris, deprecationis, amoris etc.

2. Proposita format particularia, practica, praesenti necessitati accommodata, fundata in motivis solidis.

Finis.

Colloquium ad B. Virginem — Jesum Christum — Patrem coelestem, uti filii ad patrem — servi ad dominum, amici ad amicum, aegri ad medicum — oviculae ad pastorem etc.

Tessera seligenda ex S. Scriptura vel SS. Patribus, per diem repetenda, ut meditationis fructus servetur.

Altera methodus.

Si meditatio de aliquo mysterio vitae Christi seu de re historica instituitur, brevis methodus meditandi seu contemplandi sumi potest ex personis, verbis, actionibus, videlicet:

Praeludia:
1. Repraesenta tibi, quasi in praesenti coram te res ageretur, et brevissime percurre historiam;
2. Pete lumen et robur, ut melius cognoscas Christum, ames, imiteris.

Ipsa Meditatio: In singulis punctis, in quae materiam habes divisam, consideranda sunt:

1. Personae:

quae? Deus, Christus Deus homo, Angeli (boni vel mali), homines (excita vivam fidem).

quales? perpende singularum attributa, virtutes sive vitia. (Excita te ad fiduciam, admirationem, amorem, imitationem; vel contra ad fugam, detestionem, timorem etc.)

quod officium, quam relationem habeant ad nos? (Unde deducas varios affectus, proposita.)

2. Verba:

quae proferantur ad invicem, ad Deum, ad nos. (Ex quibus semper conandum est fructum percipere, ea applicando ad proprias necessitates, conditiones.)

3. Actiones:

earum modus, finis seu intentio, effectus, causae diversae.

De quibus ratiocinationes, conclusiones, proposita facienda sunt, ut supra in altera methodo.

Finis per colloquia etc. ut supra.



Materia nonnullarum meditationum.

NB. Quodsi quis putat, unius meditationis puncta non sufficere, ut tempus sibi pro oratione constitutum expleat, facile aliquot meditationes in unam potest coniungere.

I. De fine vocationis ad statum sacerdotalem.

Ego elegi vos . . ., ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Joan. 15, 16.

1. Meditatio: *Ego elegi vos.*

I. Elegit te, sacerdos, ex tot millibus, infinite, si ita dicere fas est, te melioribus, non ex tuis praevisis meritis; elegit te, forsan tuis demeritis sine numero ab aeterno praevisis. Elegit te ex amore gratuito; elegit te, etsi praeviderit te fore rebellem, inobedientem, alio meliori te relicto. (1. Reg. 15.) Agnosce summum beneficium cum quam maxima gratitudine. Quid retribuisti? Quid retribues?

II. Elegit te Deus. Ego elegi vos. Ab aeterno de te cogitavit, tibi tot et tanta beneficia praeparavit. Quando coelum et terram creavit, innumeris rebus instruxit, imo instruere et conservare pergit, tuâ causâ egit et agere pergit. Deus homo, Christus Jesus, vix homo factus, te singulari modo aspexit et amavit; per totam vitam suam in omni labore et cruciatu tui memor fuit, pro te semetipsum obtulit. Numquid nimium est, si tu Dei tui recorderis atque in omni actione ei servire eique placere coneris?

III. Elegit te sacerdotem. Ex quibus malis ad quae bona te transtulit? Creavit te, alios in nihilo reliquit. — Redemit te et adduxit te ad veram fidem et gratiam suam; alios, quamquam

non sine ipsorum culpa, in infidelitate, in peccato reliquit. — Vocavit te ad consortium intimum, ad statum sacerdotalem; alios in communi sorte reliquit. Num igitur tu quoque plus quam alii ipsi servis, ipsius gloriam procuras?

Sincerum fac propositum Deo in omnibus et per omnia serviendi ex puro amore.

2. Meditatio: *Ut eatis.*

I. Ut eatis *proficientes* de virtute in virtutem. In via spirituali, qui stat nec progreditur, regreditur. Perpende, quae te excitare debeant ad continuum progressum: Tempus breve est (quot anni restant? . . . quot annos vane consumpsisti? redime eos et novo fervore damna compensa). Pensum arduum: tot vitia et defectus debes exstirpare ex agro cordis tui, tot virtutes inserere et colere, te aptum et aptiorem reddere quo Deus utatur pro instrumento suae gloriae et alienae salutis. — Praemium, quod te maneat, ingens est, respondet autem tuo labori. Ergo nulla dies sine linea! Instanter operare!

II. Ut eatis et ambuletis *caute*, memores periculorum, quae nos undique circumstant, periculi ex mundo, periculi ex diabolo, periculi ex nostra corrupta natura. Ne igitur leviter te in pericula coniice, praesumens de tuis viribus; nec ignavus time, quando officium tuum ad ardua te vocat. Arripe arma fidei et totam fiduciam in Deo colloca. Numquid hucusque ita humiliter de te sensisti et fiducialiter cum Deo egisti? Ad utrumque quot motiva! dole de defectibus . . . praecave pro futuro.

III. Ut eatis et ambuletis *coram Deo*. „*Ambula coram me et esto perfectus*“ (Gen. 17, 1). En medium praeclarum proficiendi: Deus te intuetur, pater tuus, iudex tuus, adiutor tuus; Deus in

manibus suis te portat; Deus omni momento te conservat, tecum operatur in omni actione et cogitatione. Num minimum quid agere vel cogitare potes, quod Deo indignum est! — Quo magis assuescas exercitio praesentiae Dei, saepe utere precibus iaculatoriis.

In posterum utere memoria praesentis Dei, mortis et aeternitatis ut stimulo ad ambulandum caute et ad progrediendum in virtute.

3. Meditatio: *Et fructum afferatis.*

I. Dominus Deus tuus quaesivit fructum ex arbore et maledixit ficulneae infructuosae; quaesivit fructum e servis, quibus talenta sua commiserat et condemnavit servum inutilem; quaeret etiam ex te. Num hucusque fructum fecisti? Fructus, quem ab omnibus quaerit, est gloria sua per observationem mandatorum, est salutis propriae cura; fructus, quem ex te quaerit, est maior eius gloria, est non tua salus tantum, sed etiam aliorum, qui tuae curae sunt commissi, vel quorum salutem per tuos labores sacerdotales intendit.

II. Fructum alii faciunt centesimum, alii sexagesimum, alii trigesimum (Matth. 13, 23). Manent aliqui milites gregarii, alii mercatores tenues, alii advocati sine re, nomen solum habentes; quid tu, sacerdos, in advocatura animae? in mercatura coeli? in militia Christi? *Aemulare charismata meliora* (1. Corinth. 12, 31). Nonne te pudere debet, si tantis donis divinis prae ceteris hominibus instructus in infimo gradu haereas?

III. Fructum afferunt in patientia (Luc. 8, 15). Miles in proelio, mercator in officina, nauta in pelago, venator in nemore, piscator in flumine. Quid tu, sacerdos? an fructum quaeris in patientia? Labores, aerumnae, mali successus diligentiam tuam et fervorem tuum acuunt, an frangunt?

an semper ut piscator hamum, ut venator retia tendis? an vigiles flectis oculos in omnem plagam tibi subiectam, sicubi deprehendas animam pauperem, sed in conspectu Dei pretiosam, Christi Sanguine redemptam, ad gratiam et gloriam destinatam? Rapere animas mundo, dare Deo, proprium est sacerdotis *(S. Anselm.)*. Munus Spiritus sancti sacerdotis officium *(S. Ambros.)*. Mundi sunt salvatores *(S. Hieron.)*. O magna et inclyta Dei instrumenta sacerdotes, a quibus omnium populorum pendet beatitudo *(Conc. Mediol.)*. — Si pro terreno successu labores non aestimantur, quid pro aeterno et coelesti praemio?

Labora strenue, licet fructus labori non videatur respondere.

4. **Meditatio:** *Et fructus vester maneat.*

I. Non manet voluptas: temporalis est et momentanea, in ictu oculi dissipatur; non manet hominum existimatio: fumus est, uno spiritu difflatur; non manent divitiae: sunt terrae pugillus, qui, quam difficile paratur, tam facile perditur; ergo, terra caduca, vale.

II. *Quid enim mihi est in coelo? et a te quid volui super terram?* (Ps. 72, 25). Quam stabilis, certus, perpetuus ille fructus, qui te diligentes manet et manebit aeternum, Deus cordis mei? Sed praeter te quid omnia reliqua valent? quid, nisi fumum? nisi bullam? nisi terrae pugillum? In omni opere tuo saepe cogita cum S. Aloysio: „Quid hoc ad aeternitatem?“ Et si tibi respondere debes: „Nihil“, dic ex animo: Ergo ad maiora natus sum.

III. Considera, actiones sacerdotales ex se esse *tales*, quae fructum aeternum afferant, nisi forte sinistra intentione corrumpantur et merito suo priventur. Gratias age Deo, quod tam facile bona

non-peritura congregare possis, et summopere tibi attende, ne aliud quidquam quaeras in laboribus tuis, nisi Dominum, *qui est pars haereditatis tuae, et calicis tui* (Ps. 15, 5).

Fuge vanam gloriam, solam quaere divinam, cuius gratia creatus es.

II. De beneficio vocationis ad statum sacerdotalem.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te; dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.
(Ps. 15, 1. 2.)

5. Meditatio: *De dignitate vocantis.*

I. Qui te vocavit, Deus est, o sacerdos; vide, quem dominum nactus, cui domino servias? Deus est, non est homo, non Angelus, non ulla creatura. Deus est, cui homo, cui Angelus, cui omnis servit creatura; Deus est, *dives in omnes;* quanta fas est alacritate, huic Domino servias. Respice res irrationales easque singulas percurre, solem, terram, elementa, animalia: quanta fidelitate Domino suo serviant et obsecundent, ut tibi afferant utilitatem, gloriam Deo: quanto magis iustitia exigit, ut tu fidelissime Deo servias eumque glorifices!

II. Qui te vocavit, Deus est, solus unicum et omne bonum, solus et unicus, causa, radix, origo omnis boni; solus, extra quem nullum bonum, in quo omne bonum, honestum, utile, delectabile; solus aeternum, immensum, infinitum bonum; solus tibi ab aeterno sufficientissimus. Quid igitur inhias creaturis, deliciis, divitiis, hominibus amicis eorumve amori vel aestimationi, quasi tibi quidquam dare possent, quod non Deus infinite melius tibi praestat.

III. Si qua re egere posses, o Deus, non eges ope mea, *quia omnia serviunt tibi,* nec ministerio

ullius hominis, quia *Angeli serviunt tibi;* at non eges ministerio ullius creaturae, quia es *Creator omnium. Quid ergo respicis ad me,* dicat humilis sacerdos, *ad me, pauperculum et trementem sermones tuos?* (Isa. 66, 2.) — Deo servire, regnare est. Tuus est honor, si Deus ministerio tuo utitur.

Immola quotidie Deo sacrificium laudis pro beneficio vocationis, et in omni etiam minima re fidelitatem ipsi serva.

6. Meditatio: *De indignitate vocati.*

Quo altius est ministerium, ad quod te Deus vocavit, eo magis tuam vilitatem respicere debes, ne aliena dona superbus tamquam res tuas usurpes.

I. Quid igitur es *secundum naturam?* Ante 30, 40, 50 vel plures annos nihilum fuisti. Ex hac nihili abysso Deus benignus, omnipotens te extraxit; sed ne te extollas, in faciem tuam originem tuam scripsit: *Pulvis es* — secundum corpus multis malis et morbis circumdatus. Quid eris? *In pulverem reverteris.* Saccus stercorum igitur es et esca vermium. — Anima tua densissimis tenebris involuta iacet, voluntas inermis est et debilis. Nihil potes, ne minimam quidem cogitationem concipere, ne digitum quidem movere, nisi Deus omni momento te conservet atque in omni actione te iuvet.

II. Quid es *in ordine gratiae?* Insigni illo dono gratiae divinae et adoptionis in filium Deus te donavit. Sed etsi illud in te conservasti, non tuum est, sed Eius qui donavit. In peccato conceptus es, filius irae, ab aeterna beatitudine excludendus. — Deus quidem tui misertus est, at quoties peccatis tuis personalibus iram Dei fortasse renovasti et auxisti? Unicum vero peccatum, etiam leve, quam foeda res sit, cogitando assequi non potes, etiamsi omnia tibi imagineris, quae nauseam et

horrorem tibi moveant. Quantopere igitur teipsum debes deprimere, tot peccatis onustum! Indignum ex animo te reputa quolibet bono, aëre, cibo, loco . . . quo uteris, dignum vero omni contumelia, omni poena, quae te afficere potest.

III. Quid es *in iudicio divino?* Res tremenda! Nescis. Num amicus eius eris et consors gloriae — an consors reproborum in infinita miseria? Confidere in Dei bonitate potes et debes, securitatem et certitudinem non habes. Hoc fide debes tenere, perseverantiam finalem, ex qua aeterna sors pendet, esse specialem Dei gratiam. Gratiam hanc Deus quidem libenter concedit, sed humilibus, sed petentibus et orantibus, sed fideliter cooperantibus.

Agnosce quotidie tuam indignitatem, et humilia te in omnibus non solum coram te et coram Deo, sed etiam coram hominibus.

7. **Meditatio**: *De altitudine ministerii.*

I. Haec colligitur ex potestate in corpus Christi verum; dicitur enim sacerdoti in ordinatione, ut accipiat *potestatem conficiendi* non coelum, non terram, non quidquid pretiosum et artificiosum est, sed *Corpus et Sanguinem D. N. J Ch.* — Amplius dici non potest. „Potestas haec regiam et angelicam longe superat; ad maternam Beatissimae Virginis quam proxime accedit: sicut enim illa *lumen aeternum mundo effudit, Jesum Christum, Dominum nostrum,* ita sacerdos eundem in altari denuo quodammodo gignit, ut fidelium cordibus inserat. Quid sublimius? O praeclara, o reverenda posestas! *(S. Bonav.)* — Quantam dignitatem contulit vobis Deus! Quanta est praerogativa ordinis vestri! Praetulit vos Deus regibus et imperatoribus; praetulit vestrum ordinem ordinibus omnibus; immo, ut altius loquar, praetulit vos Angelis et Archangelis,

Thronis et Dominationibus; sicut enim non Angelos, sed semen Abrahae apprehendit ad faciendam redemptionem, sic non Angelis, sed hominibus solisque sacerdotibus Corporis et Sanguinis sui commisit consecrationem *(S. Bernard.)*. O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius velut in utero Virginis incarnatur *(S. Augustinus)*. Magna et multa, immensa et infinita ipsius sacerdotis dignitas, miraculum stupendum. O quam magnam in se continet dignitatem formidabile et admirabile sacerdotium! *(S. Ephraem.)*

II. Colligitur eadem sublimitas ex potestate in corpus Christi mysticum, seu fideles, per quam sacerdos coeli claviger est et mundi iudex, solvens aut ligans super terram, quod solvendum aut ligandum iudicaverit (Joan. 20 et Matth. 18).

III. Adde, quod sacerdos vocetur Angelus, sal terrae, lux mundi, lucerna supra candelabrum (Matth. 5), pastor, doctor, dispensator mysteriorum Dei (Joan. 21; Eph. 4; 1. Cor. 4), episcopus, praepositus, pontifex (1. Tim. 3; Tit. 1; Hebr. 5), vicarius ipsius Christi. Magna dignitas, mira potestas, excelsum et expavendum officium *(Hugo de St. Vict.)*. Presbyteros ad custodiam sponsae suae tanquam vicarios suos reliquit *(Pet. Bles.)*. Sponsae custodes, amici, necessarii, domestici *(S. Bernard.)*. Mi Deus, *quid est homo, quia magnificas eum;* (Job. 7, 17). *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus!* (Ps. 138, 17). — Medius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, et nostras petitiones illuc referens *(S. Chrysost.)*. — Utraque hac potestate utere non perfunctorie, sed cum omni sollicitudine, humilitate, modestia corporis et animi. — Expende serio, quid sibi velint illi tituli modo in puncto III. allati, et conare ita te gerere, ut vere eos merearis.

8. **Meditatio**: *De ingratitudine sacerdotis mali.*

Deus utilitatem ex creaturis suis haurire non potest. Id, quod postulat suo iure ab iis et quod maxime a te, o sacerdos, postulat, est agnitio donorum suorum et gratus animus. Sed peccando et male fungendo divino tuo munere despicis Dei dona.

I. Mali sacerdotis ingens ingratitudo, quod nihili reputet altitudinem sui status, cum electus sit prae millibus a Deo et evectus ad summam sublimitatem specialis amici Christi Eiusque vices gerentis. Gratias agere debebat sexcenties ampliores, quam alii — at reipsa Deo infert turpissimum contemptum. Ingratitudo elucet amplius ex eo, quod malus sacerdos despiciat potestatem illam etiam Angelis formidandam, quam exercet quotidie in Corpus et Sanguinem Christi; et hinc vel administrare negligit, vel nonnisi lucri temporalis gratia, aut ex acediosa consuetudine, aut cum taedio administrat. — Elucet praeterea ex eo, quod despiciat stupendam potestatem *iurisdictionis*, qua peccatoribus coelum reserare potest vel claudere: inde tepor et torpor in excipiendis poenitentium confessionibus. O mi sacerdos, si retinuisses et tu caritatem primam atque te tuamque dignitatem aestimares ut in diebus fervoris novitii!

II. Quantopere autem Deus ingratitudinem abominetur, disce ex exemplis alienis. Gratitudinem severe postulavit a populo israelitico — quanto magis a te! Ingratum populum proiecit — time, ne te similiter proiiciat, imo sortem aeternam tibi addicat cum servo inutili, vel potius ultra eius poenam tuam multum aggravet: iste servus piger fuit, *non utens* talento sibi credito, tu *abuteris* non uno, sed *multis* talentis.

Resuscita igitur gratiam, quae est in te per impositionem manuum (2. Tim. 1, 6). Si eam hucusque nimis neglexisti, novo fervore compensa ingratitudinem commissam; Deus enim te adhuc exspectat, ut praemium, non poenam, tibi possit decernere.

III. De gravitate peccati sacerdotis, de morte, de iudicio, de inferno.

9. Meditatio: *De peccato.*

I. Peccatum sacerdotis aggravatur *ex eius maiore scientia. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui ... et non fecit ... vapulabit multis* (Luc. 12, 47). Tu cognovisti praecepta et eruditus es in lege Domini. Peccati cum perfecta scientia commissi habes exemplum in peccato angelorum et in peccato protoparentum. Nonne simile iudicium ferre debes de tuis peccatis in comparatione peccatorum aliorum? Sed quam horrendum iudicium fecit Deus de istis duobus peccatis! Angelis post primum peccatum non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos (2. Petr. 2, 4). — Peccatum protoparentum totum humanum genus infecit. Tu igitur confundere; sed confide in Dei misericordia et firmiter statue non amplius peccare.

II. Peccatum sacerdotis aggravatur *ex multitudine beneficiorum,* quae a Deo accepit. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero homo unanimis,* id est, amice, dilecte mi, mi commensalis, *qui mecum dulces capiebas cibos* (Ps. 54, 13. 14); tu velut alter Judas post buccellam pretiosi Corporis, intinctam in immaculato Sanguine Christi, reserasti cor tuum satanae, clausisti Deo! O perfidiam! Recole beneficia multa et magna, quae Deus in te prae aliis congessit;

ex iis aestima maiorem tuorum peccatorum foeditatem; erubesce et cave in posterum.

III. Peccatum sacerdotis aggravatur *ex multitudine peccatorum,* quam unum peccatum saepe secum trahit. An non merito queritur per Jeremiam Dominus: *quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* (Jerem. 11, 15) in domo mea, in ecclesia, in altari, in loco sancto. Tu nosti, quae et quanta ad altare, ad tribunal poenitentium, ad horas canonicas afferas, immo etiam inde referas. Necdum erubescis? Jubetur Moyses, propheta sanctus, exuere calceamenta de pedibus, priusquam montem ascendat, visurus vel auditurus Dominum: tu ascensurus montem, ut tangas Dominum, non exues prius peccata per dolorosam, si potes, confessionem? — Honor sublimis, vita deformis! deifica professio, et illicita actio? *(S. Ambros.)*

Puram semper conscientiam affer ad administrationem Sacramentorum.

10. Meditatio: *De morte.*

I. In hoc tributo naturae debito erit sicut populus, sic et sacerdos (Isa. 24, 2). *Statutum est hominibus* (Hebr. 9, 27). Mors te separabit ab omnibus: a divitiis et a rebus quibus uteris, ab amicis et a laude hominum, a voluptatibus huius mundi, ab occupationibus quas geris, a proprio corpore cui blandiris. Jam nunc solve omnia ista vincula, quibus tam saepe pertraheris ad peccata, retraheris a Deo.

II. *Statutum est, semel mori:* ah! semel tantum: ergo si semel misere, semper misere. Quando? Horâ, quâ non putas, Filius hominis veniet. Sic semper vive, ut semel moriaris bene!

III. *Bene* moritur pius, sanctus, zelosus sacerdos, memor praestiti Christo a se obsequii, qui dicere possit cum Job: *credo, quod Redemptor*

meus vivit, quem toties fide viva, mente pura, corde perfecto contractavi. *Male* moritur sacerdos malus, memor, impuris manibus, impudica lingua, impio corde eum se suscepisse pastorem suum, quem paulo post visurus est iudicem, et quo vultu? *O mors, quam amara* talibus *est memoria tua?* (Eccl. 41, 1.)

Sicut optabis mori, sic nunc vivere statue.

11. Meditatio: *De iudicio.*

I. *Quis iudex. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi* (2. Cor. 5, 10), nunc quidem misericordissimi patris et salvatoris, tunc severi iudicis, qui est omniscius, omnipotens, iustissimus, supremus. Habebis accusatorem diabolum et ipsa tua peccata; defensorum habebisne ullum?

II. *Quae causa discutienda.* Ibi iudicabuntur omnes iustitiae tuae, id est, orationes, sacrificia, sacramentorum administratio, aegrorum cura et visitatio, exhortatio etc., quo zelo, qua sollicitudine, qua opportunitate sint exercitae, an culpa tua intermissae? — Venient, venient sacerdotes mali ad tribunal Christi; audietur querela gravis, accusatio dura populorum, quibus facti sunt fraudulenti mediatores *(S. Bern.).*

Et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium (Ecclae. 11, 9). Pro omnibus, quae accepisti talenta; quae possedisti bona; quibus fruitus es privilegiis; nam *cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* (Luc. 12, 48). Noverat id Joannes Avila (a Leone XIII nunc inter *Beatos* relatus), optimus magister morum, qui de iuvene sacerdote mortuo post primitias, *sat habet,* inquit, *in quo iudicetur.* Sat ille, mi sacerdos! ergo quantum tu, qui toties sacrificas? Utinam sancte, religiose et modeste! etc.

III. *Quae sententia proferenda. Tunc dicet his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum ..; his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* (Cf. Matth. 25, 34. 41.)

Judica te ipsum, et discerne causam tuam per examen conscientiae, antequam divina obeas ministeria.

12. Meditatio: *De luctuosissimo statu sacerdotum damnatorum.*

I. *Cecidit corona capitis nostri; vae nobis, quia peccavimus* (Thren. 5, 16). Sic eiulabunt, sed sero, miseri apud inferos sacerdotes; quia *cum in honore essent, non intellexerunt.* Exaggerari hoc potest consideratione sacerdotis degradati et exsecrati, quod omnino tragicum est, sed umbratile ad sacerdotem damnatum.

II. *Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur* (Marc. 9, 43). Applica hoc sacerdoti, potestate sua, quam habet, maxima abutenti, et time. Percurre singulos sensus, pondera singulorum cruciatus — eosque aeternos, sine fine, sine intermissione. *Ira Dei manet super eum* (Joan. 3, 36).

III. *Potentes autem potenter tormenta patientur* (Sap. 6, 7). Si intolerabilis est vel minima poena gehennae, quam horrenda erit sors sacerdotis damnati, qui tanta potestate in Corpus Christi et in Christifideles abusus est, qui tot sacrilegia auxit, qui contra tot et tantas gratias sese obstinavit.

Time, ubi est timor, et cave, quamdiu tempus est cavendi et reparandi.

IV. De fervore et zelo sacerdotali.

13. Meditatio: *De praemio ferventibus proposito.*

I. *Ubi sum ego, illic et minister meus erit . . . in domo Patris mei* (Joan. 12, 26. . . .) A loco isto et regno exsulant omnia mala. Mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor, neque morbi, neque invidia, neque rixa. E contrario regnum illud affluit omni bono: vocatur coena magna, nuptiae Agni, regnum, locus deliciarum. *Intra in gaudium domini tui.*

II. Cogita iucundissimam, pacificam societatem tot fratrum, qui tecum gaudent, quorum gaudium tuum erit et qui tuum gaudium suum faciunt. Cum Angelo tuo custode, cum sanctis tuis patronis, cum Bo. Joseph ac B. Virgine, cum ipso Christo Deo-homine familiarissime conversaberis.

III. Sed super omnia videbis Deum facie ad faciem. Ergo ex illo fonte hauries, qui nunquam exhauritur, qui sufficit ad Deum ipsum infinitum exsatiandum. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (1. Cor. 2, 9). Quare *labora sicut bonus miles Christi Jesu* (2. Tim. 2, 3). Labori respondet praemium. *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (2. Cor. 9, 6).

Cogita saepe monitum Apostoli, ut iam nunc conversatio tua in coelis sit (Phil. 3, 20).

14. Meditatio: *De labore, cui respondet praemium.*

Tu vero vigila, in omnibus labora . . . ministerium tuum imple (2. Tim. 4, 5).

I. *Vigila,* id est, in omnibus exercitiis vigil, alacer, excitatus esto. Vigila, quia advigilat et

observat Deus, remunerator tuus, quaerens quid remuneret. Christus, summus sacerdos tuus. Vigila in omnibus viis tuis, quia advigilat et circuit diabolus ut leo, quaerens, quem devoret (1. Pet. 5, 8).

II. *Labora;* nunquam otiari debet sacerdos, nisi eligat labi. Labora, id est, in omnibus conatum adhibe, nihil age remisse, memor, cui labores. Impende vires, impende intentiones bonas quam plurimas et quam perfectissimas, impende affectus et gaudium cordis in omni labore et difficultate. Labora, quomodo laborabat extensis brachiis Moyses, quomodo luctans cum Angelo Jacob, quomodo sudans in horto Christus, quomodo sacrificans S. Ignatius Loyola, totus igneus.

III. *Ministerium imple*, id est, fac perfecte cum omnibus circumstantiis, et conditionibus; nihil minue, nihil detrahe. *Dei* enim *perfecta sunt opera* (Deut. 32, 4).

Omnis labor *mihi,* omnis utilitas *proximo*, omnis gloria Deo.

15. Meditatio: *De fervore in orando.*

Orationi instate (Coloss. 4, 2).

I. Spectat haec cohortatio praecipue ad sacerdotem, quia est legatus, advocatus, orator, syndicus totius generis humani; et quod Christus est pro hominibus in coelo apud Patrem, hoc sit sacerdos apud Christum pro iisdem in terris. *Ex hominibus enim assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum* (Hebr. 5, 1). Sicut igitur Christus gemitibus inenarrabilibus pro nobis interpellat, sic debet et sacerdos. Cogitatione percurre mundum et vide mala, in quibus diversi homines iacent, mala temporalia et spiritualia. Tua oratio sit remedio.

II. Neque minus est oratio remedium pro te ipso. Est enim oratio fervens indicium bonae vitae, necessarium medium, quo obtineas gratias uberes a Deo, vires contra tentationes, perseverantiam in caritate. *Ille novit recte vivere, qui novit recte orare* (S. Aug. hom. 4 ex 50).

III. Cogita, orationem esse medium, quo iam quodam modo impleas finem tuum ultimum. Horas canonicas, aliasque preces recita studiose quoad officium oris, et devote quoad officium cordis. Dic saepe apud te: *Domine, in unione illius divinae intentionis etc.*

16. Meditatio: *De fervore in sacrificio Missae.*

Benedicite sacerdotes Domini Domino (Dan. 3, 84).

I. Summus sacerdos veteris legis semel quovis anno ingrediebatur in sancta sanctorum, et quanto cum apparatu! Figura fuit ille; quid facit veritas! ille semel, sacerdos novae legis, si vult, quotidie. Verum attende, ne tibi quotidiana vilescant. Accede ut ad primam tuam Missam, vel ac si ultima sit.

II. Semel Filius Dei factus est homo, et quanta praeparatio ab aeterno! *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (Hebr. 10, 7). Quot praevia Prophetarum oracula, Angelorum vota, Patriarcharum desideria, quae praecesserunt praeludia! Mittitur Angelus, obumbrat Spiritus sanctus Virginem, quae Filium Dei novem mensibus gestat in utero. — Et tu, quid facies, sacerdos? Stude imitari affectus B. Mariae V. vel ipsius Christi, quos in momento incarnationis exercuerunt.

III. Christus ipse, quum institueret SS. Sacramentum et sacerdotium N. L., nos docuit praeparationem: in esu agni paschalis docuit recorda-

tionem tot ac tantorum beneficiorum, quae praeludebant etiam infinite maiora; in lotione pedum conscientiae puritatem, exercitium humilitatis et mutuae caritatis; in expresso mandato: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19) memoriam passionis Domini. Haec fac, sed serio et ardenter, et vives.

Orationes Ecclesiae praeparatorias ad Missam, et post eam gratiarum actionem omni devotione perage.

V. De perfectione sacerdoti propria.

17. Meditatio: *De motivis perfectionis.*

I. Debet sacerdos tendere ad perfectionem vitae, quia vult Deus; si enim de omnibus Christianis verum est illud S. Pauli (1. Thess. 4, 3): *Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*, et illud Christi (Matth. 5, 48): *Estote perfecti, sicut Pater vester*, et si iterum Apostolus omnes Christianos vocat sanctos (2. Cor. 1; Eph. 1; Phil. 4): quanto magis hoc competit sacerdoti, e reliquis selecto et in sortem Domini vocato? Res et proprietas Dei es. Numquid contra finem a Deo constitutum rebellabis?

II. Multum datum est sacerdoti; ergo multum quaeretur ab eo (Luc. 12, 48). *Cum enim augentur dona*, inquit. S. Greg. (Hom. 19 in Evang.), *rationes etiam crescunt donorum.* Quot abundat donis et gratiis divinis! quotidiana Communione et celebratione! Nonne iuste Dominus uberes fructus exspectat? Num cogere vis Christum, ut quotidie intret in animam ornatu virtutum vacuam, imperfectionibus et peccatis sordescentem?

III. Exigit plus a sacerdote ipse status ad alios sanctificandos destinatus. — Tales esse convenit

graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut, quisquis viderit eos, stupeat et admiretur, ut exemplo moveat ad ea, ad quae verba exhortantur. Perfectus esse debet sacerdos, ut cui creditum sit supplicandi munus pro populo. Si non places, non placas; si non placas, cur sacerdos? *(S. Bern.)* Tot homines pereunt, quia desunt sacerdotes sancti atque perfecti.

Sic vivere stude inter homines, ut exemplo non destruas, quod aedificas verbo.

18. **Meditatio**: *De idea perfectionis.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur (Joann. 12, 26).

I. Imaginem Dei per peccatum turpiter foedatam et quasi erasam ut Dei Filius restauraret, factus est homo; abluit suo Sanguine, instauravit exemplo et doctrina. Vocat ad sui sequelam. *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit* (Matth. 12, 30). Excita in te ardens desiderium sequendi Christum.

II. Primus discendi ardor nobilitas est magistri, inquit S. Ambr. (Lib. 2 de Virg.); hinc tirones optimum in qualibet arte magistrum quaerunt, quem imitentur, ut imitando proficiant et perficiantur. Non est nobilior neque amabilior magister Christo, *dilecto Filio, in quo bene complacuit aeterno Patri* (Matth. 3, 17) et quem audiri iubet. Perpende eius amabilissimas qualitates: potentiam, sapientiam, liberalitatem, patientiam, mansuetudinem etc. Sed audire et imitari eum possumus diverso gradu. Num sequemur eum a longe? *Nonne quam proxime?* Ad quem ibimus, nisi ad Eum, qui verba vitae aeternae habet.

III. Si omnis Christianus cum S. Gregorio dicat: *omnis Christi actio nostra est instructio,* quanto magis sacerdos, cui in Apostolis, eius praedeces-

soribus, ipse Christus dicit (Matth. 23, 10): *magister vester unus est, Christus?* Quis magis Christo devinctus est, quam sacerdos; quis generosius Eum sequi debet non in praeceptis tantum sed etiam in consiliis evangelicis, ut omnem suam actionem ad similem Christi actionem velut ad normam et regulam revocet.

Summo studio (quod monet auctor *Imit. Christi* L. I, c. 1) in vita Jesu Christi medi'are.

19. Meditatio: *Vita Christi est regula sacerdotis.*

Induimini Dominum Jesum Christum (Rom. 13, 14).

I. Sicut sacerdos induit vestes Christi tempore sacrificii, ita decet eum omni tempore induere vitam, id est, mores et virtutes Jesu Christi, ut iuxta Apostolum (2. Cor. 4, 11) in eius carne mortali vita Christi manifestetur, vereque dicere possit: *Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20). Perpende singulas virtutes, vel etiam singulas Dominicae passionis phases, quae per singula indumenta sacerdotalia repraesentantur.

II. Causa vero, cur sacerdotes non satis exprimant vitam Christi, haec est, quod secuti regulam alienam (i. e. carnis, mundi, peccati), sensus, sermones et actus suos non dirigant secundum mensuram illius regulae, qua mensus est illis Deus (2. Cor. 10), deflectentes, ut mali tirones, a proposito sibi prototypo. Percurre singulas tuas actiones et cogita serio, quomodo Christus eas peracturus esset; quomodo sensibus, facultatibus corporis et animi ille re ipsa usus sit.

III. Regula Christi, prima fronte amara, usu dulcescit; est enim iugum suave et onus leve. *Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia* (Gal. 6, 16).

Exemplo S. Caroli Borromaei quotidie lege caput S. Evangelii, quod ille faciebat flexo genu et detecto capite.

20. Meditatio: *De perfecta administratione Sacramentum.*

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (1. Cor. 4, 1 et 2).

I. Dispensator fidelis in genere est, qui non mittit *margaritas ante porcos*, nec dat *sanctum canibus* (Matth. 7, 6); qui videt ministerium, quod accepit a Domino, ut illud impleat (Coloss. 4, 17); qui non est similis aquae baptismali, peccata baptizandorum diluenti eosque mittenti ad coelum, cum ipsa post in piscinam descendat. *(S. Greg. Magn.)* Numquid ita aliis intendis, ut te tuamque salutem vel perfectionem negligas?

II. Dispensator fidelis Eucharistiae is est, qui lintea, vasa, tabernacula, Dominici Corporis receptacula religiose custodit; qui ad sumptionem Eucharistiae parvulos capaces erudit et praeparat; adultos rudes instruit, obliviosos commonefacit, tardos compellit, indignos repellit, neminem negligit.

III. Dispensator fidelis poenitentiae est is, qui prompte sedet pro tribunali, dum reus adest; qui examinat, ponderat, iudicat ex aequo; qui non absolvit, nisi dispositum; qui non dimittit, nisi consilio et cohortatione sua meliorem. Perpende, quam pretiosi sint thesauri, quos tibi Christus credidit. Custodi eos cum omni cura atque ipsam tuam animam imprimis dita.

Reflecte practice ad tria illa, quae modo exposita habes.

VI. De virtutibus internis sacerdotis.

21. Meditatio: *De humilitate.*

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde
(Matth. 11, 29).

I. Disce, sacerdos, disce a Christo, sacerdote magno, imo maximo, sed in Eucharistia minimo, quam te docet, non tam verbo, quam opere, ex cathedra vilium specierum, virtutem profundissimae humilitatis. Deposuit omnem splendorem, vilissima et pauperrima elegit — et tu ad splendida aspiras? Erubesce ad tuam intolerabilem arrogantiam.

II. Vilis hic illi, cui coelum sedes, habitatio est in sordidis saepe tabernaculis, inter digitos impuri sacerdotis, in corde subdito peccatis! Et tu detrectes conversari cum rudibus, cum peccatoribus, ut eos Deo tuo lucreris?

III. Pauper illi amictus, nullus comitatus; et hinc sannis et probris haereticorum exponitur. O Jesu, quis sensus debet esse mihi haec cogitanti, et inter pollutos digitos meos, in otiosa, detractoria, maledica lingua, in impuro corde, in cloaca sordium, in sentina scelerum te contemplanti? — O, mi magne Deus! da sensum commiserationis, da sensum reparationis, da sensum similis humilitatis; da, ut cuius maiestatem non possum assequi, saltem imitari studeam humilitatem! Da mihi teneros huius virtutis affectus, quoties dico celebraturus: *Confiteor Deo . . . mea culpa!* — quoties ingemino: *Nobis quoque peccatoribus; Domine, non sum dignus . . .* Da, ut non minus corde, quam corpore me profunde abiiciam coram te, sicut magna, sed humilis mater tua, sicut magnus, sed in oculis suis parvus Joannes, praecursor tuus.

Fiat! fiat! o Jesu, fiat! Amen.

22. Meditatio: *De mansuetudine.*

Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, etc. (Galat. 6, 1).

I. *Exemplum Christi.* Christus totus mitis in vultu, verbo, opere; ex oculis elucent suaves benignitatis radii; ex ore dulcis spirat lenitas; in toto corpore agnus est. Quam mitem se exhibuit olim in tractandis peccatoribus, in venia eis danda. Cogita Magdalenam, Petrum, ipsum Judam, cui veniam obtulit, ipsos inimicos et crucifixores, pro quibus oravit. Considera praesertim Christi mansuetudinem in Eucharistia: tot probra patitur et dissimulat, exspectans peccatores ad poenitentiam. Quid tu, sacerdos? Num formam Domini prae te fers in agendo et alios alloquendo?

II. *Motiva.* Christo adeo cordi erat haec virtus, ut illius speciale exemplum seipsum praeberet, „*Discite a me, quia mitis sum.*" — Sacerdotem maxime decet esse mitem, neque ullum fructum faciet, nisi hac virtute instructus sit. — Nihil ea virtute iustius pro homine: qui enim tantopere peccavit, is in nullis adversis vel probris conqueri potest, quasi merito peius tractetur. — Christo, agno mitissimo, toties uniris, vesceris, o sacerdos: nonne eius mansuetudinem induere debes?

III. *Fructus et praemium mansuetudinis.* „*Invenietis requiem animabus vestris*" (Matth. 11, 29). „*Ipsi possidebunt terram*" (Matth. 5, 4), eamque Domino Deo Eiusque sanctissimae legi lucrabuntur. Sed quanta felicitas quantumque praemium, vel unam animam salvasse!

Pete a Christo augmentum huius virtutis, dum dicis: *Ecce Agnus Dei etc.*

23. Meditatio: *De obedientia.*

Ministri eius, qui facitis voluntatem eius (Ps. 102, 21).

I. *Necessitas obedientiae.* Deus singulariter amat obedientiam, quam coronavit in Abrahamo, punivit vero tot iam saeculis in Adamo et posteris eius unius hominis inobedientiam. Placere vis Deo? *Melior est obedientia, quam victimae* (1. Reg. 15, 22).

II. *Exemplum Christi.* Volens placere Deo Dei Filius ab aeterno voluit im tempore obedire. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui* (Ps. 39, 8. 9.); *meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me* (Joan. 4, 34). *Erat subditus illis,* Deus, Dominus, Creator — hominibus, servis, creaturis (Luc. 2, 51). Admirare, imitare. Obedientiam hanc maxime patefacit in SS. Eucharistia, quando vocatus a sacerdote adest, toties mirabilius quam olim (Jos. 10, 14) *obediente Deo voci hominis.* O prodigium! Deus obedit homini, et tu, homo, non obedis Deo? Deo, cuius minister es?

III. *Exercitium* huius virtutis. Obedire Dei mandatis, voci conscientiae, legibus Ecclesiae et dioecesis, praeceptis Superioris; imo ipsos varios eventus ut Dei nuntios considera, qui Eius voluntatem tibi manifestent. — En quotidie tot occasiones, quibus in spiritu obedientiae uti potes et debes.

Obedire stude simpliciter, sine contradictione; prompte, sine dilatione; alacriter, sine querela; perseveranter, sine taedio.

24. Meditatio: *De castitate.*

Lavamini, mundi, estote (Isa. 1, 16). *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (Isa. 52, 11).

I. Exigit hanc munditiem cordis et corporis a sacerdote Christus, quia ipse virgo, natus de Virgine, inter lilia, id est, virgineas mentes pascitur,

et in niveo specierum Eucharisticarum throno requiescit; quantus amator puritatis, tantus osor omnis immunditiei, praesertim in ministris suis.

II. Hi enim officio Angeli sunt, et Angelorum Dominum manibus suis contrectant; o quam purae sint oportet hae manus, haec lingua, hoc cor etc.! Continebant se olim sacerdotes legis antiquae tempore vicis suae; quid non te decet, sacerdos, dum Deo tuo non solum assistis, sed fers ipsum manibus?

III. Munditiem clamant plerique ritus, quos adhibes in sacrificio: 1. Lotio manuum; 2. alba, qua indueris eaque ex lino, non lana, cuius radix caro est animalium; 3. cingulum, quo cingeris cum apta oratione; 4. priusquam legas Evangelium, oratio: *Munda cor meum* etc. Si hoc requiritur ad dignam Evangelii lectionem, quid non ad Dominici Corporis consecrationem, contrectationem et sumptionem? Considera igitur *primo* quidem, quam cautus sis, ut non solum omnia vites, quae directe sanctam puritatem laedunt, sed etiam ea, quae utcunque eam in periculum inducere possunt; *secundo* considera, quomodo puritatem cordis latiore sensu sumptam colas, horrore cuiuslibet vel minimi peccati.

Ut castus sis, fuge molliora et corporis commoda; libenter fer laboriosa, asperiora, adversa. Nec decet esse membrum delicatum sub capite spinis perforato.

VII. De virtutibus externis sacerdotis.

25. Meditatio: *De prudentia sacerdotis in exterioribus.*

Estote prudentes sicut serpentes (Matth. 10, 16).

I. *Necessitas.* Mittitur in medio luporum sacerdos, quem innocentia vitae oportet esse oviculam.

Sed quomodo evadet? prudentia opus est, non huius mundi, haec enim stultitia est coram Deo, quia finem non respicit; adeoque qui hanc sequuntur, turpiter cadunt.

II. *Exemplum Christi.* Prudentia Christi eadem est cum providentia; oportet ergo sacerdotem esse providum, cautum, circumspectum, et, ut inquit Michaeas Propheta, sollicitum ambulare cum Deo suo; vadit enim in medio luporum et latronum, thesaurum portans in vase fictili (2. Cor. 4, 7).

III. *Exercitium.* Serpentes caput costodiunt, aures sepiunt, supra petram repunt; ita sacerdos caput, hoc est principium agendorum custodiat et ad Deum refeıat; sit surdus, dum blanditur caro; petrae, hoc est Christo, innitatur, ne vacillet in proposito.

Quidquid agis, prudenter agas et respice finem.

26. Meditatio: *De modestia sacerdotis.*

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus (Phil. 4, 5).

I. *Christi exemplum.* Christus modestissimus Virginis filius, nihil egit tumultuose, praepropere, perturbate, clamose: sed omnia ad leges modestiae, etiam in conviviis, inter iniurias, etc. Sed quomodo tandem in illo convivio amoris, in ultima coena, quando accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas et Corpus suum effecit! Vide hic modestissime composita omnia, manus, linguam, oculos, totum corpus! vide vivum exemplar modestiae sacerdotalis tum in reliqua vita, tum maxime in hora sacrificii.

II. *Motiva.* Oportet, ut hanc sacerdos in se ad vivum exprimat, quia Angelus est, quia spectaculum est Angelis, quia lux est mundi et lucerna supra candelabrum posita (Matth. 5), et praesertim in illo plus quam angelico ministerio, quo et

ipse panem accipit et gratias agens benedicit. Sed etiam in tota reliqua vita potius angelicam, quam humanam debet (sacerdos) conversationem habere *(Laur. Justiniani)*. Modestia est, quae aedificat, immodestia destruit et perdit.

III. Frenum iniice omnibus sensibus tuis: linguae, ne loquatur nugas, quas quasi pro blasphemiis S. Bernardus habet in ore sacerdotis; oculis, ne videant vanitatem; toti habitui externo, ut spiret mentis custodiam et recollectionem.

Vita excessum in cachinnis, rixas, clamores et cetera, quae non decent Sanctos.

27. Meditatio: *De caritate erga proximum.*

Hoc est praeceptum meum: Ut diligatis invicem (Joan. 15, 12).

I. En hic notam characteristicam, qua te ipse discernas, sacerdos, utrum discipulus Christi sis, an non. Habes mandatum Christi, speciale mandatum, idque leve et suave, quod si impleveris, alia implevisti. Si diligis, Eius discipulus eris; secus, si non diligis; Veritas dicit; aliter esse non potest. At quomodo tu diligis, quem non fers, quem aegre aspicis, cui vis et dicis male? — non ita Christus.

II. *Probatio dilectionis,* inquit S. Gregorius M., *exhibitio est operis;* oportet, ut caritas sit activa, non otiosa; vivit in opere, non pascitur verbis. Ais: diligo; credo, si quod dicis, facis; si non facis, mendax es; diligis, si adiuvas indigentem, si errantem dirigis, si peccantem corrigis, sed spiritu lenitatis; diligis, si gaudes de proximi prosperitate, si tristaris de eius malis, si sustines, si mitis es, si humilis, si pacificus: Ita Christus.

III. Proximus tuus vel est sacerdos, ut tu — et est frater, et condiscipulus tuus; vel laicus est —

et est filius spiritualis; *in Christo Jesu . . . ego vos genui* (1. Cor. 4, 15); sed et fratrem et filium lex naturae dictat diligendum. — Magis etiam in proximo tuo opera Dei diligere debes. Deum eum sic dilexit, ut eum e nihilo crearet, ut eum suo Sanguine redimeret, ut eum ad consortium aeternae gloriae vocaret. Numquid eum, quem Deus adeo distinxit, spernere vel negligere potes? — Immo *„quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.“* (Matth. 25, 40.) En, amorem quem Christo debes, amando proximum solvere potes!

Dilige proximum sicut te ipsum: efficaciter, suaviter, fortiter, promiscue bonos, malos, amicos, gratos, ingratos etc.

28. Meditatio: *De zelo animarum.*

Ecce ego mittam piscatores multos . . ., et piscabuntur eos et . . . multos venatores, et venabuntur eos (Jerem. 16, 16).

I. Incredibilis Christi zelus patet in Evangelio maxime in tanto conatu convertendi peccatores obstinatos ac vel ipsum Judam; ad quem imitandum obligatur sacerdos curatus, quia piscator, quia venator. — Ergo piscator es? semper tibi pendeat hamus; venator es? semper tua retia pande, ut feram aliquam, id est efferatam animam capias ad poenitentiam; pastor es? pasce commissum tibi gregem, pasce verbo, exemplo, oratione, ut Christus. Num saecularia tractantes vincant te in cura et diligentia?

II. *Occasio.* Errat una ex tuis oviculis et haeret in bivio, a te vult erigi; caligat, a te lucem petit; peccat, a te vult corrigi; haesitat, a te vult instrui. Si negligis hoc, pastor non es, sed idolum; venator non es, sed persecutor animarum; vigilas, sed in lucrum tuum, non in illarum salutem. Aliter

Christus; hunc imitare. — Qui non ardet, non incendit *(S. Greg. M.)*.

III. *Motivum.* Curam fratrum nostrorum gerere summa vitae nostrae *(S. Chrysost.)*. Si officium vis exercere presbyteri, aliorum salutem fac lucrum animae *(S. Hieronymus)*. Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus *(S. Greg. M.)*. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (Jac. 5. 20). Nihil Deo tam gratum acceptumque est, quam pro viribus operam dare, ut homines reddantur meliores (*S. Laur. Justiniani)*. Ille apud Deum in amore maior, qui ad eius amorem plurimos trahit *(S. Greg. M.)*. Ipse pro peccatis tuis Deo multum debes: quid offerre potes, quod maioris sit valoris, quam animarum zelum?

Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (2. Tim. 4, 2).

VIII. De virtutibus sacerdotis unitivis.

29. Meditatio: *De amore Dei.*

Simon Joannis, diligis me plus his? (Joan. 21, 15.)

I. *Necessitas et utilitas.* Qui non diligit, manet in morte. Nec fides salvat, nec potestas miraculorum, sed caritas. — Verum etiam vel unus actus perfectae caritatis ingentia peccata delet! quid tandem, si iam iustus es, tali actu mereberis pro vita aeterna! Ante omnia igitur semper mane in caritate; imo quam frequentissime in omnibus operibus tuis actum caritatis exerce!

II. *Motivum.* Internum motivum ipse Deus est, Eius infinita perfectio et bonitas. Quidquid enim ni creaturis deprehendere boni potes vel cogitare,

id omne infinite melius et amabilius habes in Deo. — Motivum externum imprimis sit, quia Ipse prior dilexit nos, idque quanto amore! Vide, quid tibi dederit, quid pro te fecerit et passus sit, quid tibi praeparaverit. Sacerdos versaris quotidie in fornace amoris ardentissima SS. Sacramenti, quo qui non incalescit, glacies sit necesse est et saxum.

III. *Modus* diligendi sit supra omnem modum. Cogita denuo amorem Dei erga te, eumque pro modulo tuo imitare. Amor ille est ab aeterno, tuus saltem ne unquam exstinguatur; amor Dei est ardens affectu, est plenus effectu et opere, est patiens et ardua ferens — qualis tuus amor erga Deum hucusque fuit, qualis tandem erit in posterum?

Si quaeris in omnibus Jesum, invenies utique Jesum; si autem quaeris teipsum, invenies etiam te ipsum, sed ad tuam perniciem. (Imit. Chr. lib. 2 c. 7.)

30. Meditatio: *De zelo divinae gloriae.*

Glorificate et portate Deum in corpore vestro (1 Cor. 6, 20).

I. Hoc admirabili zelo incensus Christus ubique Patris gloriam propagabat; modo enim ostendit illius magnificentiam: *simile est regnum coelorum regi;* modo amorem: *homo quidam fecit coenam magnam;* modo iustitiam: *redde rationem;* modo misericordiam: *homo quidam descendit;* modo excellentiam: *Pater maior me est.* Sed maxime in ultima coena, in horto, in cruce, in tota passione, cuius memoriale est sacrificium Missae, sua subiectione et summa virtutum exercitatione in gloriam Patris propagandam incubuit. Deputatus Christi es, Eius personam geris: nonne etiam animum Eius gerere debes?

II. Omnia propter semetipsum operatus est Deus; gloriam suam omni creaturae pro fine statuere

debuit, imprimis homini. Irrationales creaturae Deum glorificant — et tu? Ad quo maiorem sublimitatem te evexit, eo maiorem suam gloriam a te exspectat. Num recte? Sacerdos factus non pro te solum, sed etiam pro aliis, Deum glorificare debes: num hucusque id fecisti?

III. Elias fugam, persecutionem, exilium, famem, sitim sustinuit, *zelo zelatus pro Domino Deo* (3. Reg. 19, 10). — Quid tu? Imitare hunc zelum, etiam cum damno propriae commoditatis.

Zelus domus tuae comedit me, et opprobria exprobantium Tibi ceciderunt super me. Ps. 68, 10.

31. Meditatio: *De actibus religionis.*

Adorate eum omnes Angeli eius (Ps. 96, 7).

I. Religiosissimo culto Christus modo conceptus velut sacrificium matutinum in utero matris, iam natus et adultus in stabulo, in templo, in montibus, in desertis tamquam diurnum, moriens in cruce ceu vespertinum sacrificium seipsum obtulit aeterno Patri; qua reverentia, nemo novit, nisi qui noverat, quo cultu dignus esset supremus omnium Conditor. Viva mente recogita singulas illas oblationes et stude, aliquantulum saltem hos divinos affectus Cordis Jesu imitari.

II. Confundamur oportet, proposita nobis cultu, quem exhibebant sacerdotes antiquae legis arcae et sanctuario propter asservatas in eis tabulas Moysis, virgam Aaronis, panes propositionis etc.; et haec quidem umbrae erant et figurae; quid nos damus luci et veritati? quid venerabili Eucharistiae? quid templis? quid aris? quid tabernaculis?

III. Post virtutes tres theologicas palmam fert religio, qua solvimus Deo debitum cultum propter illius infinitam excellentiam, imo diversarum illa-

rum virtutum actus et affectus se invicem excipiunt et perficiunt. Qui prae aliis religionem excercere debeat, est sacerdos, in cultum Dei seu religionem specialiter consecratus. At esto tali modo sacerdos non in altari tantum, sed in omni vita tua: laudem, gratiarum actionem, obsecrationes omni momento offer pro te et pro toto mundo, gratias age pro omnibus Sanctis et pro toto coelo. Coniunge affectus tuos cum intentione, quam Deus Ipse habet in omnibus operibus, quae ad extra operatur. *Gratias agimus Tibi propter magnam gloriam Tuam.*

Elice actus religionis, quoties in sacrificio genuflectis, oscularis altare, caput inflectis; cum his externis ritibus iunge actus internos.

32. Meditatio: *De unione sacerdotis cum Deo et cum proximo, per conformitatem voluntatis.*

Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint (Joan. 17, 21).

I. Haec est affectuosissima piissimi Jesu ad Patrem oratio, ut omnes discipuli et inter se et cum Patre concordes sint et unanimes; haec est ultima Christi morituri et testantis voluntas, ut secum, cum Patre, et inter nos unum simus, quicunque sacerdotes sumus. Perpende, quantopere Christo haec unio cordi fuerit.

II. Et est haec quidem illius aequissima voluntas et petitio, ut nostra scilicet voluntas et cor nostrum Secum concordet. Iniustus es, si neges; quod suum est, tantum repetit; nam quaecunque habes, ab Ipso habes. Ingratus es, si te neges; nam se ipsum tibi dat et quotidie tibi dat, sed ideo, ut vicissim tu te des illi. Stultus es, si neges; cui enim reservas te? — tibi? sed iam perdis; mundo? sed quo pretio? inani, vano, ludicro,

momentaneo; felicem te reddere mundus nequit; solus Jesus faciet, ut gaudiam tuum sit plenum. Ergo da te Jesu tuo; ipse petit; immitis es, si roganti neges id, quod imperio extorquere potest.

III. S. Eucharistia praeclarissimum unionis symbolum est et medium. Ideo instituta est sub specie panis et vini, ut uniamur cum Christo, sicut cibus et potus nobis unitur; ut unum simus omnes inter nos, sicut ex multis granis unus panis, unus potus efficitur. Ita, quum primi Christiani ferventes persisterent in perceptione SS. Sacramenti, *credentium erat cor unum et anima una.* (Act. 4, 32.) Cur hanc unionem voluntatis cum Christo et cum proximo SS. Eucharistia in te non ita produxit? Quia tu dees. Jesus in hoc divino Sacramento exspectat a te liberum consensum; hunc quomodo negabis? sponsus est, et tu sponsa, indigna hoc nomine, si neges; non est communio, si non est unio voluntatum reciproca. Fac ergo et dic:

O bone Jesu! per tuam gratiam dico medullitus ad Patrem tuum, ad te, ad Spiritum sanctum: *Deus meus et omnia; dilectus meus mihi, et ego illi; ego dilecto meo, et ad me conversio eius.* Ex nunc averto voluntatem meam a me, et ad te unum converto per plenam ad omnia resignationem: Fiat! o fiat voluntas tua!

IX. De SS. Eucharistiae Sacramento.

33. Meditatio: *De institutione SSi Sacramenti Eucharistiae.*

Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem etc. (Matth. 26, 26).

I. *Accipite et comedite, hoc est Corpus meum* (Matth. *ibid.*). Credo primum viva fide, Christi Carnem, Sanguinem, Animam, Deitatem, et quid-

quid est Deus, esse in SS. Eucharistia, sive vi verborum, sive per concomitantiam. Admirare Dei sapientiam, quae invenit novum modum se nobis communicandi. Obstupesce et lauda omnipotentiam, quae uno momento, paucis verbis, illa omnia sub speciebus panis et vini ponit. Agnosce infinitum amorem, quo hoc facit. Sicut Pater *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, ita et Filius, ut se ipsum daret, ut esset nobiscum *usque ad consummationem saeculi.* O admirabilem et amabilem Deum! Quod de te cogitaverit, ut pro te incarnaretur, quantum est! sed quanto maius, quod modo in te quasi denuo nascatur, et eadem omnia secum afferat, quae tunc attulit! *Quid restribues Domino?*

II. *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem* etc. Considera tempus huius institutionis. Erat illud ipsum, quo eius vitae struebantur insidiae, quo fervebant odia Judaeorum in illum; sed *aquae* persecutionum *non potuerunt exstinguere caritatem* eius. Adeo amat nos etiam, cum inimici sumus. Tormenta igitur vicina, crux, infamia non provocarunt separationem Christi a te, sed maiorem coniunctionem per hoc amoris et unionis Sacramentum. *Quis ergo* te *separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?* (Rom. 8, 35.) Conclude magno ardentique amore: *In his omnibus superabo propter eum, qui dilexit me.*

III. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem* (Marc. 14, 22). Considera, quos Christus adhibuerit convivas; Apostolos nempe, et inter eos etiam Judam. Sed quanta sumentium diversitas; illi corpore simul et spiritu ardentissimae devotionis; iste solum corpore, spiritu autem in proditionem Christi intento. Vide proditorem istum hoc amoris cibo non mitigatum, et adverte, quo-

modo scelera in catenam eant, cum passio, ex qua ortum trahunt, non tempestive opprimitur.

Tantae caritatis opus grata mente semper recolam atque in hoc sacro mysterio commemorabo.

34. Meditatio: *SS. Eucharistia ut memoriale Passionis Christi.*

Quotiescumque enim..., mortem Domini annuntiabitis, donec veniat (1. Cor. 11, 26).

I. *Hoc Sacramentum instituit tamquam passionis suae memoriale perenne* (S. Thom. Aquin.). Cruenti sacrificii ut perennis exstaret memoria, incruentum instituit, quotidie peragendum. Semel pro nobis immolatus, invenit modum, quo saepius immolaretur. Ita paratus erat, ut, si expediret, quotidie pro me moreretur. Agnosce amorem. Sed nihil reddis, nisi tu quoque quotidie immoleris. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis* (Gal. 5, 24).

II. *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19). Quanti ipse suam Passionem fecerit, inde aestima, quod voluit ipse eius esse memoriale. Obligat hoc te ad continuam tanti beneficii memoriam, non quae in sola cogitatione sistat, sed quae in affectum et opus transeat. *Qui enim Passionis Dominicae mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus* (S. Greg. Dial. l. 4. c. 59).

III. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (1. Cor. 11, 26). Quoties Eucharistiam sumis, cogita, te mortui Christi sepulchrum esse. Non erit dignum, nisi sit novum; voluit enim poni in monumento novo. Non eris novus, nisi veterem hominem occidas. *Necesse est, ut, dum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus* (S. Greg.). Quid ad hoc ais? Expedi

arma et te hostiam ei exhibe, qui se dedit hostiam pro te.

Quotiescumque sumam haec divina mysteria, redemptionis nostrae opus grata mente recogitabo.

35. Meditatio: *De dignitate sumentis SS. Eucharistiam.*

Qui manducat me, et ipse vivet propter me (Joan. 6, 58).

I. *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. 14, 23). Quod de ineffabili quidem mansione SS. Trinitatis in anima iusti Christus dixit: tamen speciali etiam modo valet de S. Eucharistia. Qui eam sumit, fit vere Dei habitaculum. Ut intelligas, quanta sit haec dignitas, cogita viscera beatissimae Virginis, in quibus primum homo factus habitavit. Quantis illam gratiis cumulavit! At is ipse est, qui in Eucharistia ad te devertit. Quanta ergo est haec dignatio. At noli permittere, ut in te devertant foeda animalia infrenium passionum, vel ut dominus gloriae apud te collocetur quasi in sordibus.

II. *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo* (Joan. 6, 57). Non solum fit habitaculum Dei, qui Eucharistiam sumit, sed admirabili quadam unione fit unum cum eo. Assequere, si potes, quanta sit haec dignitas, uniri humanitati Christi et idcirco, ea mediante, ipsi personae Verbi et toti Trinitati, quae concomitanter in Eucharistia exsistit. Considera, ad quid te impellat tanta gloria; ut, qui uniris Deo, avellaris a luto creatarum rerum, ut dicta, facta, cogitata tua sint talia, quae non dedeceant membrum Christi.

III. *Ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Joan. 6, 58). Excellentiam unionis cum Christo adverte, Filius accipit

a Patre essentiam, vitam et omnes perfectiones, ita ut sit unus Deus cum Deo Patre et in eo vivat easdemque cum illo perfectiones habeat, idem *intelligere*, idem *velle* et *operari*; tu per Eucharistiae sumptionem fis particeps vitae et perfectionum Christi.

Debes ergo idem cum illo sentire, velle, agere, pati. Efficiet id unitus tibi Christus, nisi tu obsistas.

36. Meditatio: *De dispositione ad SS. Eucharistiam sumendam.* (I.)

Probet autem seipsum homo... (1. Cor. 11, 28).

I. *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (Joan. 13, 8). Curanda summa puritas animae, in quam venturus est Christus. Exigit hoc summa sanctitas et maiestas hospitis. Expende enim, quis, et ad quem ingrediatur. Si matrem, quae conceptura erat Filium Dei, decebat tanta puritate nitere, qua maior infra Deum excogitari non potest, quid te decet, qui eundem excipis. At puritas non est sola ab omni peccato immunitas, sed etiam affectuum purgatio et virtutum ornatus. Potesne sic te mundum dicere? Quanto labore opus est, ut huc pervenias! Pervenies, si serio voles. Dic cum leproso: *Domine, si vis, potes me mundare* (Matth. 8, 2). Confide; extendet manum suam et dicet: *volo, mundare.*

II. *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso* (Apoc. 2, 7); id etiam suo modo valet de ligno, quod hic est in Ecclesia militante per praesentiam Christi corporalem in Sacramento altaris. Ut hoc fruaris mysterio, necesse est, ut te vincas et appetitum rationi, rationem Deo subiicias. Non satis ergo digne accedis, si te non vincis. Quantus tibi in te ipso victoriarum campus! Superbia, ambitio, tui aestimatio, vanae gloriae

cupiditas, ira, impatientia, languor in spiritu, tepiditas et alia, quae tu nosti; haec devince, et dabitur tibi de ligno vitae. Quam alius esses, si, quoties ad hanc escam accessisti, vel unum ex his hostibus subiugasses!

III. *Ecce, ego pluam vobis panes de coelo; egrediatur populus et colligat* (Exod. 16, 4). Promittitur hic manna, figura Eucharistiae, illudque ad instar pluviae super iustos et iniustos cadentis. Quae bonitas Dei se tam prodige largientis! sed, ut eo potiaris, necesse est, ut egrediaris. Unde? aut quo? Respondet Rupertus Tuitiensis (L. 3, C. 11 in Exod.): de pristina conversatione, de vetustate vitae. Necesse est, ut *colligas.* Colliges copiosum fructum attenta meditatione et praeparatione, perpendendo serio nec perfunctorie, quid agas, quid sumas, scilicet Christum cum omnibus Eius laboribus et meritis, cum tota humanitate et divinitate.

Sedulo curabo, ut purgato cordis palato gustem et videam, quam suavis sit Dominus, ne unquam nauseat anima mea super cibo isto tamquam levissimo.

37. Meditatio: *De dispositione ad SS. Eucharistiam sumendam* (II).

Probet autem seipsum homo... (1. Cor. 11, 28).

I. *Pauperes eius saturabo panibus* (Ps. 131, 15). Felix paupertas, quae sola, ut ait Rupertus (in C. 6. Joan.), *edit magnam eleemosynam Regis regum, quam dat ipse, non aliam, quam seipsum.* Datur ergo ille panis ut eleemosyna magni Dei. Exinanire, exinanire, ut pauper fias illâ dignus. Eiice amorem saeculi et vanitatum eius. Indigne eleemosynam accipit, qui dives est; indigne Eucharistiam, qui saeculo affectus est. Cura igitur, ut spiritu sis pauper, ut ditare te possit Christus.

Forsan propterea, quia non es pauper spiritu, tam parum fructus ex tam frequenti huius mysterii sumptione retulisti.

II. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (Joan. 7, 37). Sitis quaedam et fames ac vehemens desiderium afferendum est ad hunc cibum. Fons ille sacramentalium gratiarum non patet, nisi sitienti; *sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis* (Apoc. 21, 6). *Oportet namque*, ait S. Bern. (Serm. 31 in Cant.), *ut sancti desiderii ardor praecedat faciem eius ad omnem animam, ad quam est ipse venturus.* O tepidam animam! Nonne sacrilegium crederes nauseare cibum istum pretiosissimum? Certe proxima nauseae es, si non desideras. Excita ergo, quoties accessura es, fervens desiderium, quod nascitur ex actuali fide dignitatis huius cibi, amoris Dei erga te, fructuum ex Eucharistia dimanantium, etc.

III. *Cum invitatus fueris ad nuptias, . . . recumbe in novissimo loco* (Luc. 14, 8. 10). Ad nuptiale convivium Dei se tibi desponsantis accessurus es. Quis tu? quis ille? Agnoscisne in eius maiestate tuam indignitatem? Sed dignus fieri potes, si corde sincero sis humilis. *Respexit humilitatem ancillae suae* (Luc. 1, 48), ut eius sacratissimum uterum subiret; neque despiciet tuam humilitatem. Et quanta te deprimendi materia, si bene expendas: quis tu? quis ille? Exclamare magno iure debes: *quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* (2. Reg. 9, 8.)

Quo magis augeas SSi. Sacramenti desiderium, rerum mundanarum autem famem diminuas: saepius per diem spiritualiter stude communicare.

38. **Meditatio**: *De effectibus SS. Eucharistiae* (I).

Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (Joan. 6, 59).

I. *Accedite ad eum, et illuminamini* (Ps. 33, 6). Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (Joan. 17, 3). Hanc cognitionem auget panis eucharisticus, ut possis comprehendere, *quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum* caritatis Christi (Ephes. 3, 18). Ipse lux est, *quae illuminat omnem hominem* (Joan. 1, 9). Expende tenebras tuas. Heu quantum ad divina caecutis! Scisne quod in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum? (Luc. 24, 31.) Ecce idem caecitatis tuae medicus est; idem qui, quod ex caeco olim Jerichuntino, ex te quaerit: *Quid tibi vis faciam?* (Luc. 18, 41.) O benignitatem praevenientis! Dic fidenter cum illo eodem caeco: *Domine, ut videam*, scilicet ut videam te, videam me!

II. Panis eucharisticus, quum illuminat, simul confortat. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilae iuventus tua* (Ps. 102, 5). Senescit anima, cum ad virtutem languet; iuvenescit, cum viget. Senio hoc frequenter et tu occuparis; sed in novitate vitae ambulandum est. Ut autem renovetur iuventus tua, aptissimum remedium est sancta Eucharistia, ut Deus repleat in bonis desiderium tuum. Si ergo hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescimur carne Domini, ex hoc digne sumpto iuvenescemus. Aestima, lauda, ama, anhela; et quoties accedis, aliquid veteris hominis depone.

III. SS. Eucharistia animam reddit ad omne lumen gratiae omnemque nutum divinae voluntatis promptissimam, similiter ut *exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione* (Luc. 1, 39). Effectus hic fuit concepti Dei. Quo enim iam Deo plena,

ait S. Ambrosius, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Eundem accipis in Eucharistia, quem Virgo concepit. Idem in te, nisi tu obsistas, operabitur, ut ardente voluntate ad ardua virtutum contendas, atque adeo magna festinatione ad apicem perfectionis pervenias.

Cooperare id desideranti Deo, ne te semper per tuum languorem in imo reperiat. Elevabit te Deus, sed non sine te.

39. **Meditatio**: *De effectibus SS. Eucharistiae* (II).

Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (Joan. 6, 59).

I. *Panem Angelorum manducavit homo* (Ps. 77, 25). Dicitur etiam SS. Eucharistia *panis Angelorum,* non quod Angeli eodem Christo beati ea fruantur, quodque adeo ea (Eucharstia) vescantur, sed quod homines sumentes velut Angelos efficiat. Ita Hugo Card. (in Cap. 31. Prov.). *Datus est hominibus, ut fiant Angeli.* Quae tua est felicitas, si fias velut corporis expers, totus spiritualis, tentationibus superior, a passionibus liber! Certe si nondum factus es talis, tu impedivisti. Et quae haec tua insania, cum possis, nolle ad angelicam perfectionem pervenire!

II. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. 1, 12). Effectus SS. Eucharistiae est, ut te semper magis faciat filium Dei, non utique naturalem, sed adoptivum; quo fit, ut simul intres in ius haereditatis: si enim filii Dei sumus, et haeredes (Rom. 8, 17). O miram dignationem! Expende, quem patrem habeas, quem fratrem; quo affectu, qua reverentia et fiducia in eum ferri debeas; sed quam degener fueris hactenus filius et frater. Nonne te pudet? Sed quid eris in posterum, ut digne patrem voces Deum, fratrem Jesum? *Agnosce dignitatem tuam,*

et divinae consors factus naturae, noli ad pristinam vetustatem degneri conversatione redire (S. Leo).

III. *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo* (Joan. 6, 57). Altius adhuc ascendit dignitas, quam per Eucharistiam obtines; non tantum utcunque fis filius Dei, sed velut unum cum Deo, ut is in te maneat tamquam novum principium vitae, quo divinam vitam semper agere possis, et tu in illo ut in tutissimo refugio contra omnia pericula et mala. Sed necesse est ad hoc, ut moriatur in te, quidquid tu es; vivat solum, quod Deus est. Necesse est, ne volens recedas a Deo, mandatorum Eius pertaesus.

O quando erit illud tempus, quo cum veritate dicere possim: *vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus* (Gal. 3, 20).

40. Meditatio: *Hodie salus huic domui facta est.*

Si olim, quum Christus ad Zachaeum devertisset, haec visitatio toti domui fuit in salutem, quanto magis adventus Christi eucharistici si modo iusta dispositione suscipitur. Ad quam magis magisque conciliandam iuvat attente considerare: quis veniat, ad quem, ad quid. Singuli quidem tituli Christi Domini uberem meditandi materiam praebent: hic autem omnes coniungam, unusquisque facile sibi singulos pro libitu distribuere in singulos dies potest.

I. *Quis venit?* Christus, *Deus noster*, qui te creavit, te conservat, te iudicabit. — *Rex noster: „Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus“* (Matth. 21, 5), rex, cui ut homini etiam omnia tradita sunt a Patre. — *Magister*, qui verba vitae aeternae habet. — *Medicus*, qui curat omnem languorem et infirmitatem. — *Pastor* bonus, qui dat animam suam pro ovibus suis, ut vitam habeant et abundantius habeant. — *Redemptor*, qui acquisivit te Sanguine suo. — *Sacerdos et victima*, qui

per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

II. *Ad quem venit?* Ad vilissimam creaturam, ad rebellem subditum, ad hominem caecum et aegrotum, gravissimo morbo decumbentem, omni miseriâ plenum, venumdatum sub peccato.

III. *Ad quid venit?* Ut pauperem ditet, esurientem cibet, ut morbos curet, mala omnia depellat, iniurias ignoscat, vincula solvat, ovem errantem in humeros tollat, filium prodigum in omnia iura restituat, amicitiam renovet atque confirmet. Desiderio desiderat hoc pascha tecum manducare. — Admirare Christi magnitudinem, bonitatem, potentiam; confundere ob tuam infirmitatem et malitiam: confuge plenissima spe et magno desiderio ad Jesum, in quo omnia habes.

Saepius per diem fervens desiderium excita in Jesum eucharisticum mox apud te devertentem: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.*

NB. Pro meditatione sumi possunt etiam analyses sermonum de SS. Corde Jesu, ad calcem huius Partis positae.

X. Pro solemnioribus festis.

41. Meditatio: *De immaculata Conceptione B. M. V.*

I. *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram* (Prov. 8, 24). Peccatum originale abyssus est, quo omnes sordebamus. Maria feliciter eximitur, quia, ut ait S. Anselmus, decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret. Gratulare matri tuae de tanta felicitate. Tu etiam, quamquam in peccato conceptus, per Christum redemptus et in baptismo mundatus et regeneratus es. Quantas gratias debes!

Sed num puritatem baptismalem conservasti? Annon propriis peccatis rediisti ad pristinam infelicitatem eamque auxisti? Si ita est, nunc saltem stude, ut emergas ex abysso miseriae. Nihil sic time et horre, ut peccatum.

II. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. 4, 7). Non tantum peccatum non fuit in B. Virgine, sed neque fomes, neque concupiscentia, neque prava inclinatio; cum summa enim tranquillitate caro et sensus suberant rationi et spiritui. Sed sentis aliam legem in membris tuis! Pacem habebis, si concupiscentias et inclinationes mortifices, si ratio et spiritus regnent, non caro et sensus. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem* etc. (Rom. 8, 13). Dimica strenue et confidenter sub tutela Virginis immaculatae contra hostes animae tuae. Pete huius Virginis potentissimum patrocinium, quo sempiternae inimicitiae ponantur etiam inter te et serpentem omneque semen illius.

III. *In me gratia omnis viae et veritatis* (Eccli. 24, 25). In primo instanti contulit Deus B. Virgini gratiam habitualem supra omnes homines et Angelos, intellectus plenum usum, et cognitionem Dei, voluntatem ipsum amantem supra omnes Seraphim; gratias efficaces, cum quibus statim secundum omnem intentionem operata est. Hinc vides, quantas congregare debuerit spirituales divitias! Sed quando tu intellectum atque voluntatem Deo applicuisti et quomodo? An cooperatus es gratiis? An cooperaberis? ita, ut dicere possis cum Apostolo: *Gratia eius in me vacua non fuit* (1. Cor. 15, 10).

42. Meditatio: *De Nativitate D. N. J. Ch.*

I. *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret* (Luc. 2, 6). Ubi? Considera vili-

tatem loci, tempestatem perfrigidam, tempus noctis, circum undique miseriam et paupertatem. Vis, ut in te nascatur Christus? esto tibi vilis; frigescant tuae passiones; ama latere; esto pauper et humilis; amat et in te Filius Dei ea, quae pro se elegit.

II. *Et peperit Filium suum primogenitum* (Ibid.). Considera, quibus actibus reverentiae, humilitatis, adorationis, amoris B. Virgo Filium suum exceperit, et statim pro mundi salute Deo Patri obtulerit? Audi vagitum, vide lacrimas, quaere, cur fleat: audi respondentem, quod non habeat imitatorem; et statue eum sequi, ac plures inducere ad eum imitandum.

III. *Et pannis eum involvit;* ecce paupertatem matris et filii. Er reclinavit eum in praesepio; ecce, quomodo a teneris Dei Filius amet quaeque duriora! Et cur tu fugis? Non erat eis locus in deversorio. In propria venit, et sui eum non receperunt. Ita etiam nunc Deus patitur quotidie repulsam, quando per gratiae motionem in animam intrare tentat. Num qui creavit te in habitaculum sibi, non inveniet locum apud te? An invenit forte, qui te perdere quaerit?

43. Meditatio: *De Circumcisione Domini.*

I. Hodie facit Jesus, quod ad mortem usque facturus est: obedit — Patri, Mariae, Josepho. Deus obtemperat hominibus; et homines eo usque vani erunt, ut Deo, praepositorum ore praecipienti, repugnent! Aut Deo parere debes, aut cupiditatibus, vel daemoni; elige. Ah, cum Deus obediat legi, *disce, homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare* (S. Bernardus).

II. Elucet vel maxime humilitas obedientis Jesu. In praesepi pauper, in circumcisione habetur ut peccator. Deus, qui alienissimus est a peccato,

adeo exinanivit semetipsum, ut formam acceperit peccatoris; et ego, qui in peccatis conceptus sum in iisque adolevi, nolo peccator vocari, nolo minoris aestimari.

III. Amor Jesu patet in hoc mysterio, quod tam cito velit Jesus seu Salvator appellari, et suum largiri Sanguinem in amoris pignus. Perpende devotionem et gaudium, quum ore Bae Virginis primum *Jesus* vocaretur. Considera, quid *tibi* sit Jesus: est compendium omnis boni, quod cogitare potes, et fugator omnis mali. — At quid *Sibi* est nomen illud Jesus? Nomen plenum omnis generis labore et dolore, qui iam nunc incipiunt Eum opprimere. Hic Sanguis, hae lacrimulae sunt verba cordis eius, quibus promittit, se passurum et moriturum esse omnium hominum causa. Annum novum inchoa sub speciali tutela Jesu Salvatoris; Ei denuo te consecra, sicut consecratus es in baptismo et sacra ordinatione; sed etiam inchoa hunc annum ab imitatione obedientiae et humilitatis Jesu. Tuus sum, mi Salvator, in hunc annum et in omnem vitam.

44. Meditatio: *De Epiphania Domini.*

I. *Invenerunt* Magi *puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera: aurum, thus, et myrrham* (Matth. 2, 11). Obtulerunt Jesu *myrrham,* in honorem sacrae eius humanitatis. Jesus propter suum in nos amorem, corpus corpori nostro simillimum assumpsit. Utquid non redamamus Dominum, ipsique corpora nostra non consecramus! Tuum est, amantissime Jesu, corpus meum: ex te pendet eius sanitas et morbus, ex te vita et mors. Me felicem, si possem tecum pati; tecum quippe regnarem. *Totum me liberasti, ut totum me possideres* (S. Aug.).

II. Humanitati Jesu accedit regalis dignitas; ideoque *aurum* illi offertur. Quae habemus bona, ea nobis a Deo sunt donata; iis itaque utamur ad eius gloriam, ad altarium ornatum et pauperum solatium. In pauperibus Deum videamus. Magi vident in praesepio infantem, pauperem illum quidem, et ab omnibus derelictum, eum tamen ut Regem et Deum venerantur. Si pauper es, offer Jesu tuam paupertatem; donum hoc praestabit omnibus mundi thesauris.

III. Oblato demum *thure,* clarius demonstrarunt, agnoscere se divinitatem Jesu. Thus tuum sit oratio tua. Ad Jesu pedes provolutus, offer suavissimo illi puero animae tuae facultates; adora, time. Sed hoc etiam memineris, alia via reges rediisse. Pariter et tu aliam ineas vivendi rationem; et ubi viam Christi ingressus fueris, ab ea ne declines, *viae enim immutatio vitae intelligitur mutatio* (Euseb. Emes.). Regio nostra paradisus est, ad quam, Jesu cognito, redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo atque appetitum carnis refraenando redeamus (S. Greg. Magn.).

45. Meditatio: *De Purificatione B. M. V.*

I. Ut divinae gloriae serviret Maria et obediret legi, coram hominibus honoris sui ultro iacturam fecit. In hac purificatione non virgo, non deipara, sed una ex immundis mulieribus existimatur. Hinc intellige, veram gloriam esse in divino obsequio positam. Etiamsi pessimum omnium te haberi necesse foret, modo Deus laudetur, non est detrectandum. Jesus, qui in circumcisione formam peccatoris induit, itemque Maria in purificatione

non obscura illius veritatis praebent argumenta. Vera gloria a iudicio divino plane pendet.

II. Maria devovit aeterno Patri suavissimum ac dilectissimum Filium; ipse quoque Christus se aeterno Patri obtulit, ad promovendam eius gloriam et generis humani salutem. Cogita, quid Christus tunc cogitaverit, quomodo etiam ad te respexerit. Quid ei debes? Accende in te purum zelum gloriae Dei et salutis proximi. Offer te Deo ad quaevis ardua; detestare priorem teporem. — Hodie, piissime Jesu, offero tibi, quidquid mihi carissimum est, cor, voluntatem, affectus, omnia: *Ne proiicias me a facie tua.*

III. Maria filium suum in ulnas recepit, alitura pro mundo, pro peccatoribus, pro te in sacrificium et hostiam. Qui sensus huius piissimae matris? Gratias age, dole, teipsum offer. — Quam dulces affectus, quum So Joseph infantulum portare licuit! — Et qui sensus, quae verba, quum Simeoni, sancto illi seni, datum est, videre et portare salutem mundi! Verum estne minor felicitas tua, quum eundem Jesum in Eucharistia tenes et amplecteris? Agnosce dignitatem tuam et stude ex ea proficere.

46. Meditatio: *De S. Josepho, B. V. sponso.*

I. Sanctus Joseph *Mariae sponsus* fuit haud dubie propter singularem puritatem. Quanta gratia erat haec electio! Quam gloriosum tibi, vir sanctissime, sponsam habere in coelis et in terris omnipotentem, ac tuae voluntati apprime consentientem! — Esto castus, humilis et modestus, ut S. Joseph, et adamabit te Maria. Ad sanctitatis apicem brevi perveniet, qui Sanctum hunc imitatus, Deum praesentem ac singula videntem cogitaverit.

II. S. Joseph fuit Jesu *pater nutritius;* et ipse Jesus erat subditus illi. Vide humilitatem Salva-

toris, qui, cum in Augusti aut Herodis regia nasci potuisset, pauperem et incognitum sibi elegit patrem, qui quotidiano sudore victum et vestitum ipsi procuraret. Exemplo S. Joseph nunquam separeris a Christo; eum testem habeas omnium actionum tuarum, et cum eo saepius colloquaris. Quo maxime potueris modo, esto misericors; quae enim feceris pauperi, Christo fecisti. — Sed vide etiam, quam strenue S. Joseph officio suo functus sit. Non pepercit labori neque aerumnis, ut Jesum et Mariam aleret et defenderet; lubens ignotus mansit, soli Jesu et Mariae honori consulens. Ita et tu stude omnes labores tuos, omnes animi et corporis vires, omnem honorem, omnia quae habes pro Jesu et Maria Eorumque honore impendere.

III. S. Joseph inter beatos Jesu et Mariae amplexus *exspiravit*. Quam felix obitus! Piam ac sanctam mortem cupis? huc cogitationes, huc actiones tuae referantur, ut in hora mortis Jesum et Mariam habeas adiutores. Cole et invoca sanctum Joseph; affirmat quippe S. Theresia, se nihil non impetrasse illius meritis. Semper in ore habeas, sed praesertim instante morte, pulcherrima et suavissima nomina: Jesus, Maria, Joseph.

47. Meditatio: *De Annuntiatione B. M. V.*

I. Hodie *Maria fit mater Dei*. Expende colloquium inter Mariam et Angelum. Humilitas et puritas Virginis ei tantum honorem pepererunt. Proh! quanto mihi gaudio est divina, Maria, et excelsissima haec dignitas tua! Verum si es Mater Christi, mater es utique Christianorum. O me felicem! ut Dei Genitrix omnia potes; ut mater mea omnia cupis mea causa! Possum etiam ipse, si volo, per fidem, gratiam, caritatem Christum in corde meo concipere. *Nam etsi secundum carnem*

una mater est Christi; secundum fidem tamen omnium fructus est Christus (S. Ambr.).

II. Hodie *Jesus fit frater noster.* Eius in nos amor eum nobis similem reddit, ut nos similes ipsi efficiamur. In terras descendit, ut ad coelos ascendamus. Adoro te, Verbum caro factum, in castissimo Virginis utero. Quidnam in isto momento cogitasti? Quid etiam de me et pro me statuisti? Gratias quam maximas! Trahe me post te! Utinam dono aliquo pretiosissimum donum tuum rependere possem! Tuum est, frater amantissime, quidquid sum et possum. *Fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas.*

III. Hodie *terra in coelum mutatur,* maledictio in benedictionem. Jam tota SS. Trinitas cum summa complacentia divinos oculos in terram hanc coniicit, quae nunc infinite plus honoris Divinitati affert, quam genus humanum peccando Deum dehonoravit. — Ira Dei iam quiescit, gratiarum fontes uberrimi praeparantur. — Gaudet coelum, gaudent Angeli, gaudent iusti, gaudent defuncti et vivi, gaudent etiam peccatores. Fremat et timeat solus infernus, et qui obstinatus hosti infernali potius quam Deo servire vult! Horum iudicium iam appropinquat; aliis aperitur tempus misericordiae et gratiae.

48. Meditatio: *De Resurrectione D. N. J. Ch.*

I. *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi* (Ps. 3, 6). Anima rursum unitur corpori, ut, quod socium fuit passionum, sit et gloriae. In momento recedunt livor et vulnera, accedunt decor et gratia; quo animae eius gaudio! cum quibus Patrum e limbo eductorum affectibus gratulationis, caritatis, etc.! Accede ad Christum pari modo; et ut gaudium tuum sit plenum, ei constanter

adhaere tanquam membrum capiti et te eius spiritu duci semper sinas.

II. *Resurrexit tertia die secundum Scripturas* (1. Cor. 15, 4). Succedunt laeta tristibus. Deus ita lege statuisse videtur, ut per aspera eatur ad amoena. Christus gloriae resurrectionis praemisit 33 annos laboriosae vitae, et 20 circiter horas acerbissimae Passionis; sic ergo et tibi eundum est ad gloriam: *quia servus non est maior domino suo* (Joh. 13, 16). *Si commortuus fueris, et convives* (Cf. 2. Tim. 2, 11).

III. *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* (Rom. 6, 4). Percipis fructum resurrectionis Christi, *si ambulas in novitate vitae.* Sed non ambulas in novitate vitae, *nisi exuas veterem hominem.* Sicut non est ingressus ad vitam aeternam, nisi per mortem naturalem; ita nec ad novam perfectamque vitam ingredieris, nisi spiritu facta carnis mortificaveris. *Fiat mihi, Domine, possibile per gratiam, quod mihi impossibile est per naturam* (Imit. Chr. lib. 3 c. 19, n. 5).

49. Meditatio: *De Ascensione D. N. J. Ch.*

I. Animo et cogitatione finge te videre Christum tollentem se a terra, animabus sanctis stipatum, quas e limbo eduxerat, procedentem *in maiestate sua, penetrantem coelos.* O novum et mirabile spectaculum! Corde et affectu comitare caput tuum. Trahet secum membra sua, si manent viva in corpore; eorum curam gerit, mansionem parat . . . Plaude nunc eius triumpho et cum Psalte exclama: *Attollite portas, principes, vestras, et introibit rex gloriae.* Qui ad ima se humiliavit, summe exaltatur.

II. Contemplare, quomodo a Patre et ab Angelis exceptus sit Christus, una cum iustis, quos secum ducebat; quanto cum apparatu et gaudio! *Dixit*

Dominus Domino meo: Sede a dextris meis (Ps. 109, 1). *Et adorent eum omnes Angeli Dei* (Heb. 1, 6). Et ad Sanctos quidem: *Venite, benedicti et fideles servi; accipite regnum decoris et diadema speciei de manu Domini Dei vestri, et intrate in gaudium eius, quod nemo tollet a vobis.* O invitationem super mel et favum dulciorem! Vis similem aliquando audire? Fac, ut sis *servans semitas iustitiae, et vias Sanctorum custodiens* (Prov. 2, 8).

III. Considera, qualis sit coelestis habitatio, a qua exsulat omne malum et quae abundat omni bono. Quod quo magis te percellat, singula tum malorum, tum bonorum genera animo percurre. Dein expende magnitudinem gloriae, in quam introivit Christus et cuius te vult aliquando fieri participem; respondet cuiusque laboribus, passionibus et meritis, nec non divinae magnificentiae et liberalitati. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, aut in cor hominis ascendit,* quod aequiparari ei posset. Omnes huius temporis passiones, quae tot et tantae sunt, non sunt condignae ad illam; et cum apparuerit, perfecte satiabimur, et nihil nobis deerit. Utquid igitur ad eam iugiter non suspiras? Quare diligis vanitatem et quaeris mendacium? Magnopere dole de tua caecitate; et quae sursum sunt, tandem sapias et quaeras, non quae super terram.

50. **Meditatio**: *Pro festo Pentecostes.*

I. Contemplare Christum in coelo, memorem nostri et factae promissionis de mittendo alio Paraclito: Spiritum sanctum descendentem super homines; illum, qui Patris et Filii aeternus est amor et omnium fons bonorum, donatum nobis miseris; et per illum factos nos filios adoptivos

Dei. Excipe illum venientem, lauda summam eius caritatem, redama, adora et serva.

II. Considera, quomodo se praeparaverint B. V. et Apostoli ad Spiritum sanctum recipiendum. Ad hoc Christi mandatum: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto,* secesserunt in coenaculum, ubi, a conversatione et forensi tumultu abstracti, *erant perseverantes unanimiter in oratione.* Haec tibi ad imitandum propone, ut idem possis bonum consequi et de te dicatur, quod de illis dictum est: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

III. Expende, quid operatus sit Spiritus sanctus in iis, ad quos descendit Amorem, fervorem, sapientiam, fortitudinem, scientiam, pietatem, etc. Hinc videre potes, quis sit in te spiritus. An sanctus? an vero mundanus, aut diabolicus? Ex fructibus cognosces. Scriptura dicit: *non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* Et: *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum.* Et iterum: *Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere.* Disce hinc, quae obstent, cur non detur tibi Spiritus Domini, et ne tardes ea removere.

51. Meditatio: *Pro festo SS. Trinitatis.*

I. *Dominus Deus noster Dominus unus est.* Deus est una quaedam simplicissima entitas, in omni genere perfectionis infinita; primum rerum omnium principium, et finis ultimus; unicum summum bonum, ideo unicus Deus, extra quem non est alius. Non capio te, Domine Deus, sed credo te, adoro, laudo, glorifico, timeo, amo, et tibi soli servio; tu centrum omnium meorum affectuum. Ah! *Sero te cognovi, sero te amavi, pulchritudo aeterna,* qui multiplicavi mihi deos, quoties me, vel creaturam aliquam plus quam te colui et amavi, aut impensius illi servivi! Ex hoc tu unus eris mihi Deus, *cui omnia ossa mea dicent gloriam.*

II. *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ita Deus est in essentia unus, ut tamen sit trinus in personis. Pater sua intellectione *generat* Verbum. Pater et Verbum mutua dilectione *spirant* Spiritum sanctum. Neque hic capio cum perfecta unitate illam personarum distinctionem; sed credo, adoro, laudo etc. Applicabo animum ad vivam Dei cognitionem, ut, quoad potest fieri in hac umbra, aliqua eius imago in mente mea generetur, quam summe aestimem, ex aestimatione amem, ut ita etiam Spiritus sancti processioni aliqua ratione similis evadam.

III. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus.* In hac personarum Trinitate summa est perfectionum aequalitas, eadem bonitas, gloria, immensitas, aeternitas, omnipotentia, iustitia etc., quas omnes perfectiones etiam sanctitas comprehendit. Haec praecipue memoratur: cum enim homo debeat esse quaedam similitudo Dei, quando nos ad Dei imitationem excitamur, sanctitas sola imitanda proponitur: *sancti eritis, quia ego sanctus sum;* non potentia, altitudo, scientia, quam ambierunt Angeli et primus homo, et ideo male perierunt. Hoc igitur age, ut Dei sanctitatem imiteris. Sed quantum abes!

52. Meditatio: *Pro solemnitate Corporis Christi.*

I. *Quis praesens est? Hoc est Corpus meum; hic est Sanguis meus* (Matth. 26). Idem in Eucharistia est Corpus, quod in incarnatione assumptum est; idem Sanguis, qui in cruce effusus. Quanti amoris opus est incarnatio et mors Christi, tanti est sui ipsius exhibitio in Eucharistia. Tantum ergo debes Christo per hanc ad te venienti, quantum totus mundus incarnato et mortuo. O Domine, quis tu es, et quis sum ego? Et tamen, quam

parum tibi obsequii reddo! quam multum mihi ipsi et vanitati!

II. *Quomodo praesens est? — Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus* (Joan. 6, 56). Sub speciebus panis et vini se abdidit Christus, ut nobis incorporaretur, ac sicut nostrum alimentum transiret in substantiam. Vides exinanitionem, vides amorem erga te, quo Jesus vult tecum unum fieri? Quam ergo debet purum esse et immaculatum cor tuum! Quam ab omni creata re avulsum, et uni Deo adhaerens! Qui enim amat alia praeter Deum, quae non amat propter Deum, non amat, ut debet, Deum.

III. *Cur praesens est? — Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo* (Joan. 6, 57). Voluit igitur perpetuus comes esse nostrae peregrinationis, ad quem fidenter accederemus in qualibet necessitate; voluit esse nostrum sacrificium perenne; voluit esse nostrum alimentum, quo crescamus in caritate ad vitam aeternam. Nonne est hoc amoris vere divini argumentum? Numquid non deberet hic cibus omnem meum appetitum explere? Toties hoc pascor, et tamen ad cepas Aegypti, ad oblectamenta sensuum, ad res creatas suspiro! O pudorem! *Anima Christi, sanctifica me; Corpus Christi, salva me,* etc.

53. Meditatio: *Pro festo SS. Cordis Jesu.*

(Feria VI. post octavam Corporis Christi.)

I. Finge tibi Christum, qualis olim Beatae Margaritae Mariae visus est: intuere eum patefacientem divinum Cor suum lancea perfossum, flammis et corona spinea, quam crux supereminet, circumdatum, signorumque illorum mysterium eidem detegentem. Ardentissimi amoris affectu in Eucharistia omnes complectitur Cor Jesu. Quid ibi

Christus agit? Amat homines; amat, inquam, nec quidquam ultra de eo interroges. Amor cruci Christum affixit; at iustitiae iura tum prosequebatur amor; hic vero locum solus obtinet. Amat peccatores Cor Jesu, corda eorum omni modo sollicitans et minis etiam exterrens, ut ad amorem flectantur. Amat imperfectas et tepidas etiam animas, quippe qui illis lucem, robur, laetitiam et pacem mox largiturus sit, modo defectus suos negligentiamque dolentes, amantem Deum redamare tandem serio incipiant. At de Jesu ipso dicite nobis ferventes animae, quam suavis, quam fortis sit amor eius; frequens enim illius vobiscum visitatio, dulcis sermocinatio, grata consolatio, familiaritas stupenda nimis. Cor eius vulnerastis. Jam non, ut tantae sibi laudi tribuebat Propheta, in abscondito faciei suae abscondit vos, sed in abscondito Cordis sui. Quisquis igitur sis, amat te Cor Jesu; in hoc laetare; gratias, laudes, quam maximas poteris, repende; vix enim aliquoties fortasse pro tanto amore te gratum exhibuisti.

II. At quae erga Cor Jesu in Eucharistia hominum affectio? Ecce quot ignorant, propter se ipsos ad tantam humilitatem descendisse Filium Dei. Quanta haereticorum multitudo Eucharistiam aversata, tanti amoris mysterio fidem denegavit! Sed et inter eos, qui fide praesentem in Eucharistia Christum agnoscunt, quot reperias, qui rursum Filium Dei in semetipsis crucifigunt! Quae multorum in domo Dei levitas, irreverentia! — Ad teipsum nunc oculos converte; nonne et tu aliquando, Salvatoris tristitiam aggravans, ab eius Corde defecisti? Et nunc etiam, quis tuus erga ipsum amor? Audi alloquentum suos ut olim Apostolos: *Numquid et vos vultis abire?* (Joan. 6, 68). Quanta iniquitas, si, Christo tot devotus nominibus, tot vinculis adstrictus, eius inimicis te

adiungeres! . . . Qua fronte posses illas excipere amantissimi Salvatoris querelas: *Si inimicus* homo hoc fecisset, *sustinuissem utique, . . . tu vero, homo unanimis, . . . qui mecum dulces capiebas cibos!* (Ps. 54, 13—15).

III. Qui vero Cordis Jesu in Eucharistia sic ab hominibus ingratis inhonorati sensus? Ille quidem Agnus est, qui coram tondente se obmutuit. Si quando etiam de nobis querelas fundit, eae ipsae tenerrimi sunt amoris indicium; qui enim se non amari aegre patitur, ille amat, ille summopere amari desiderat. Haec sunt Christi olim ad Beatam Margaritam Mariam verba: *Ita ingratos esse homines, magis aegre fero, quam omnes Passionis meae dolores: ita id vehementer doleo, ut, si is esset erga me hominum amor, qui meae responderet caritati, quae hucusque perpessus sum, pro nihilo haberem maioraque etiam propter ipsos aggrederer, si fieri posset. At ea liberalitas et clementia cor angustum in eis invenit et frigidum.* (Perpende praesertim et meditare quae sequuntur.) *Idque acerbius Cor meum pungit, ita me inhonorari ab iis, qui mihi devoti sunt.* Haec de te, anima devota; haec dolorem excitent, fervorem accendant; flagrantissimumque in posterum Cordis Jesu moerore et taedio nunquam afficiendi desiderium, atque omni modo iniurias hominum reparandi firmissimam voluntatem iniiciant.

54. Meditatio: *De S. Joanne Baptista.*

I. Ecce poenitens vix ullius peccati conscius, qui, Mariâ matrem visitante, in ipso materno utero ab originali labe fuit liberatus. Quodnam admiserat crimen, cum paucos annos natus iam tum in deserto poenitentiam ageret? Exemplo docet, vel innocentissimis necessariam esse poenitentiam. Tu quid ita fugis poenitentiam, cum puerulus alacer eam

amplectatur? Macte animo; brevi senties, eum, qui Dei causa voluptates valere iusserit, deliciis inexplicabilibus redundare. *Quam suave subito factum est mihi carere suavitatibus nugarum; et quae dimittere metus erat, amisisse gaudium fuit* (S. Aug.).

II. Hoc durius vivendi genus, mature susceptum, ad mortem usque tenuit. Unus debet esse poenitentiae et vitae terminus. Tecum semper corpus; contra te vero et daemon et mundus. Indutias si concesseris, periisti. Cogita infernum, unde recedis; paradisum, quo accedis: et nunquam taedebit te poenitentiae. Constans igitur esto in bonis tuis propositis, neque ob ullam molestiam vel ex taedio ab eis recede.

III. Vana est poenitentia sine humilitate. Joannes Prophetae ac Messiae nomen, aliosque honores reiecit; coram Christo sese abiecit. Deprimas te pariter coram Deo et coram hominibus. Quod facis, quod pateris, nihil est prae laboribus Sanctorum. *Quid prodest tenuari corpus abstinentia, si animus superbia intumescat?* (S. Hier.).

55. Meditatio: *De SS. Apostolis Petro et Paulo.*

I. Viderat Petrus pleraque Jesu Christi miracula. Jesum tamen ter negavit, idque ipso Passionis tempore. Ah! qūanta est humana fragilitas! Cum timore et tremore operemur salutem nostram. Ne tamen desperemus; nos etiam, si respexerit Jesus, salvi erimus. Peccata lugeamus, exemplo S. Petri, cuius ex oculis lacrimarum rivi iugiter erumpebant, cum recordaretur perfidiae suae. *Sacrifica lacrimas tamquam vulnerati sanguinem cordis* (S. Aug.).

II. Saulus ex persecutore fit Paulus Apostolus. Quid sumus? Quid fuimus? Ut vera sit conversio nostra, imitari debemus S. Pauli in via virtutis constantiam; adeo ut citius vita, quam gratia

careamus. *Quis nos separabit a caritate Christi? Certus sum, quia neque mors,* etc. Studeamus pariter eius habere patientiam, animarum studium, humilitatem et in Christum amorem. Audi, quid dicat S. Paulus: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Zelo compensemus defectus et peccata praeterita.

III. Vide, quibus honoribus hi Apostoli in terris nunc afficiantur? Reges, imperatores, summi Pontifices, supplices se abiiciunt ad cineres piscatoris et opificis! Norunt quippe maximam eorum in caelis potentiam et dignitatem. Honorum cupidi! quid prae his honoribus sunt honores saeculi? Si tantus honor sanctitati in terra adhibetur, quid in caelo? Sanctorum virtutes imitemur, et quam consecuti sunt gloriam, nos pariter consequemur.

56. Meditatio: *De visitatione B. M. V.*

I. Considera Virginem, quietis et contemplationis amantissimam, nec aetatis teneritudine, nec itineris longitudine, nec asperitate montium, nec ulla re alia retardari, quominus ad caritatis et humilitatis officia Elisabeth praestanda domo sua abeat. Jam gratia plena erat, iam Dei mater effecta, iam super mulieres benedicta. Quo itaque se altiorem videt, eo magis se demittere atque omnium ancilla esse studet. Pudeat te, tam superbum esse, qui nunquam te demittas; tam frigidum in operibus misericordiae et in proximo iuvando.

II. Cogita, quo caritatis affectu, postposito suo commodo et solatio, ad montes conscendat; qua festinatione properet, nusquam haerens, nusquam vagabunda. Ingreditur tandem domum Zachariae; prior salutat, obsequium defert, illi de Joanne in senectute et sterilitate concepto gratulatur. Sed et quam admirabilis et fructuosa ea et visitatio et salutatio fuerit, expende. Elisabeth repletur Spiritu

sancto; exclamat prae admiratione; agnoscit in virgineo utero conceptum Deum, ipsamque virginem Dei matrem effectam. Joannes accelerato, ut pie cogitare licet, in se divinitus rationis iudicio, in materno utero exsilit, Christum matremque eius salutat, sanctificatur, Deo repletur. Varios hinc concipe affectus et pete visitari a B. V. et eius visitationis fructibus gratiisque gaudere.

III. Considera, Mariam et tam admirandis rebus in sua praesentia effectis et tantis laudibus ac gratiis a sua cognata illi pronuntiatis nihil insolescere, nihil sibi tribuere, se ipsam magis abiicere, in Deum referre omnia, apertoque coelesti cordis sui thesauro, ardentibus in pectore amoris flammis, sublatis oculis et manibus in coelum, profundissima humilitate et devotione ferventissima erumpere in gratiarum actionis voces et admirabile illud Canticum depromere: *Magnificat* etc. Disce hinc omnia bona, si qua in te agnoscis, in Deum referre. Pete a Deo per matris suae merita et suffragia profundam humilitatem, qua libenter aliis servias, fervidam caritatem, qua salutem aliorum promoveas, et exsultationem spiritus tui, qua alacriter omnia officia tua obeas, Deumque rebus in omnibus magnifices et exaltes.

57. Meditatio: *De assumptione B. M. V.*

I. Considera, quam *pretiosa* fuerit *in conspectu Domini* Mariae mors. Quoties illam ipsa exoptaverit, quasi ianuam ad sublimiorem vitam! quomodo illi mors somnus fuit iucundissimus! quomodo non tam aegritudine vel ulla corporis infirmitate, quam amoris sui vehementia, astantibus Apostolis, nec sine dilecti Filii sui praesentia, anima sanctissima castissimo corpore soluta, in eiusdem Filii manus prodiit! Expende, quam iucunda, quam optabilis sit mors eius, qui sancte

vixit; contra vero, quam dura eius, qui male. Vide, qualis tua futura sit, atque id cura, ut, si minus *ex* amore, saltem *cum* amore decedas.

II. Considera, quanta Angelorum omnium exsultatione, quanto plausu et iubilatione praestantissima Virginis anima in caelum, ad SS. Trinitatis thronum usque abierit; quam certatim Sancti omnes gratulati illi sint, gratiasque egerint, quod Filium Dei, Salvatorem suum in utero concepisset, mundo dedisset, omniaque ei obsequia detulisset. Eam et tu cum Angelis in caelum prosequere, et pares cum Sanctis omnibus ei gratias age; tuâ causâ tanta egit et passa est; tuâ causâ in caelis advocatam agit.

III. Considera, purissimum Mariae corpus non vidisse corruptionem, nec in pulverem resolutum fuisse, sed paucis ab obitu diebus animam sanctissimam, divino imperio, ad illud rediisse, illi sese denuo coniunxisse illudque in caelum secum transtulisse. Considera ergo, quo caelestis curiae triumpho, quibus canticis assumpta sit beatissima Virgo in caelum, deducente Filio, cui innixa erat, innumeris Angelorum agminibus Deo suo conclamantibus: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae:* aliis ascendentis triumphatricis pulchritudinem demirantibus: *quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens?* Tandem excipitur a SS. Trinitate, affectu et gaudio incredibili; ab eadem coronatur, totius caelestis curiae domina reginaque declaratur, et in altissimo sibi parato solio prope Filium collocatur, coram ea Sanctis omnibus coronas suas deponentibus et in principem ac dominatricem eam accipientibus. Vide, quod praemium virtuti reddatur! Ita vivas, ut eius particeps fias. Admirare Mariae excellentiam. Eam totis cole praecordiis, et in dominam ac singularem patronam tuam elige, quae hodie a Filio

suo coronatur summa potestate et sapientia et immensa erga homines caritate, quo reginae munere plenissime fungi possit. *Dominare,* o Maria, *nostri tu, et Filius tuus* (Cf. Judic. 8, 22).

58. Meditatio: *De Nativitate B. M. V.*

I. Considera, nascentem Virginem habere progenitores reges, duces, principes, quos tamen sanctitate morum, quae vera est nobilitas, longe superavit. Unde quo nobilior secundum carnem, eo demissior fuit spiritu; quae vera altitudo est, quam altissimus Deus solam respexit et amavit in ea. Pudeat te, tanti dignitatem sanguinis facere, parvi virtutem. Nunc saltem contende, ut gaudium sit in caelo etiam de te, sicut gaudium fuit in solemni die nascentis Virginis, Dei matris futurae.

II. Considera, dulcissimum ipsius nomen eam ut stellam maris, dominam et illuminatricem exhibere. In tempestatibus stella, contra adversarias potestates domina, in divinis rebus magistra est. Ut stella viam caeli nobis aperit, ut domina nos regit ac defendit, ut illuminatrix vel magistra nos docet et instruit. Hinc statuas, eam diligere et colere, ei confidere, ei obedire atque ut placeas studere. — Sanctum eius nomen *non recedat ab ore tuo, non recedat a corde* (S. Bern.).

III. Iam in nativitate Maria ea sanctitate fulgebat, quam cogitando assequi non potes. *Fundamenta eius in montibus sanctis* (Ps. 86, 1). At continua diligentia et perfectissimo usu gratiarum sanctitatem et merita auxit, atque ita ad altissimum fastigium pervenit. Quam procul tu abes ab illa sanctitate! quam incurius in ea servanda, quam piger in ea augenda! tempus perditum aucto fervore in posterum saltem compensare stude; tempus enim breve est.

59. Meditatio: *In festo SS. Rosarii B. M. V.*

Festum SS[i] Rosarii docet nos 1. *recolere mysteria vitae Christi,* 2. *invocare Mariam,* 3. *iuvare Ecclesiam.*

I. Rosarium B. M. Virginis institutum est, ut sub iterata recitatione orationis Dominicae et Angelicae salutationis mente volvamus, quae Christus pro nobis gessit, passus est, meruit et promisit. Hinc distinguitur in coronam gaudiosam, dolorosam, gloriosam. Percurre hac meditationis hora singula mysteria et statue breviter, quos pios affectus imitationis Christi, gratiarum actionis, fervidae petitionis in unione cum Maria ex singulis decadibus haurire possis.

II. Renova imprimis plenam confidentiam in intercessione B. Mariae matris tuae. Repraesenta ei omnes labores, dolores, quos dilectissimus eius Filius sustinuit ac pro te sustinuit: dic matri, ut curam agat, ne haec omnia frustra sint pro te tolerata. Repraesenta ei desideria, orationes, angores Christi Domini, sed simul etiam omnia, quae ipsa mater cum Jesu et pro Jesu tuâ causâ egit et passa est. Per omnia haec obsecra piam matrem, ut ipsa obsecret Filium, ut tibi gratiam perseverandi et proficiendi in bono concedat. Maxime vero, quando in necessitatibus et tentationibus versaris, huic orationi insiste.

III. Verum non pro te solo, sed pro tota Ecclesia, praecipue hodie, preces tuas ad Mariam funde. Maria auxilium Christianorum, toties hostes Ecclesiae profligavit, tum terrenos, tum infernales. Ecclesiam, quam Filius Sanguine suo sibi acquisivit, mater ut pupillam oculi proteget; Ecclesia in eius auxilio, maxime per Ss. Rosarium, plenissime confidit: felix tu eris, si contuleris, ut B. Virgo auxilium, quod latura est, per tuas preces

re ipsâ ferat. — Neque obliviscaris nobilissimae illius partis Ecclesiae, quae in purgatorio patitur. Hodie tam late tibi patet aditus ad thesaurum Ecclesiae per indulgentias reclusum: utere ampla illa potestate pro animabus iustis patientibus; certissime grato animo vices tibi reddent, gratias uberes et auxilium potens a Deo impetraturae.

60. Meditatio: *De SS. Angelis custodibus.*

I. Considera, qui et quales sint custodes Angeli. 1) Quoad *naturam*, sunt creaturae nobilissimae, spiritus ab omni materiae contagione separati, immortales, *pleni sapientia et decore*, etc. Congratulare illis de ipsorum dignitate et excellentia, et cum ipsis confitere Domino. 2) Quoad *locum*, ab ipso mundi exordio, *in deliciis paradisi stant ante thronum Dei*, testes mirabilium eius, quorum perpetua occupantur contemplatione ac laudatione, clamantes ad invicem: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Haeccine occupatio tua in templo sancto? 3) Quoad *munus*, sunt *administratorii spiritus*, ut voluntatem Dei hominibus denuntient. Quam fideliter autem, quam celeriter! De iis intelligi potest illud Jobi (c. 38, 35): *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et reverentia dicent tibi: Adsumus?* Haeccine celeritas tua ad obtemperandum Deo? Et quae fidelitas? attende, dole, et emenda. *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, . . . et non fecit . . ., vapulabit multis* (Luc. 12, 47).

II. Considera, quibus et quam ob rem Deus Angelos custodes hominibus addixerit. 1) Suum unicuique loco assignavit: *Tu ergo ne audeas illo praesente, quod praesente me non auderes. In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe* (S. Bern.). Assignavit omnibus et singulis hominibus: *vide, ne vel unum ex pu-*

sillis contemnas. Assignavit non iis solum, *qui haereditatem capient salutis,* sed ipsis etiam tartaro addicendis: *neminem enim vult perire, sed omnes salvos fieri.* O amorem! O misericordiam! *Perditio* igitur *tua* ex te *Israel.* 2) Causa assignandi prima est imbecillitas humana; quae quanta sit, ex frequentibus tuis erroribus et lapsibus agnosce. Gratias age Deo, *quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Altera causa sunt instantia undique pericula; *adversarius enim vester, diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret.* Vis, ut non accedat ad te malum? Angeli custodis opem invoca. Hoc duce eris securus; *Angele sancte Dei, sit tibi cura mei.*

III. Considera, quam libenter, prompte ac sedulo in hominis obsequium sese impendant Angeli! Exceptum ab utero matris statim in manibus portant, defendunt a periculis. Curant, *ne offendat ad lapidem pedem* suum, id est, ne in peccata impingat. Si impegerit, tamquam amici monent, *arguunt, increpant in omni patientia;* docent, quae necessaria sunt ad salutem; praesto sunt morienti etc. Ex tantis beneficiis quam multa accepisti! Ubi grati animi recordatio? Nonne fecisti saepius rebelli mentis pervicacia, cordis duritie erroribusque, *ut Angeli pacis amare flaverint?* Ingemisce, quia reus es. Observa deinceps custodem Angelum, audi vocem eius. Ora, ut calculo ignito tangat labia tua, maxime cum ad sacram synaxim accedis; *et auferetur iniquitas tua.* Sed age, *quid retribues pro omnibus, quae retribuit tibi?* Reverentiam pro praesentia (inquit S. Bern.), devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Angele sancte mi, si me ipsum tradam tibi in servum, nondum ero dignus providentia tua.

61. Meditatio: *Pro festo Omnium Sanctorum, et pro singulis festis Sanctorum.*

I. Considera aeternam electionem, et illius exsequendae rationem, de qua Apostolus (Rom. 8, 30): *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.* Prima igitur est *electio* gratuita *ante mundi constitutionem,* ut essent *sancti et immaculati in conspectu Dei,* ut in eis ostenderet divitias gloriae suae. Nam cum id omnibus, qui salvantur, conveniat, praecipue illis, quos Deus mirificare voluit etiam in terris. Secunda est *vocatio,* quae varia exstitit in diversis Sanctis et habuit semper quidpiam singulare ac proprium, quod in unoquoque erit observandum. Tertia est *iustificatio,* ubi consideranda sunt specialia cuiusque dona et insignia sanctitatis. Agendae porro erunt Deo gratiae pro donis in eos collatis, gratulandumque ipsismet, nobis autem ex imitatione fructus colligendus. Quarta est *glorificatio,* ubi recoli poterit pretiosa eorum mors et transitus ad beatam aeternitatem. *Similem me fac, Domine, in gloria Sanctorum.* — Agnosce, quae Deus in te similiter operatus est, et cave, ne ea effectu suo careant.

II. Considera, quomodo responderint gratiis sibi datis, exsequentes illud: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me.* Ubi tria continentur: *abnegatio sui, gestatio crucis impositae, sequela Christi,* in quibus Sancti excelluerunt. *Abnegatio* est mortificatio carnis et concupiscentiarum; in hac mirus fuit fervor Sanctorum; nam si quando in peccato vixerunt, id post conversionem acri poenitentia vindicarunt; et si ab initio se custodierunt, nihilominus carni non pepercerunt, sed eam continuo crucifixerunt, nec

solum circa illicita frenarunt, verum etiam circa concessa et licita, ut nempe coelum violenter raperent. *Baiulatio autem crucis* in laboribus pro Dei gloria fortiter subeundis, difficultatibus superandis atque adversis tolerandis praecipue spectatur. Denique *sequela Christi* in studio illum imitandi et voluntatem illius accurate implendi consistit. Ex quibus colliges confusionem tui ipsius et proficiendi desiderium. Si isti et isti, cur non et ego?

III. Considera, quibus favoribus Deus illos affecerit. Huc pertinent *visiones, revelationes, gratiae sanitatum, operationes virtutum,* aliaque dona extra ordinem communem. Deinde in ipsa morte, peculiaris visitatio divina aut Angelorúm et praegustatio caelestis suavitatis. Post mortem autem honores publice decreti et veneratio eis exhibita a potentatibus, qui eos olim forte despexerunt. Praeterea in die iudicii honorifica sessio et exaltatio, praeter id, quod intrinsecus latet. Quae omnia non leviter ac strictim, sed serio et mature consideranda, ut debitus ex iis percipiatur fructus. *Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare* (Esth. 6, 9). Tam liberali domino servis. Num vicissim vere liberaliter?

62. Meditatio: *De Praesentatione B. M. V.*

I. Considera, quanta generositate Maria infans a parentibus Hierosolymam deducatur. Quanta promptitudine et pietate ipsa tenerrima Virgo sese Deo dedicet et offerat! Quanta voluptate sacerdotes Domini nobile istud monile in templum accipiant, et ad conclave illi praeparatum deducant! Ardent omnium animi, parentum, Mariae, sacerdotum. Disce hinc, serviendum Deo a prima aetate, etne tardes unquam voluntatem eius exsequi.

II. Considera SS. Trinitatis eximiam in tam illustris doni susceptione benignitatem. Pater recipit

eam in filiam, Filius in matrem, Spiritus sanctus in mysticam sedem suam. Angeli eam accipiunt in amicam singularem, quacum familiariter agant et colloquantur. Serva te in gratia Dei, ut similibus frui possis bonis: factus enim es etiam tu filius Dei, frater Christi, templum Spiritus Sancti. Num dignitatem tuam servasti?

III. Considera sanctissimam puellulam parentes suos in teneriore aetate relinquentem, ad ignotos euntem, templum pro domo eligentem, primos aetatis flores Deo consecrantem. Sed dein attente considera Virginis vitam, quam in templo degebat, partim lectione, partim oratione, partim externa actione dies transigens; sed omnia incredibili perfectione et purissima intentione. Praeclara virtutis exempla omnibus praebuit, imprimis simplicitatis, humilitatis, obedientiae, temperantiae, abstinentiae, silentii, modestiae, alacritatis ad omnia etc., ita ut ceteris coaetaneis suis admirationi esset, grata omnibus, nulli gravis. Expende, quam longe absis ab his omnibus, et in provecta forsan aetate! Poeniteat te, et Mariam tibi perpetuo imitandam propone.

Oratio ad quemlibet horae pulsum.

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora,
Bonam mortem impetra,
Virgo, Mater, Domina!

Laudes et gratiae sint omni momento Sanctissimo et Divinissimo Sacramento. (Indulg. 100 dierum semel in die; plen. semel in mense: Pius VI. 24. Maii 1776. — Racc. pag. 124.)

Praeparationes ad Missam.

De praeparatione debita.

Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Quod si Deum tentare atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audet in oratione interpellare, non praemissa diligenti et accurata praeparatione, quanto magis eundem sua temeritate et audacia irritabit, qui ipsi unigenitum Filium offerre, ipsumque Angelorum et hominum regem ac dominum suscipere absque praeparatione praesumit? *Praeparare igitur in occursum Dei tui.* Haec autem praeparatio in quatuor potissimum consistit: in vitae puritate, in intentionis rectitudine, in actuali devotione et generali eorum, quae tibi aliisque necessaria sunt, postulatione.

I. Christus Dominus, quamvis Apostolis, quos sacerdotes consecraturus et sacra Eucharistia refecturus erat, diceret: *Vos mundi estis,* illud tamen adiecit: *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*; his verbis indicans, homini, etiam a gravioribus peccatis libero, affectus inordinatos, qui sunt animae pedes, abluendos esse. Etenim si in veteri testamento, ubi huius divinissimi sacrificii umbra tantum erat, sub mortis comminatione sacerdotibus mandabatur, ut ab omni macula et immunditia essent expertes: *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quae consecrata sunt, ... in quo est immunditia, peribit coram Domino;* quo non oportet (verba sunt S. Chrysostomi) esse puriorem sacerdotem novae legis, tali fruentem

sacrificio; quo solari radio non splendidiorem manum hanc *agni immaculati* carnem dividentem; os, quod igne spirituali repletur; linguam, quae tremendo nimis Sanguine rubescit! Cogita, quali sis nsignitus honore, quali mensa fruaris! — O quam mundae debent esse manus, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor erit sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis! (Imit. Christ. lib. 4, c. 11, n. 6)

Atque huius puritatis defectus saepe causa est, cur sacerdotes non pauci tam parvum ex frequenti huius divini sacrificii participatione fructum reportent, adeo ut non immerito hanc Prophetae obiurgationem eis adaptaveris: *Comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati: operuistis vos, et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in saeculum pertusum,* nempe in cor distractum et vanitatibus discissum. Ne tamen omnino diffidas, si perfectam istam munditiem tibi deesse deprehenderis, sed frequenti quotidianorum defectuum confessione et cordis contritione animae tuae labes resarcire satagas.

II. Puritatem internam mentis sequitur rectitudo intentionis, quae efficit, ut hoc sacrificium ad Dei gloriam ordinatum nonnisi ad eandem gloriam, vel quae ad illam spectant, referatur. Qui aliter celebrat, dignus est, qui ab omnibus deploretur, prout etiam S. Bonaventura *(de praeparatione ad Missam cap. 8)* deplorat his verbis: „*Vae, vae, vae, Domine Deus, quanti hodie infelices ... divina mysteria accipiunt non caelestem panem, sed terrenum quaerentes; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quaestum pecuniarum*“; et ita Corpus Domini non tam accipiunt, quam rapiunt, quia accedunt non vocati a Deo, sed impulsi a sua cupiditate et avaritia.

Quin et illud peculiariter cavendum est, ne ex sola quadam arida et insipida consuetudine ad sacrificium offerendum accedas, sed excelsum aliquem et caelestem finem tibi proponas, quales sunt, qui sequuntur: 1. Dei suprema laus et adoratio. 2. Sanctorum in caelis coronatorum religiosa memoria. 3. Peccatorum venia atque remissio. 4. Propriae infirmitatis subsidium. 5. Tentationis amotio. 6. Alicuius boni spiritualis impetratio. 7. Pro acceptis Dei donis gratiarum actio. 8. Auxilium vivorum atque mortuorum. 9. Gratiae interioris augmentum. 10. Perseverantiae in bene coeptis impetratio. 11. Sanctificatio ab omni inquinamento carnis et spiritus. 12. Continuus in virtute et mentis puritate profectus, ut Deo ardentissima caritate adhaereas.

Alii ex septem Orationis Dominicae petitionibus, vel ex septem verbis a Christo in cruce prolatis, totidem fines eliciunt, quos in singulos hebdomadae dies distribuunt.

Quemcumque modum tenueris, id semper cures, ut ex purissima intentione Deo placendi teque illi per amorem uniendi ad celebrandum accedas, valorem quidem Missae ei praecipue applicans, pro quo celebrare teneris, sed tui etiam memor, ut semper in virtute et mentis puritate proficias.

III. Tertium, quod ad bonam praeparationem pertinet, est excitatio actualis devotionis. Haec excitatio in eo consistit, ut sacerdos sit flagrantissimus devotione, quia panem caelestem amore calidum et prunam igne caelesti accensam oblaturus est.

Ignem, inquit Christus Dominus, *veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* In hoc igitur sedulo tibi incumbendum est, ut ardentissimum Christi amorem, cuius *deliciae* sunt, *esse cum filiis hominum,* flagrantissima caritate et devotione

compenses. Vix autem fieri poterit, ut fervida illa devotione non exardescas, si fide viva et intimo sensu sequentia capita mente conceperis.

Primum desumitur ex victima, quae offertur; ipsa est Christus Dominus, verus Deus et verus homo, Salvator et iudex omnium, non iam mortalis et passibilis, sed immortalis et impassibilis; unde ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones transscendit, etiam actus caelitum tanta caritate Deo adhaerentium. Cavendum ergo est, ne tua irreverentia tantae rei oblationem dehonestes.

Secundum desumitur ex persona, cui offertur, qui est solus Deus; nulli enim Sanctorum, nec ipsi Beatae Virgini offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura soli Deo debetur, quia per victimae illius mactationem incruentam agnoscimus, Deum esse rerum omnium auctorem et dominum, profitemurque, nos divinae maiestati totos devoveri cum victima, cuius Sanguinem in huiusce nostri affectus testimonium offerimus.

Tertium desumitur ex modo, quo offertur, nempe ex ipsa consecratione, qua panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi transsubstantiantur, manentibus accidentibus sine subiecto. Est autem illa actio omniño miraculosa, et excedit omnem creaturae virtutem et potentiam, nec a quoquam, nisi a solo Deo, proficisci potest.

Quartum desumitur ex valore ipsius sacrificii, qui ratione victimae infinitus est, sicut merita et Passio Christi, ac in eo sibi aeque placet Deus ut in morte ipsius, licet actualem efficientiam, Deo ita volente, nonnisi finitam habeat.

Quintum desumitur ex fine, propter quem institutum fuit; ut nimirum Deo, Creatori nostro, supremum latriae cultum exhiberemus, nostramque servitutem et subiectionem humillime testificare-

mur, ut dignas ei gratias pro universis beneficiis ab eo acceptis perpetuo persolveremus; ad auxilia divinae gratiae impetranda et Dei protectionem in omnibus vitae huius angustiis comparandam; ad obtinendam peccatorum veniam, ad iram Dei placandam et imminentia flagella avertenda, ad succurrendum omnium vivorum et defunctorum necessitatibus. Uno verbo: *spectaculum factus es Deo et Angelis et hominibus;* cave ergo, ne quid indecens et ineptum in te appareat, quod Dei ac caelestium civium purissimos oculos offendat; item, ne quid agas, quo Ecclesiae militantis in terra et patientis in purgatorio exspectatio defraudetur.

Sextum desumitur inde, quod in hoc incruento sacrificio cruentum illud, quod semel in cruce peractum est, ex quo omnia bona, omnesque thesauri divinae gratiae profluxerunt, non verbis tantum, sed re ipsa repraesentatur et exprimitur; una siquidem et eadem est hostia, idem principalis offerens, idem Christus, qui immolatur; idcirco cum ad Sacrum faciendum te praeparas, fasciculum tibi colligere debes ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini, cordisque medullis inserere, mente et affectu sedulo revolvendo omnia tormenta, quae pro salute nostra perpessus est; haec frequenter in ore, haec semper in corde habeas, et haec tibi sit sublimior philosophia, scire Jesum, et hunc crucifixum (S. Bern. serm. 43 in Cantic.).

Denique ad excitandam devotionem necessaria est humilitas, quae prae ceteris virtutibus in institutione huius sacrificii maxime enituit; item et ingens fames, fervens desiderium atque ardentissimus amor huius angelici panis, ad quem sumendum nos amantissime invitat Dominus dicens: *Venite ad me omnes... et ego reficiam vos.*

IV. Ultimum, quod ad praeparationem pertinet, est generalis postulatio, in qua sacerdos debet esse

largissimus. Quum enim sit persona publica et agat nomine Ecclesiae, communis omnium fidelium matris, cui satisfactionum suarum dispensationem Salvator noster commisit, et personam Christi gerat, qui seipsum in salutem totius generis humani Deo Patri obtulit, debet tam pro se, quam pro aliis orare, iisque necessaria, utilia et profutura postulare; non est enim, quod repulsam aut audaciae sugillationem pertimescat, upote cum offerat Deo Filium suum unigenitum, illi summe dilectum, ac per omnia aequalem; quae quidem victima meriti est infiniti, cuius pretium nullis limitibus terminisve concluditur.

Et quamquam haec res talis est, ut ex cuiusque affectu et devotione pendeat, atque ex sancti Spiritus unctione potissimum habeatur, tamen pauca haec subiiciuntur, quae a viris in hoc genere exercitatis usurpari solent, quae tamen, ne officium publicum cum aliorum taedio nimium extrahatur, privatim potius, ac pro cuiusque opportunitate atque occasione peragenda erunt. Sacerdos quidam pius ac variis occupationibus distractus, nocturno tempore aut certe summo mane postulationes suas ac gratiarum actiones Deo offerebat, omnia sua desideria ad certa quaedam capita revocans ac petens:

1. Ut omnes cogitationes, verba et opera Deo grata sint et accepta.

2. Pro omnibus beneficiis, quae iam accepit, et quae in omnem aeternitatem accepturus est.

3. Pro universis donis sacratissimae Christi humanitati, castissimae Dei parenti, omnibus Sanctis, tam Angelis quam hominibus concessis.

4. Pro vocatione ad religionis vel clericatus statum, pro votis ad Dei honorem emissis, ac talentis tam naturalibus quam supernaturalibus unicuique eorum concessis.

5. Pro collata sacerdotis sanctissima ac sublimissima dignitate, ad quam sustinendam rogat Deum, ut ornamenta omnia ad hoc necessaria conferat, praecipue fidem, humilitatem, timorem, reverentiam, caritatem, ut tantum bonum sine fructu non transeat.

6. Pro omnibus infidelibus, Judaeis, Turcis, haereticis atque schismaticis ad vitam et unitatem convertendis.

7. Pro Ecclesia, eiusque capite summo, Pontifice; pro singulis Ecclesiae ordinibus ac religiosis coetibus, ut ceteros verbo et exemplo instruant et ad bonum promoveant.

8. Pro regibus aliisque magistratibus in officio constitutis, ut quiete, tranquille atque ad Dei gloriam regant commissam sibi rem publicam.

9. Pro omnibus spirituali vel corporali vinculo sibi coniunctis; imo pro captivis, vinctis, aegrotis, tentatis, tribulatis, agonizantibus aut in alia necessitate constitutis; quin et pro inimicis ipsis, quibus ex amore Christi ignoscendum, ac pro quibus laborandum est.

10. Pro animabus omnibus in purgatorio detentis, ut Deus eis refrigerium et sedem aeternae quietis indulgeat.

11. Pro seipso, ut Deus sibi non tantum peccatorum contritionem et remissionem tribuat, sed etiam mortificationem inordinatorum affectuum, simulque fidem, spem, caritatem, item virtutes cardinales, atque appetitus tam concupiscibilis quam irascibilis compositionem, una cum donis Spiritus sancti, quibus ornatus, et ei in hac vita ad extremum usque felicissimum exitum gratus exsistat, et beatifica eius visione, quandocumque ei placuerit, tandem aliquando frui mereatur.

Multum etiam iuvabunt celebraturum quae sequuntur praeparationes. — Quoniam vero ex crebra unius

eiusdemque exercitii repetitione non raro nascitur fastidium, nec possunt omnes habere unum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis placet et convenit, et etiam pro temporis diversitate vel celebraturi statu diversa placent exercitia: varia adiicere visum est exercitia, ex quibus, quo se quisque magis senserit affici, illud seligat.

Praeparationes variae.

Prima praeparatio. (Ex Missali Romano.)

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris. (Tempore paschali additur Alleluia.)

Quae Antiphona festis duplicibus tantum duplicatur; deinde dicuntur Psalmi sequentes.

Psalmus 83. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: rex meus et Deus meus!

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super milia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri etc. Sicut erat.

Psalmus 84. Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti inquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos suos: et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia, et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et iustitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 85. Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifia animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus miserator et misericors: patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adiuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 115 Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eis.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 129. De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Antiph. *repet.* Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris. (Alleluia.)

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Ego dixi: Domine, miserere mei,

R. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

V. Convertere, Domine, aliquantulum,

R. Et deprecare super servos tuos.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Sacerdotes tui iuduantur iustitiam,

R. Et Sancti tui exsultent.

V. Ab occultis meis munda me, Domine,

R. Et ab alienis parce servo tuo.

V. Domine, exaudi etc.

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus, Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos, qui post antecedentes Psalmos, Antiphonam, Versiculos et Orationes recitat die designata unam ex sequentibus septem Orationibus S. Ambrosii Ep. lucratur Indulgentiam *unius anni.* (Leo XIII. — Resc. S. Congr. Indulg. 20. Dec. 1881. — Racc. p. 659.)

Orationes S. Ambrosii Ep.

Die Dominica. Summe Sacerdos, et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara Crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium illud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis:* rogo per eumdem Sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium, rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in Sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua, etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis,

sed sola dignatione misericordiae tuae; doce me, quaeso, per Spiritum sanctum tuum tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet.

Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animae meae. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem; profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiae, et cenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae. Confundantur, qui nos persequuntur: pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria II. Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, caelesti rore benedictionis tuae exstingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quae tibi placeat in veritate: ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrimarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animae puritate istud divinum et caeleste sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua

in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis iunguntur, ubi adest sanctorum Angelorum praesentia, ubi tu es sacrificium et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

Feria III. Quis digne hoc mysterium celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vero scio, et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus iustos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrimarum fonte, cum laetitia spirituali et caelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria IV. Ego enim, Domine, memor venerandae Passionis tuae accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offerri praecepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo, quem acquisivisti Sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditae non recuses, nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemptio. Profero etiam, Domine (si digneris propitius intueri), tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum,

inopiam debilium, desperationem languentium, defectus senum, suspiria iuvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria V. Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quae fecisti. Memorare, quae sit nostra substantia, quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es; ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia praestolantem, aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire, et exaudire delecteris.

Feria VI. Rogamus etiam te, Domine, sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de caelo descendisti et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quae de sancto et glorioso Beatae Virginis Mariae utero est assumpta, et de Spiritu sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit, ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis, et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui

invisibilis, incomprehensibilisque maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrimarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato. Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summae divinitatis participes efficimur; da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut haec caelestia Sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: Si qui manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam, praeter te, sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, et omnem saporem, qui nos semper reficis, et nunquam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te Angelus ore pleno; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de caelo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi

hostes; recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam: ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi; accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum caeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominatium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate

Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saculorum. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Resc. cit. Racc. ibid.).

Oratio S. Ambrosii Episcopi.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio; et quem iudicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis. de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo Sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear sancta sanctorum; et concede, ut haec sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio,

sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Resc. cit. Racc. ibid.).

Oratio ad B.V. Mariam.

O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu; et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus clementer adsistere digneris, ut, tua gratia adiuti, dignam et acceptabilem Hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Leo XIII. Resc. S. Congr. Indulg. 17. Febr. 1883. — Racc. pag. 614).

Oratio ad S. Joseph Sp. B.V. M.

O felicem Virum Beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi Reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre, et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

V. Ora pro nobis Beate Joseph,

R. Ut digni efficiamur etc.

Oremus. Deus, qui dedisti nobis regale Sacerdotium, praesta quaesumus, ut sicut Beatus Joseph Unigenitum Filium tuum, natum ex Mariae Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro saeculo prae-

mium habere mereamur aeternum. Per Christum D. N. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Pius IX. Resc. S. Congr. Indulg. 4. Febr. 1877. — Racc. pag. 613).

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes caelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, praesertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Leo XIII. Resc. S. Congr. Indulg. 20. Dec. 1884. Racc. pag. 634 et 659).

Oratio tantummodo dicenda quando Sacerdos in honorem Sancti, vel Beati Missam celebrat.

O Sancte (Beate) N., ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus, offero nunc sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi pro tuo honore et gloria. Precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, ut tantum Sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, ut eum tecum, et cum omnibus electis eius aeternaliter laudare, atque cum eo regnare valeam. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Resc. cit.).

Directio intentionis ante Missam.

Ego volo celebrare Missam et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi iuxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiae militantis; pro omni-

bus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Indulgentia *quinquaginta dierum* (Greg. XIII. Racc. p. 611).

Praxes applicandi fructum Missae pro petentium diversitate.

Formatam intentionem offerendi sacrificium praeprimis qua latreuticum et eucharisticum sequitur intentio, ante Missam formanda, applicandi fructum eiusdem pro petentium diversitate.

1. *Si Missa petatur in colore alio quam nigro:* Fructum sacrificii, quod iam celebrare intendo, Corpus et Sanguinem D. N. J. Chr. consecrando, applico *primario et principaliter* ad intentionem dantis eleemosynam et illi vel illis, cui vel quibus dans eleemosynam eundem fructum applicari voluerit.

2. *Si Missa petatur pro defuncto, vel pro defunctis:* Fructum sacrificii, quod iam celebrare intendo, *primario et principaliter* applico ad intentionem dantis eleemosynam, et illi vel illis defuncto vel defunctis, cui vel quibus fructum huius sacrificii applicari voluit dans eleemosynam. Quod si ille defunctus non indigeat, vel illi defuncti non indigeant, ad ulteriorem intentionem dantis eleemosynam applico; et tali ulteriore intentione non formata, vel illa locum non habente, conformiter praesumptae intentioni applico illi vel illis, cui vel

quibus dans eleemosynam specialiter et quocumque modo obligatus est. His non existentibus eiusdem proximioribus consanguineis indigentibus; si nec tales exsistant, ipsimet danti applico.

3. *Si Missa fundata sit:* Fructum sacrificii, quod iam celebrare intendo, *primario et principaliter* applico ad intentionem fundatoris, et si *(uti ordinarie praesumitur)* sibi applicari voluerit, ipsi applico; quodsi ipse non indigeat, nec ille nec illi, cui vel quibus applicari voluerit, et si nec ille nec illi indigeat vel indigeant, cui vel quibus fundator est quocumque modo obligatus, tunc his deficientibus applico eius propinquioribus consanguineis defunctis, et his non exsistentibus, eiusdem propinquioribus consanguineis vivis.

4. *Si Missa applicanda est propriae celebrantis parochiae:* Fructum huius sacrificii, quod iam celebrare intendo, applico *primario et principaliter* ovibus a divina providentia curae meae concreditis. Dignare ergo, o Jesu, pastor supreme, peccatores ad te convertere, iustos iustificare adhuc et in accepta iustitia eisdem largiri perseverantiam; infirmos reddere incolumes Ecclesiae tuae sanctae, vel si salus animarum incolumitatem corporis recuset, ad mortem sanctam eosdem praeparare; tentatis cum tentatione dare proventum, ut possint sustinere; afflictis consolationem; in quacumque necessitate constitutis auxilium et liberationem; in uteris maternis existentibus Baptismum; omnesque omni benedictione et gratia replere; ovesque cum pastore ad felicem tandem aeternitatis portum perducere.

Formatae intentioni principali addatur conditionate secundaria: Secundario et salva applicatione primaria, i. e. in quantum possum absque dispendio illius vel illorum, cui vel quibus fructum sacrificii huius principaliter applico, insuper hanc Missam

applico pro N. (vel curae meae concreditis, parentibus meis, benefactoribus, quibus quocumque modo obligor, morientibus et morituris illis et istis . . . defunctis etiam istis vel illis . . .).

Eodem modo offero hoc sacrificium ad laudem et gloriam totius curiae triumphantis, utque Sanctorum virtutes et merita magis magisque innotescant viatoribus, hique aemulentur charismata meliora. Offero pro Ecclesia militante, ut Jesus Christus dignetur eandem pacificare, custodire, adunare, regere et ampliare, iracundiae suae flagella ab eadem removere; sacerdotes sanctificare et ipsosmet hostiam sanctam offerentes in sacrificium et victimam acceptare, domnum Apostolicum, Episcopos, omnesque animarum rectores iustitia induere, ut exemplo simul doceant et verbo; domos illas, in quibus vitae clericalis fundamenta ponuntur, clementissime protegere, regere et conservare, alumnosque earundem sapientia et gratia replere, ut omnigena virtute et doctrina instructi, magis magisque ad maiorem nominis tui gloriam et Ecclesiae tuae sanctae aedificationem proficiant; principibus christianis pacem et concordiam donare, eorumque regimen dirigere, infideles, haereticos, schismaticos et excommunicatos gremio Ecclesiae aggregare, peccatores convertere, iustos adhuc iustificare et in accepta iustitia confirmare, aegrotos aut Ecclesiae salvos et incolumes reddere, aut ad sanctam mortem disponere et praeparare, morientibus donum finalis perseverantiae indulgere, in uteris maternis existentibus Baptismum largiri, in tribulatione et quacumque necessitate constitutis solatium et auxilium impertiri, et omnes demum omni benedictione et gratia replere. Commendo tibi tandem, o Pater misericordiarum, animas in purgatorio detentas, ut infinitis Jesu Christi, Filii tui, meritis, quae tibi pro earum refrigerio et libe-

ratione offero, indulgentiam, quam semper optant, quantocius consequantur.

Oratio ad Deum Patrem.

Respice, clementissime Pater, de sanctuario tuo et de excelso caelorum habitaculo, et intuere hanc immaculatam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, Jesus Christus, Filius tuus, Salvator mundi, pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudine malitiae nostrae, quia vox Sanguinis Domini nostri clamat ad te de cruce. Hic est iustitia mea et sanctificatio ac propitiatio mea. Averte faciem tuam a peccatis meis et respice in faciem Christi tui; eius enim meritum offero tibi, omnemque fiduciam in eo defixam habeo. Impellit ministrandi necessitas, terret conscientia indebiti sacerdotii. Sed rogo te, ne despicias creditae mihi dispensationis officium, licet in me boni operis testimonium non agnoscas. Et quia me indignum mediatorem esse voluisti inter te et populum tuum, ne me repellas a tua pietate cum divinissimis donis tuis venientem ad te, ut inculpate accedens ad gloriam tuam dignus sim, qui operiar protectione unigeniti Filii tui et illuminatione Spiritus sancti tui, atque pro omnibus deprecans pro omnibus exaudiar, te praestante, Pater misericordiarum, qui cum eodem Filio tuo in unitate eiusdem Spiritus sancti vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Dominum Jesum Christum.

Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro ineffabili tua caritate, qua transiturus de hoc mundo ad Patrem, mensam mihi parasti in dulcedine tua, mensam prorsus regalem, omne delectamentum in se habentem, mensam pretiosissimi Corporis et Sanguinis tui, ut adipe et pinguedine repleatur

anima mea et secreto illapsu nutritionis tuae roboretur infirmitas mea. Et unde hoc mihi, gloriosissime Fili Dei, ut me permittas venire ad te et cum ceteris commensalibus tuis epulari? Atque utinam ab omni culpa liber, purus ab omni labe, ab omni vitio purgatus et ab omni inordinata affectione perfecte emendatus essem, ut ad hanc mensam supercaelestem accedere possim fervens caritate, niveus innocentia, et omnium virtutum decore exornatus. Sed quia miserrimus ego sum et omni ornamento destitutus, obsecro te imprimis, benignissime Salvator, cuius caritas immensa est, ut Sanguine tuo animam meam lavare et super nivem dealbare, meritis tuis induere, illoque igne ardentissimo succendere digneris, qui te a nobis discessurum compulit ad hoc vivificum convivium instituendum. Obsecro deinde beatissimam Virginem, matrem tuam, et omnes electos tuos, ut tibi pro me offerant caritatem, fidem et devotionem, qua hoc Sacramentum susceperunt ab initio institutionis eius. Et quia particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium sacerdotum omniumque fidelium hac die celebrantium et communicantium pietatem et puritatem. Offero omnium iustorum ab origine mundi usque ad eius consummationem virtutes et merita ac pios affectus erga te, dulcissime Jesu, in venerabili Sacramento existentem, firmissimae nimirum fidei et vivae apprehensionis earum rerum, quae de hoc maximo mysterio credendae sunt, perfectissimae caritatis et intimae tecum familiaritatis, famis et flagrantissimi desiderii te, omne bonum, suscipiendi, filialis fiduciae et spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata, zeli divinae gloriae et dilectionis proximi, admirationis tantae dignationis et profundissimae humilitatis, gaudii et iubili in te et de te, laudis, gratitudinis, adorationis ac devotionis. Hos, in-

quam, aliosque affectus offero tibi in supplementum insufficientiae meae, et eos, si possem, elicerem cum maxima intentione ad laudem et gloriam tuam, quia dignus es. Suscipe, Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum tuorum, ne a mensa tua repellas me, ut hoc cibo satiatus ac recreatus vitam habeam et abundantius habeam hic et in aeternum. Amen.

Oratio ad Spiritum sanctum.

Veni, sancte Spiritus, amor Patris et Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, moerentium consolator, fulgor intellectus et vindex libertatis. Veni e patria felicitatis, et cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia et defectus tuo igne consumas et omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuae radium, quo illuminante intellectum, quae tibi sunt placita, videam; quo affectum inflammante, ad ea prosequenda tota virtute incumbam. Fac me dignum sacrae cenae convivam meque torrente tuae voluptatis inebria, ut caelesti suavitate in hac divinissima mensa degustata, nihil venenatae mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Roboretur infirmitas mea fortitudine tua, vincat bonitas tua malitiam meam, et deformitas mea tua pulchritudine decoretur! Sursum erige me per aeternorum affectionem, copula tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perseverantiam, ut tuo ductu revolet anima mea ad te, principium et finem suum, a quo nunquam separetur. Amen.

Quia sacerdos aut tacita mentis cogitatione aut submissa vocis expressione commemorat singillatim nomina eorum, pro quibus in illo Sacro vult singulariter orare (prout insinuatur illis litteris N. N. in Canone), ne haec commemoratio ob multitudinem aut incertum ordinem ingerat cele-

branti confusionem, potest ante Missam in anima proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit (Rit. celebr. Miss. VIII, 3); qua in re non inutile erit, sequentem servare ordinem ex gravissimorum doctorum scriptis excerptum et in nonnullas editiones Breviarii et Missalis Romani transsumptum.

Memento, Domine, si tibi placet vivorum:

1. Mei, parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et omnium amicorum meorum;
2. Omnium, quibus fui gravamen, scandalum, et occasio peccandi;
3. Omnium benefactorum meorum in spiritualibus et temporalibus;
4. Omnium sacerdotum et ministrorum Ecclesiae Dei catholicae;
5. Omnium inimicorum meorum ad veniam;
6. Omnium haereticorum et infidelium ad conversionem;
7. Omnium agonizantium et improvise morientium;
8. Omnium mihi commissorum in genere et in specie, et omnium, pro quibus scis et vis me orare debere.

Mortuorum:

1. Animarum parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et omnium amicorum meorum;
2. Animarum, quae occasione mei purgantur in purgatorio;
3. Animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus et temporalibus;
4. Animarum omnium sacerdotum et ministrorum Ecclesiae Dei catholicae;
5. Animarum, quarum non est specialis memoria in terra;
6. Animarum omnium mihi commissarum in genere et in specie;

7. Animarum omnium improvisa morte corporibus exutarum;

8. Animarum omnium in purgatorio existentium, maxime earum, pro quibus scis et vis me debere orare.

Orationes sacerdotis ad lotionem manuum et paramentorum assumptionem.

Cum lavat manus, excitet sinceram contritionem de peccatis, dicens Orationem: Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad amictum, memor probrosi velaminis, quo Christo Domino oculi fuerunt velati, petat fidem vivam et spem firmam, dicens: Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad albam, memor albi vestimenti, quo stulti instar illusus fuit Christus, petat vitae innocentiam et intentionis puritatem, dicens: Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in Sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.

Ad cingulum, memor funium, quibus in horto Christus fuit ligatus, postulabit angelicam castitatem, dicens: Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Ad manipulum, memor funium et flagellorum, quibus Christus fuit ligatus et caesus, petat zelum apostolicum et commiserationis affectum, dicens: Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.

Ad stolam, memor Christi ad columnam et crucem affixi, postulabit heroicam obedientiam et resignatio-

nem, dicens: Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis; et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad casulam, memor purpureae vestis, qua ut fictus rex illusus fuit Christus, petat perfectam caritatem, dicens: Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Altera praeparatio ad Missam.

Affectus ex divinis litteris et sanctorum Patrum scriptis collecti, quibus sacerdos ad pie ferventerque celebrandum facile disponitur.

Cogita Angelum custodem te sic alloqui et monere: Ecce, magister adest et vocat te: festinans descende, quia hodie in domo tua oportet manere illum. Haec est dies, quam fecit tibi; exsultes et laeteris in ea. Ecce, sponsus venit, exi obviam ei: veni et propera, mirabitur et dilatabitur cor tuum. Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus; holocausta medullata offeras illi, ut domum suam scopis mundatam inveniens benedictionibus dulcedinis te repleat. O si scires donum Dei, et quis sit ille, qui venit ad te, quanto celerius properares! quanto ferventius praeparares cor tuum in adventu illius! Verum accede et illuminare.

Excita fidem: O Jesu! tu, ipsa veritas, dixisti: hoc est Corpus meum. Credo, Domine, vere tu es Deus absconditus; tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et quem pastores et reges procidentes adoraverunt. Adauge fidem meam, ut, te cognoscens Jesum Christum, praeparem cor meum, ac ea, qua par est, te recipiam reverentia

et humilitate; praestet fides supplementum sensuum defectui.

Deum adora: Rex regum et Dominus dominantium! Mi Domine et Deus! Tu solus altissimus, et substantia mea tamquam nihilum ante te, Tibi, regi saeculorum immortali, soli Deo honor et gloria! Adoro te ut principium et finem; omnis terra adoret te et psallat tibi. Adorate eum, omnes Angeli eius.

Admirare: Magnus Dominus et laudabilis nimis! quae parasti in dulcedine tua pauperi, Deus! quam suavis est spiritus tuus! Caro tua vere est cibus, et Sanguis tuus vere est potus! O res mirabilis! Revera, non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu, Deus noster, ades nobis. O dulcissime Jesu! unde hoc mihi, ut tu, mi Domine, venias ad me? Quis ego sum, Domine Deus, et quae domus mea? Si enim caelum et caeli caelorum te capere non possunt, quanto minus domus haec? Quid est homo, quia magnificas eum, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum? Quam bonus Israel Deus!

In spiritu humilitatis accede ad Deum, qui humilibus dat gratiam: Tu, Rex caeli et terrae, sanctus, sanctus, sanctus, in cuius nomine omne genu flectitur, tu ad me venis, qui pulvis sum et cinis? tu me invitas pauperem servum et humilem? Quis audivit unquam tale quid? Tu, candor lucis aeternae, tu ad me venis? Ad me, qui apponens iniquitatem super iniquitatem, millies te denuo quasi crucifixi. Confusio faciei meae cooperit me. Exi a me, Domine, quia peccator sum; vere non sum dignus, ut intres sub tectum meum; quinimo non sum dignus, qui vocer filius tuus, quia peccavi in caelum et coram te, gratiam tuam tuumque Sacramentum in vacuum recipiens, et servire te

faciens iniquitatibus meis! Exi igitur a me, Domine! Attamen si propter nimiam caritatem tuam desiderio desideres intrare in cor meum tu Domine, qui ornasti caelos, fac cor meum immaculatum, ut non confundar; aspice in me, et miserere mei, o Deus! „O mi Jesu, misericordia!“ „Dulcissime Jesu, non sis mihi iudex, sed salvator.“

(Indulg. 100 et 50 dier. *toties quoties.* Racc. 78.)

Accede at Dominum cum timore, at etiam cum fiducia: Hortaris nos, o Jesu, ut frequenter comedamus panem et bibamus vinum, quod miscuisti nobis; sed vicissim tuae severitatis exempla me absterrent. Nonne metuere debeo, ne cum Oza et Bethsamitibus peream ad contactum et conspectum arcae sanctissimi tui Corporis? Timeo, ne non habeam vestem nuptialem, neve ea exutus mittar in tenebras exteriores. Ecquid igitur faciam miser? Si me elongaverim a te, peribo; si indigne manducaverim et biberim, iudicium mihi manducabo et bibam; quid faciam? Undique mihi sunt angustiae, et quid eligam, ignoro. — Carissime in Christo frater, spera in Deo, gaude in Jesu tuo, qui non venit vocare iustos, sed peccatores; vocavit ad cenam magnam pauperes ac debiles, caecos et claudos; hos compulit intrare; talis est Jesus; modicae fidei, quare dubitas? Nonne bonitas eius praestabilis est super malitia tua? Surge igitur, si gravis peccati conscientiam non habes, veni, qui laboras et oneratus es; ille reficiet te. Ecce tibi panis caeli adversus omnes, qui tribulant te; vere trepidas timore, ubi non est timor; accede cum fiducia; culpae quotidianae, quas ille permittit, ut sis fervens et humilis corde. non debent te absterrere, praesertim si absit affectus et adsit vincendi conatus. Surge velociter, grandis enim tibi restat via; comede, ut in fortitudine cibi illius ambules usque ad montem Dei; hoc cibo

confortatus ab inimicis salvus eris et vives in aeternum. — O verba bona et dulcia! O verba consolatoria! Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi; quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Nonne audisti vocem dilecti tui pulsantis? annon te ad se suaviter trahit? Quid times? O Jesu! quis intelligit misericordias tuas! quis similis tibi! — Vere areret cor meum, et praevaleret inimicus meus adversus me, si oblivisceret comedere panem meum; introibo igitur ad altare tuum, quoties, te propitio, nihil mihi conscius ero. O Jesu, refugium meum! ad quem ibo? tu solus verba vitae aeternae habes; tu solus consolaris nos in omni tribulatione nostra. Unus igitur sit dolor meus, hac esca privari (S. Chrysost.) — Fiducialiter agam in te, et non timebo, o Salvator mi! Tu es spes mea, tu es vita animae meae; beatus homo, qui sperat in te.

(Si tempus non suppetit, hic claudi potest praeparatio; vel etiam sumi possunt solae sequentes aspirationes.)

Accede ad Dominum animo contrito: Infelix ego homo! Tibi soli peccavi. Quid vilius? Quinimo iniquitates meae multiplicatae sunt super capillos capitis mei. Vae mihi! cum essem notus tuus, dulces tecum capiens cibos, magnificavi super te supplantationem, nec cognovi tempus visitationis meae; ego nequam fui, quia tu bonus; quid detestabilius? quis igitur dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum et plorabo die ac nocte. — Doleo, Domine, quia peccavi nimis in vita mea; doleo de peccatis, quia bonus es tu et quia non Deus volens iniquitatem tu es; doleo propter te, o dilecte mi; sed maxime doleo, quod parum doleo; doleam vehementius! Miserere mei, Deus, quoniam in te confidit anima mea; ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo; et quamvis, ut confido, iam mundatus

sim, amplius lava me ab iniquitate mea, ut introire identidem possim ad altare tuum, ubi, ut confido, renovabis iuventutem meam; ne confundas me ab exspectatione mea. — Nolo amplius peccare, etiamsi oportuerit me millies mori. Deducat me ac teneat dextera tua, Domine Jesu; diffidam mihi et fidam in te, qui cognoscens figmentum nostrum das fortitudinem plebi tuae.

Dilige Dominum Jesum, qui, cum dilexisset te, in finem dilexit te: O dulcissime Jesu! deliciae tuae sunt, esse cum filiis hominum; Sacramentum hoc instituisti, ut cum illis esses usque ad consummationem saeculi! O Jesu! tu me amanter invitas ad tuum Sacramentum, ut manducans hunc panem, qui confirmat cor hominis, et bibens illud vinum germinans virgines, maneam in te, et tu in me, ac vivam in aeternum! Dulcis amor! quis non diligat te, o totus desiderabilis! Anathema illi, qui non amat te, o totus amor, o totus amabilis. — O ignis, qui semper ardes, et nunquam extingueris, accende cor meum. O amor! da, ut anima mea liquefiat tui amoris igne. O Jesu, amor meus, pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio. Diligo te, o dilecte mi, ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex totis viribus meis; diligo te, o fortitudo mea, o Jesu, quia es totus amabilis, et quia prior dilexisti me. Moriatur cor meum, si non vivat amore tui. Ecce, voluntarie sacrifico tibi, et praebeo cor meum; omnia mea tua sunt; sis tu dilectus meus mihi, et ego tibi. Quid mihi hac mutua dilectione carius? quid mihi suavius? O Deus caritatis! o vita animae meae! diligam te, non verbo tantum et lingua, sed opere et veritate. Idcirco paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam iudicia iustitiae tuae, et animam meam ponam pro te.

O amantissime Jesu, utinam nec vita nec mors separent me a caritate tua! Diligo etiam proximum meum sicut meipsum; diligo et inimicos meos propter te; ne ulciscaris eorum peccata.

Ardenter desidera, quem diligit anima tua: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria tua; in te, mi rex et Deus, in te exsultat cor meum et caro mea. O panis Angelorum! quo saepius edo te, eo ardentius esurio. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus, ita sitit in te anima me, o desiderate cunctis gentibus. — Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram? o Deus cordis mei! o centrum animae meae; quam bonum est adhaerere tibi, Deo meo; cetera vanitas et afflictio spiritus. Veni ergo et noli tardare, o requies mea et dulcis hospes animae meae; anima mea sicut terra sine aqua tibi; sed apud te est fons vitae; veni, o Jesu, ut hauriens ego in gaudio de fontibus tuis aquam salientem in vitam aeternam, non sitiam in aeternum. O Jesu, fructus benedictus ventris Virginis Mariae! de toto corde meo exquisivi te; veni, veni, dilecte mi; veni, et iam me nemo despiciat. O Jesu, pater orphanorum, iudex viduarum et defensor vitae meae, vide afflictionem meam, quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus. Veni, Domine Jesu, salva de ore leonis et de necessitatibus animam meam; si tu, Deus, pro me, quis contra me? Ecquando consolaberis me, o Deus totius consolationis, et convertes planctum meum in gaudium mihi? Si moram feceris, exspectans exspectabo te quidem Dominum meum; sed tandem urgebo meipsum, ut te inveniam et teneam, quem diligit anima mea; tunc plenius gaudebo, et exsultabo in te, Jesu meo. Exsurge igitur, Christe, adiuva me; anima mea ex-

sultabit in te et delectabitur super te, salutari meo; plenum erit gaudium meum. Veni, refugium meum, veni; paratum cor meum, Deus; aut saltem, o Jesu, qui sanctificasti tabernaculum tuum, praepara ipse cor meum; praeparationem cordis mei audiet auris tua, et mirificabis misericordias tuas, quae a saeculo sunt.

Considerationes piae pro singulis hebdomadae diebus.

Die Dominica. *Considera Christum ut regem.* O rex gentium et desiderate earum, tu solus es dignus accipere divinitatem et honorem. O mi rex et Deus; bonorum meorum non indiges, et tamen desiderio desideras, ut Pascha novum manducem. Eia ergo, o rex pacifice, procede et regna: dominare in medio inimicorum tuorum; adveniat regnum tuum, o princeps pacis! Nonne tibi subiecta erit anima mea? immo, o rex regum, obediens ero tibi usque ad mortem; da quod iubes, et iube quod vis!

Feria II. *Considera Christum ut patrem.* O abba, pater! tu vides, quomodo misereatur pater filiorum suorum. Nemo tam pater, quam tu; manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me! redemisti me in Sanguine tuo et cibas me ex adipe frumenti, nempe Corpore et Sanguine tuo; grandis misericordia! — O pater misericordiarum, qui non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat; veni! sed veniat tecum super me misericordia tua, ut repletus adipe et pinguedine Corporis tui, frumenti electorum, te patrem meum honorificare et tamquam filius sapiens te laetificare possim. Quid amplius a filio pater exoptat?

Feria III. *Considera Christum ut magistrum.* O Jesu, via, veritas et vita, o Jesu, veni in cor meum; bonitatem et disciplinam et scientiam doce me; loquere ad cor meum, cum intraveris sub tectum

meum; audiam, quid loquaris in me, Domine mi; eloquia tua, eloquia casta; ignitum eloquium tuum vehementer; quidni servus tuus diligat illud? nonne illud est dulce super mel ori meo? Interim, o praeceptor, ecce sto secus pedes tuos, audiens verbum tuum: da servo tuo cor docile, ut custodiam sermones tuos.

Feria IV. *Considera Christum ut medicum.* O Jesu, vere languores nostros tuo livore sanasti: ego sum infirmus ille, ad quem sanandum de caelo descendisti; ecce languet tepida anima mea; ecce iacet in domo mea paralyticus, anima mea; sana animam meam, quia peccavi tibi. Ecce quem amas, infirmatur; descende priusquam moriar; non est opus valentibus medico, sed male habentibus; ergo veni et dic animae meae: salus tua ego sum. O pie Samaritane, infunde vulneribus meis vinum contritionis et oleum misericordiae. — O lux vera, quae illuminas omnem hominem, miserere mei; fac, Domine, ut videam. O Jesu, salus mea! ecce ego leprosus; sed si vis, potes me mundare; dic mihi: mundare; vivet anima mea et laudabit te. O Jesu! si solummodo pertransiens curabas omnes, si umbra Petri curabat infirmos, nonne ego confidere debeo, intrante te sub tectum meum et in me inhabitante cum plenitudine divinitatis, me sanatum iri ab infirmitate mea, quamvis sit infirmitas ad mortem? Adauge fidem meam, ut fides mea me salvum faciat. — Veni igitur, Deus salutis meae; iam imperante te morbis meis, derelinquet me febris superbiae, iracundiae, teporis; exsultabit cor meum in te, salutari meo. — Verum, ne quid deterius contingat mihi, da, ut, postquam sanus factus fuero, non amplius peccem. Vae mihi! quam vilis fierem iterans vias meas? Heu! hoc premor periculo; operi manuum tuarum porrige dexteram.

Feria V. *Considera Christum ut pastorem.* O Jesu, pastor bone, qui cognoscis oves tuas, et pro illis animam tuam posuisti, easque in gremio cordis tui pinguedine tua reples, quaere servum tuum; erravi sicut ovis, quae periit; video lupum venientem, et iamiam me rapientem. Eia ergo, veni, defensor vitae meae; propera; rege me, et nihil mihi deerit in loco pascuae, in circuitu mensae tuae, ubi me collocasti. Salva a cornibus unicornium humilitatem meam; custodi me, Domine, ut pupillam oculi; o Jesu, dulcissime protector mi! tu es refugium meum in hac terra deserta, invia et inaquosa. Jacto super te omnem curam meam; contendam ego semper sequi viam arctam et bonam, per quam ambulem, et tu, dux meus, propter nomen tuum deduces me et enutries me; sub tegmine alarum tuarum sperabo, donec adduces me ad pascua vitae aeternae.

Feria VI. *Considera Christum ut redemptorem.* O Jesu, redemptor piissime! dilexisti me, tradidisti teipsum pro me, et lavisti me in Sanguine tuo, ut me redimeres ab omni iniquitate! O mirabilem misericordiam! — O agne immaculate, non solum redemisti me pretioso Sanguine tuo; sed etiam hunc Sanguinem tradidisti mihi bibendum, ut amplius lavarer ab iniquitatibus meis, et ut, super nivem dealbatus, iam in hoc deserto potarer torrente voluptatis, et mundus corde te viderem in caelo. O magnum pietatis Sacramentum! O redemptor clementissime, redime mi et miserere mei; vides, quia non est, qui redimat, neque qui salvum faciat; sed apud te, Domine Jesu, misericordia, apud te est copiosa redemptio; proba me et scito cor meum, et si via iniquitatis in me est, lava me in Sanguine tuo, antequam accedam ad altare tuum, ne bibens indigne Sanguinem tuum, bibam iudicium meum. Ne mihi hoc accidat: „bonum ei esset, si

natus non fuisset.“ O Jesu dilecte, candide, rubicunde, admitte me propitius intrantem in sancta sanctorum per Sanguinem tuum; calicem salutaris accipiam, nomen tuum invocabo et salvus ero.

Sabbato. *Considera Christum ut sponsum.* O sponse Sanguinum! sponsa me tibi hodie in misericordia et miserationibus. — O Jesu amator, speciose prae filiis hominum! trahe me post te funiculo caritatis tuae. O Jesu, zelator animarum: ignis consumens, qui facis Angelos tuos spiritus, ministros tuos ignem urentem, veni, ure renes meos et cor meum; ignem venisti mittere in terram, et quid vis, nisi ut accendatur? — Veni, o sponse mi; veni, qui amore mei langues; ecce aret cor meum, refrigescit caritas mea, idcirco ecce venio obviam tibi, ut, veniente te, o dilecte mi, ardens fiat cor meum et liquefiat igne tui amoris. — Veni, Domine Jesu, et sicut igne examinatur et probatur argentum, ita amoris tui igne examina cor meum, ut non inveniatur in me iniquitas. „Jesu, Deus meus, super omnia amo te.“ (Indulg. 50 dier. *toties quoties*: Racc. p. 79.) Amo te, mi Jesu, et si adiuveris me, Deus salutaris meus, aquae multae non poterunt exstinguere caritatem.

Tertia praeparatio ad Missam.

O summa et adoranda Trinitas, una, vera et aeterna Deitas, Deus, Creator, Salvator et Gubernator summe potens, sapiens, bonus, iustus et misericors! ego, creatura tua, quamvis indigna, te laudare et tibi servire desidero, quia ad te laudandum creatum et singulari gratia tua vocatum me recognosco. Sed quis tu? Deus ac Dominus omnium, rex caeli et terrae, magnus et laudabilis nimis, ego vero vilis terrae vermiculus, pulvis et

cinis, et, quod indignius, toties erga te inobediens et ingratus peccator; et quomodo ausim venire ad sacrificandum tibi et confitendum nomini tuo, Domine! Verum sacrificium tibi gratum est spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; doleo itaque ex toto corde, quod unquam offendi te, o mi Deus et summum bonum meum. Averte, quaeso, faciem tuam a peccatis meis, et respice in faciem Christi, Filii tui unigeniti; hic est enim dilectus, in quo tibi bene complacuisti, quem caelestibus thesauris tam large cumulasti, ut de plenitudine eius nos omnes acciperemus.

Ego itaque, licet indignus peccator, attamen per gratiam tuam sacerdos et servus tuus, offero tibi, o summe Deus, sacrificium Corporis et Sanguinis Domini mei Jesu Christi, idque facere summopere desidero cum omni affectu, fervore et desiderio, quo illud unquam obtulerunt Sancti tecum nunc gaudentes in caelo, aut offerunt pii etiamnum viventes in terra; in unione quoque immensae illius caritatis, qua sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum nobis dares; in unione amoris, quo ipse de sinu tuo venit in uterum Virginis et homo factus est; in unione sacrificii admirabilis, quod idem Unigenitus tuus, in ultima cena, coram discipulis suis instituit, et tandem in cruce moriens consummavit. Et simul offero tibi pretium Sanguinis eius, cunctosque labores, dolores et omnem thesaurum caritatis eius, merita quoque beatissimae matris eius, omnem fidem, spem et caritatem iustorum, omnem humilitatem et mortificationem vere poenitentium, omnes gratiarum actiones et laudes, quas tibi universa Ecclesia, tum militans in terris, tum triumphans in gloria persolvit. Et primo quidem illud offero ad summam divinae et aeternae maiestatis tuae gloriam, cultum et adorationem

tibi velut supremo Deo, Domino ac rerum omnium auctori debitam; in honorem quoque et commemorationem sacratissimae humanitatis, incarnationis, nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis Domini nostri Jesu Christi. Deinde offero tibi hoc sacrificium in gratiarum actionem pro tam admirandis donis et charismatibus sanctissimae humanitati Filii tui Jesu Christi collatis, et pro pietate illa magna nimis, qua illum nobis in patrem ac magistrum, advocatum ac mediatorem dedisti; pro innumeris gratiae donis et virtutibus, quibus ornasti beatissimam Virginem, Filii tui matrem, sanctos Angelos et omnes electos tuos, et inter ceteros sanctum N., cuius (vel sanctos NN., quorum) hodie festum seu memoriam celebrat Ecclesia; etiam pro omnibus beneficiis tuis et auxiliis gratiae, toti congregationi fidelium tuorum, in genere vel in specie collatis, et iis maxime, quibus praedestinatos praevenis et prosequeris, eosque efficaciter in finem suum dirigis. Peculiares quoque gratias per hanc gratissimam oblationem Filii tui ago tibi pro omnibus beneficiis tuis, mihi a principio vitae meae in hanc usque horam tam liberaliter praestitis, praecipue vero, quod me indignum peccatorem, nullo meo merito, sed solo beneplacito bonitatis tuae, ad hoc officium sacerdotale, ipsis etiam Angelis venerabile, ad haec, inquam, sacrosancta mysteria Corporis et Sanguinis Filii tui tractanda ac dispensanda, inter ministros tuos assumere dignatus fueris, ad laudem et gloriam nominis tui et ad fidelis populi salutem.

Praeterea, quia Filius tuus est propitiatio pro peccatis nostris et totius mundi, offero tibi, o summe Deus, hoc sacrificium etiam in expiationem peccatorum et satisfactionem pro iniuriis, contumeliis, blasphemiis ut peccatis omnibus, quae passim in toto mundo fiunt contra gloriam nominis

tui, heu, quam multa et gravia! sed maior est apud te misericordia, et copiosa apud Filium tuum redemptio; imo copiosior omnibus mundi criminibus satisfactio eius. En Sanguis Filii tui clamat ad te de terra, utique non vindictam, sed veniam. Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemit Filius tuus Sanguine suo.

Denique, quia in hoc mysterio ipsum omnis gratiae fontem et totius nostrae salutis auctorem tractamus, offero tibi hoc sacrificium Filii tui, ut per eius Sanguinem et nomen petentes impetremus, quod nostris meritis non valemus.

Propter hunc itaque respice Ecclesiam, sponsam eius, eamque tibi sine macula et ruga speciosam exhibe; fidem, spem, caritatem ei adauge. Persecutorum et hostium eius contere superbiam, haereses et sectas extermina; populis a fide alienis veritatis tuae lucem infunde, eosque adduc in ovile tuum, ne pereant tot animae ad imaginem tuam creatae et Sanguine Filii tui redemptae.

Provide Ecclesiae tuae praesules et pastores fideles, seu operarios strenuos et irreprehensibiles, qui sollicite vigilent in custodia gregis sibi commissi, et exemplo Filii tui, summi pastoris, etiam non dubitent, animas suas ponere pro ovibus suis.

Da universis, quos in clerum et religiosae vitae statum vocare dignatus es, morum ac vitae sanctimoniam; zelum honoris tui et proximorum salutis in eis accende, ut fideles inveniantur ministri tui et dispensatores mysteriorum tuorum. Supplico tibi etiam, o rex regum, pro regibus, principibus et magistratibus christianis; ut des eis pacem et concordiam, zelum et amorem iustitiae, fidelem subditorum curam, in fide et Ecclesia tuenda constantiam; respice propitius super omnes congregationes illis commissas, et omnia membra Ecclesiae et civitatis

clemens protege, ut, qua quisque vocatione vocatus est, in ea tibi digne et laudabiliter serviat. Da iustis perseverantiam, proficientibus fervorem, sed praecipue peccatoribus poenitentiam. Tu enim non delectaris in perditione morientium, sed, ut mortui viverent, Filium tuum mori voluisti. Trahe ergo ad te peccatores funiculis caritatis tuae; nec enim venire poterunt, nisi caritas tua traxerit illos.

Exaudi, o clemens, vota et desideria parentum, cognatorum, amicorum, benefactorum et imprimis eorum, quorum mihi cura singulariter incumbit, quorum animae mihi commendatae sunt et de quibus aliquando rationem exiges a me. Dirige omnes, quaeso, in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiant et tota virtute perficiant.

Intuere omnes tentatos, aegros, in angustiis et periculis positos; esto benignus consolator afflictorum et pater pupillorum, clemens quoque iudex viduarum et protector omnium fidelium christianorum, quia ad te sunt oculi omnium, donec miserearis eorum. Inimicis quoque nostris parce, Domine; fac, ut ament te super omnia et proximos propter te.

Respice quoque ad animas in purgatorio detentas (N. et N., quibus tu scis me magis obligatum); sit illis plenum refrigerium per hoc magnum salutis nostrae pretium, id est Sanguinem Filii tui, cuius una guttula cuncta totius mundi sufficiens est expiare delicta.

Ecce, Domine, quia voluisti me fungi sacerdotio, pro his omnibus legatione fungor apud te; omnes a me exspectant elevationem manuum mearum, sacrificium hoc incruentum; utinam dirigatur sicut incensum in conspectu tuo.

Verum, o Domine, quia sum ipse circumdatus infirmitate, quomodo laudabo te, cum non sit spe-

ciosa laus in ore peccatoris? aut quomodo pro alienis peccatis intercessor impetrabo veniam, qui de propriis non sum securus? Ecce itaque unicus advocatus et mediator noster, qui et condigne laudat te et interpellat pro nobis, Filius tuus! Ille enim nobis sacerdos et hostia, offerens et oblatio; ille agnus innocens, in quo macula non est, nec dolus inventus est in ore eius; ille clamans ad te meretur exaudiri pro reverentia sua: ille infinitum tibi thesaurum et pretium exhibet pro votis, necessitatibus, angustiis et periculis omnium, pro quibus ipse tibi factus est obediens usque ad mortem, et velut pastor bonus posuit animam suam.

Per eum itaque da et mihi, ut hunc statum, ad quem me vocare dignatus es, virtutibus illi debitis ac necessariis, velut caritate, zelo, castitate, mansuetudine, humilitate etc. diligenter excolam. Tu me fac, qualem me tibi vis habere ministrum; iuva, Domine, et quod vis, iube. Quis enim mundum ex immundo faciet? nonne tu, qui ex nihilo fecisti omnia?

Ideoque rogo te, Domine, ex intimo corde meo, ut per virtutem Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi iungas et incorpores me illi intime, ut unus cum ipso efficiar spiritus, ut ille in me et ego in ipso maneam, nec quicquam sit, quod me nunc aut in aeternum separare queat a caritate, quae est in Christo Jesu, Domino nostro. Amen.

Quarta praeparatio ad Missam.

Actus contritionis. Domine, mi Deus, propitius esto mihi peccatori. Poenitet me peccasse; cupio emendare, quod feci. Aufer a me, quaeso, omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore, valeam ad sancta sanctorum introire.

Actus fidei. Domine Jesu Christe, qui es sacerdos in aeternum, quique dixisti: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meis vere est potus, ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et in hoc Sacramento praesens redderis. Adauge mihi fidem.

Actus spei. In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei, et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

Actus caritatis. O quanta vi amoris cor tuum flagravit, amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem, mensam parasti nobis, habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis! Pro hac tua ineffabili benignitate amo te; et ut nunquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es.

Actus desiderii. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator mi, Domine Jesu. Trade te mihi et sufficit; nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo et sine visitatione tua vivere non valeo.

Actus humilitatis. Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus! quis es tu, et quis sum ego, ut digneris venire ad me et mansionem apud me facere? Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea!

Intentionum directio. Intentio generalis. Domine, Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima cena et in ara crucis sacrificium Corporis et Sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo; complaceat sibi, o Jesu, in te, et per te propitius nobis sit in vitam aeternam. Amen.

Ego volo celebrare Missam etc. *ut sup. pag. 103.*

Intentio personalis. Ego per hoc sacrosanctum Missae sacrificium volo venerari et colere specialiter mysterium, v. g. Incarnationis etc., vel sanctum N. etc., gratias agere praesertim pro beneficio, v. g. Baptismi, Ordinis sacri, etc., veniam exorare imprimis de peccato, v. g. superbiae, luxuriae, etc., tandem impetrare virtutem, v. g. humilitatis, castitatis, patientiae, etc. Accepta sit tibi Domine, haec intentio mea, et a te rata habeatur.

Intentio ministerialis. Ego volo Sacrum facere principaliter pro N., pro quo teneor celebrare, ut, quae iuste postulat, consequi mereatur. Domine, suscipe, serva et miserere. (Cfr. pag. 104—106.)

Oratio ad postulandam mentis puritatem. (Ex Sacramentario S. Greg. num. LXVIII.) Fac me, quaeso, omnipotens Deus, ita iustitia indui, ut in Sanctorum tuorum merear exsultatione laetari; quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar sacerdotum tibi placentium, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriae conscientia gravat. Per Christum etc.

Oratio ab impetrandam devotionis gratiam. Domine, Deus, bonitas infinita! quis ego sum, ut audeam ad te loqui? Ego sum pauperrimus servulus tuus et abiectus vermiculus, multo pauperior et contemptibilior, quam scio et dicere audeo; memento tamen, Domine, quia nihil sum, nihil habeo, nihilque valeo. Tu solus bonus, iustus et sanctus. Tu omnia potes, omnia praestas, omnia imples, solum peccatorem relinquens inanem; reminiscere miserationum tuarum, Domine, et imple cor meum gratia tua, qui non vis vacua esse opera tua. Noli avertere faciem tuam a me: noli visitationem tuam procrastinare; noli consolationem tuam abstrahere,

ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ministra devotionis aquas ad irrigandam faciem terrae (i. e. animam meam), ad producendum fructum bonum et optimum. Eleva mentem pressam mole peccatorum, et ad caelestia totum desiderium meum suspende, ut gustata suavitate supernae felicitatis, pigeat de terrenis cogitare. Amen.

Oratio ad B. M. V. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Virgo Maria, inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam grata, nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. O domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen. *(S. Bernardus.)*

Oratio ad omnes Sanctos. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes caelorum, Cherubim ac Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, maxime vos, quorum hodie memoriam agimus, succurrite mihi, quaeso, vestris precibus, ut hoc sacrificium viva fide, ferventi caritate et plena devotione perficiam, perque eius continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Conclusio. Domine Deus, modica, heu! nimis et

imperfecta valde ista praeparatio mea ad opus tam excellens; idcirco offero tibi sanctitatem et virtutes dilectissimi Filii tui, simulque beatae semper Virginis Mariae et omnium Sanctorum fervorem et devotionem, ut illorum merita suppleant, quidquid mea non valet infirmitas. Suscipe propitius et miserere. Amen.

Gratiarum actiones post Missam.

De gratiarum actione.

Missa peracta permagni refert, nosse uti illo tempore, quo apud nos demoratur Christus, et tanti hospitis praesentia frui. Neque enim tempus ad negotia salutis agenda magis opportunum nobis obvenire potest, quam cum ipsum penes et intra nos habemus salutis auctorem. „Oportet autem (ait pius Imitationis Christi auctor), ut non solum te praepares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota praeparatio prius; nam bona postmodum custodia optima iterum est praeparatio ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora." (Lib. 4, c. 12.)

Ex te ipso disce, quid factu sit opus; si quispiam te invitasset, sed domo iam exceptum mox, quasi taedio consortii tui affectus, te desereret, ad ludicra et inania quaeque sese convertens, nulloque familiari colloquio aut benevolentiae et humanitatis obsequio tecum agere dignaretur, nonne illi inurbanitatem istam et contemptum crimini verteres, ac huiusmodi amicum, utpote parum officii sui memorem, dedignareris? Vide itaque, quid de iis dicendum, qui, Deo in domum suam recepto,

mox illi dorsum vertunt et abscedunt, nec curant cum eo paulisper conversari. Quidnam hoc est, nisi talem tantumque vilipendere hospitem, immo illum turpiter offendere, maxime cum is sit hospes, qui in domum tuam veniat, non ut reficiatur a te, sed ut ipse te reficiat? Quid ergo sic properas? O probrum! o dedecus sacerdotis catholici! tam cito fastidis Deum? Quid quaeris praeter Deum tuum? plus ille te docebit, quam omnes libri; plus delectabit, quam omnes amici, plura praestabit commoda, quam omnes mundi artes, honores, opes et scientiae. „Esse cum Jesu est dulcis paradisus." (Imit. Chr. l. 2, c. 8.) Observes igitur, quae sequuntur.

1. *Cantico trium puerorum* absoluto, quo ad gratias Deo pro tanto beneficio persolvendas omnes debuisti creaturas invitare ardentissimo affectu et flagrantissima devotione, cave ab inanibus hominum colloquiis; in locum ab omni strepitu et distractione remotum te recipe; mane in secreto ac suavissimo fruere hospite tuo; deduc illum in interius cordis tui cubiculum et clauso ostio ceterisque cogitationibus exclusis, illi soli vacare stude, nec ab eo discedas, donec ipse benedixerit tibi; his etenim pretiosis horae momentis larga aut tenuis fieri debet in animam tuam donorum caelestium effusio pro modulo caritatis, affectuum et desideriorum tuorum, animique tui grati significationis. Sicuti namque ingratus animus fontem divinae largitatis exsiccat, ita et grata donorum eius memoria torrentem aperit spiritualium benedictionum.

2. Dilata itaque cor tuum, et implebit illud bonorum omnium largitor; aperi os tuum, et attrahes in te Spiritum sanctum, prout caelestis illius aura afflaverit; vel audi, quid loquatur in te Dominus Deus tuus, vel cum eo tua commiscere colloquia

ne formides; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus eius, sed laetitiam et gaudium. (Cf. Sap. 8, 16.)

3. Perfectissimos diversarum virtutum actus elicies. Christum adorabis, non tantum ut in throno gloriae suae residentem in caelis, sed ut intima cordis tui penetralia inhabitantem; omnes animae tuae facultates, omnia corporis tui membra, sensus et organa summo pietatis affectu illi subiicies adeo, ut in eius honorem et obsequium penitus cedant.

4. Firma fide credes et confiteberis, tantum hospitem in vili pectoris tui tugurio receptum et sub exiguis Sacramenti speciebus delitescentem esse vere Deum et hominem: Deum ab aeterno per omnia Patri aequalem et consubstantialem, hominem factum in tempore, operante Spiritu Sancto; cuius divinitati et humanitati ea omnia competunt, quae credit et docet Ecclesia.

5. Cum in ipso omnium donorum pignus habeas, ipsius meritis omnia, quibus indiges, dona sperabis et gratiae et gloriae, immo et naturae in quantum ad salutem tibi sunt profutura, certe confidens, illum promissis suis non defuturum, modo partes tuas expleveris.

6. Quia vero amor amore compensatur, et ipse ineffabili et infinita te prosecutus est caritate, nihil non tentabis, ut eum toto corde, tota mente, totisque viribus diligas: gaudebisque quam maxime, quod ipsius dotes et attributa tantae sint excellentiae, ut nonnisi a seipso possint ex aequo percipi.

7. Infinitam Redemptoris mundi mirare benignitatem et illam humilitatis abyssum, qua in hoc sanctissimo se abscondit Sacramento, ut sui ipsius, omniumque, quibus affluit, bonorum te faceret comparticipem. Humiliare igitur in conspectu Dei tui, attentis peccatis quibus deliquisti, praesentis tem-

poris in quo versaris statu, excelsoque virtutum apice, ad quem tendere debueras, a quo tamen longo dissides intervallo.

8. In profundo nihili tui demissus humiliter agnosce, nihil omnino penes te esse, quo pro tanto beneficio gratias Deo persolvas; adeoque tenuitatis et indigentiae tuae tibi ipsi conscius, beatissimam Virginem, sanctos Angelos et omnes caelites in subsidium abhibe tuae paupertatis, invitando eos ad magnificandum Dominum tecum et ad exaltandum uno consensu nomen illius.

9. Quoniam vero nec intensissimi omnium caelestium religiosi actus eius sunt dignitatis et valoris, ut tantam Dei erga te munificentiam valeant compensare, ipsum Dei et hominum mediatorem, Jesum Christum, deprecare, ut ipse vice tua et intra te satisfacere dignetur, omnesque acceptat vitae suae labores et angustias, omnia mortis suae opprobria et tormenta, omnem denique gloriae suae celsitudinem et excellentiam in dignam pro gratia tibi praestita gratulationem.

10. Ad pedes Domini summo cum doloris et amoris sensu provolutus, ignosci tibi suppliciter exora omnes anteactae vitae tuae iniquitates, omnem torporem et negligentiam, omnemque segnitiem et ignaviam, quibus in exsequendis muneribus tuis, et in prosecutione virtutum praepediris: quod quidem, ut assequaris, tuas cum ipsius meritis consociabis satisfactiones.

11. Peramanter etiam cum ipso conquerere de quotidianis tuis excessibus animaeque tuae languoribus et miseriis; ingemisce et dole, quod cum ipse sit, qui venerit ignem mittere in terram, nihilque tantopere velit, quam ut accendatur, concretum tamen gelu pectus habeas et ad ardorem huius splendidissimi solis non liquefias. Roga eum, ut perlustret cor tuum et omnia interiora tua, virtus-

que de eo exeat ad sanandum et vivificandum quidquid morbidum et vitiosum in te repererit.

12. Aperi ei totum cor tuum ea, quae congruit amicum inter et amicum, filium et patrem, confidentia, cum ipso horum omnium partes tui causa sustineat. Omnes igitur anxietates tuas et aerumnas, omnes calamitates et angustias, quidquid denique ad salutem tum animae, tum corporis conferre valet, illi fidenter expone, tibi persuadens, eum precibus non defuturum; neque enim et amare potest et deserere.

13. Cum eo potissimum fine sanctissimum istud Sacramentum sit institutum, ut omnes, qui ipsius fuerint participes, in Jesum transformentur: *„qui manducat me,* inquit, *et ipse vivet propter me*“, per nimiam illam caritatem, qua te dilexit, obsecra eum et obtestare, ut omni cum abundantia omnes virtutes aliaque spiritualia dona in te transfundat, et fiat perfecta studiorum, consiliorum, voluntatumque communio, adeo ut, quoad vivas, *iam non tu vivas, vivat vero in te Christus.*

14. Omnia vitae tuae momenta, sed extremum imprimis spiritum tuum illi commenda eximiumque istud efflagita perseverantiae donum, quo cetera dona cumulantur, ut *moriatur anima* tua *morte iustorum,* et *fiant novissima* tua *illorum similia.*

15. Nec vero propriis tuis ita intendendum est commodis, ut aliorum obliviscaris, pro quibus orandum tibi incumbit. Sacerdotis est plorare inter vestibulum et altare, et pro omnibus, quibus gravatur populus necessitatibus, Dominum deprecari. Supplex nimirum a Deo deposces, ut sanctam Ecclesiam, omnium fidelium matrem, exaltare et amplificare dignetur; ut ad istius almae matris sinum omnes errantes, haeretici, schismatici revocentur, omnesque infideles in regione umbrae mortis sedentes illuminentur. Dominum exorabis, ut pastores

Ecclesiae regat et tueatur; principibus christianis pacem donet et concordiam, peccatoribus veram cordis conversionem et peccatorum remissionem iustisque profectum concedat et perseverantiam, ut omnes propinquos, benefactores, amicos tuos, immo et adversantes tibi, vel eos, qui te aliquando molestia affecerunt, vultu sereno et acceptabili respiciat, omnibusque fidelibus defunctis lucem aeternam et requiem indulgeat.

His vel similibus exercitiis, prout devotio tibi suggesserit, peractis, cor tuum et sensus externos omni custodia conservare satages, crebrisque per diem piis affectibus, ne tanti beneficii memoria dilabatur, summam Dei erga te dignationem compensare conaberis.

Cum autem ea sit humani ingenii conditio, ut pretiosiora quaeque ex usu illi vilescant et taedium afferant: ne, repetitis semper iisdem actibus, fervor languescat caritatis, subiicientur tibi hic variae precandi formulae, quibus huic malo obviare possis.

Variae gratiarum actiones.

Prima gratiarum actio. (Ex Missali Romano.)

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. (Alleluia.)

(Quae Antiphona festis duplicibus tantum duplicatur.)

Canticum trium puerorum. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite caeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super caelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae caeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres caeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae iustorum Domino: benedicite Sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento caeli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Psalmus 150. Laudate Dominum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum. (Alleluia.)

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua,
R. Et Sancti tui benedicant tibi.
V. Exultabunt Sancti in gloria,
R. Laetabuntur in cubilibus suis.
V. Non nobis, Domine, non nobis,
R. Sed nomini tuo da gloriam.
V. Domine, exaudi etc. — *R.* Et clamor meus etc.
V. Dominus vobiscum, — *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos, qui post modo allata Canticum, Psalmum, Antiphonam, Versiculos et Orationes recitat sequentes duas Orationes, quarum altera S. Thomae Aquinatis est, altera

S. Bonaventurae, lucratur Indulgentiam *unius anni* (Leo XIII. per Rescr. S. Congr. Indulg. 20. Dec. 1884: Racc. p. 659).

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut haec sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et oboedientiae, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum meorum tam visibilium quam invisibilium firma defensio; motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorum perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto Sanctis tuis et lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tuis vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea sola semper amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi, et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, ha-

bentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae: te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

Rhythmus S. Thomae Aquinatis ad sacram Eucharistiam.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto, creditur;
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine,
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut, te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Indulgentia *centum dierum.* (Resc. cit.)

Orationes S. Alphonsi M. de Liguori singulis hebdomadae diebus distributae.

Die Dominica. Amantissime Jesu, Redemptor et Deus, adoro te praesentem in pectore meo sub speciebus panis et vini, quibus factus es cibus et potus animae meae. Sit infinite benedictus adventus tuus ad animam meam, Deus meus, et pro tanto beneficio tibi ex intimo corde gratias ago, et doleo eo quod digne tibi grates rependere non valeo. Et quasnam dignas gratiarum actiones habere posset humilis villicus, si rustica in domo sua ab ipso suo rege se visitatum videret, nisi ad illius pedes se procumbere, et tacito admirari et laudare tantam dignationem? Procido ergo coram te, o Rex divine, o Jesu dulcissime, teque adoro ex abysso vilitatis meae. Coniungo adorationem meam adorationi, quam tibi praestitit beatissima Virgo Maria, quando in uterum suum sacrosanctum te recepit, et quo ipsa te amavit amore, eodem te

prosequi vellem. O Redemptor amabilis, tu hodie verbis meis oboediens, de caelo in manus meas descendisti: et ego? eheu! quoties praeceptis tuis inoboediendo, te ingrato animo sprevi et gratiam et amorem tuum reieci! O bone Jesu, meorum veniam delictorum iam te mihi tribuisse confido! quodsi, culpa mea, nondum mihi pepercisti, modo, quaeso, ignosce mihi, o Bonitas infinita; nam te offendisse toto corde me poenitet. Utinam, o Jesu, te semper amavissem! A die saltem, quo primam Missam celebravi, unice pro te amore flagrare debuissem. Tu ex millibus me in sacerdotem et amicum tuum elegisti, quid ultra facere debuisti. ut a me diligereris? Sed gratias ago tibi, quia tempus mihi praestas agendi quod facere omisi. Ex toto corde meo te amare volo. Minime, nullum affectum in corde meo admittere volo nisi pro te, qui me tantis beneficiis ad te redamandum obstrinxisti. *Deus meus et omnia.* O Deus meus, quid mihi divitiae, quid honores, quid mundi voluptates! tu omnia mihi es. Tu solus eris deinceps unicum bonum, unicus amor meus. Dicam tibi cum sancto Paulino: *Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est.* Fruantur reges ac divites terrae regnis suis suisque divitiis, tu, o bone Jesu, divitiae meae et regnum meum mihi solus eris. O Pater aeterne, per amorem huius Filii tui, quem hodie tibi obtuli et in cor meum recepi, da, quaeso, mihi sanctam perseverantiam in gratia tua, et donum tui sancti amoris. Tibi etiam commendo propinquos meos, amicos et inimicos; animas item purgatorii, omnesque peccatores.

O Mater mea, Maria sanctissima, impetra mihi sanctam perseverantiam et Jesu Christi amorem.

Feria II. O bonitas infinita! O caritas infinita! Deus mihi se totum dedit, factus est totus meus!

Anima mea, convoca omnes affectus tuos, teque intime coniunge Domino tuo, qui dedita opera ad te venit, ut coniungatur tibi et redametur a te.

O Redemptor amabilis, amplector te, amor et vita mea; me tibi coniunge, noli me despicere. Hei mihi! quodam tempore vitae meae te reieci ex anima mea, et me separavi a te; sed in posterum vitam meam millies ponere potius volo, quam iterum amittere te, summum Bonum meum. Obliviscere, Domine, omnium iniuriarum, quibus te affeci, et mihi miseratus ignosce; toto corde me illarum poenitet, et prae dolore mori vellem. Quamvis autem in te peccaverim, mihi praecipis ut amem te: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Oh! Domine mi, quis ego sum, ut a me diligi cupias? Quoniam hoc desideras, amore te prosequi volo. Tu pro me mortem subire voluisti, et carnes tuas in cibum mihi dedisti, ego omnia relinquo, omnibus valedico, et te solum, amantissime Salvator, amplector. *Quis me separabit a caritate Christi?* O Redemptor amabilis, quem alium demum diligere volo, nisi te, qui es infinita bonitas et infinito amore dignus? *Quid mihi est in caelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.* Profecto quidem, Deus meus, et ubinam sive in caelo sive in terra bonum te maius invenire possum, vel quis magis quam tu me dilexerit? *Adveniat regnum tuum.* Oh! bone Jesu, sume, precor, hoc mane totius cordis mei dominium, illud ego tibi totum praebeo. Tu illud semper ac totum posside, et omnes affectus, qui non sunt ad te, ab eo repelle. Te solum in partem meam, et in meas divitias eligo; *Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum.* Da ut semper illud S. Ignatii a Loyola in ore habeam, et petam: *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis.* Da mihi amo-

rem et gratiam tuam, fac videlicet, ut amem te, et amer a te, et dives sum satis, nec amplius ultra desidero, nec aliud quaero. Verumtamen tu scis infirmitatem meam, et quam saepe tibi infidelis exstiterim; adiuva ergo me gratia tua, nec unquam permittas me separari ab amore tuo sancto. *Ne permittas me separari a te.* Hoc nunc tibi dico, semperque dicere volo, et idipsum, tribue, ut repetere tibi semper queam: *Ne permittas, ne permittas me separari a te.*

O Virgo sanctissima, spes mea, Maria, impetra mihi a Deo hanc duplicem gratiam: sanctam perseverantiam et sanctum amorem; nihil amplius a te peto.

Feria III. Ah! Domine mi, quomodo potui te multoties offendere, sciens quod peccando tibi summe displicebam? Per merita, quaeso, passionis tuae ignosce mihi, et vinculo amoris tui me tibi obstringe; non te separet a me foetor culparum mearum. Fac ut magis ac magis tuam bonitatem et amorem qui tibi debetur, et caritatem qua me dilexisti, semper agnoscam.

Cupio, bone Jesu, me totum pro te devovere, qui temetipsum pro me in sacrificium offerre voluisti. Tu innumeris caritatis argumentis me tibi obstrinxisti; ne, quaeso, permittas me unquam separari a te. Amo te, Deus meus, teque semper diligere volo. Et quomodo a te disiunctus et sine gratia tua vivere potero, cum amorem tuum cognoverim? — Gratias ago tibi, quia me pertulisti, quando sine gratia tua vivebam, et quia tempus adhuc mihi praestas amandi te. Si tunc mihi supervenisset interitus, te amplius amare non possem. Quoniam vero adhuc te diligere possum, omnibus viribus te amare volo, dulcissime Jesu, tibique in omnibus placere peropto. Diligo te, o bonitas infinita, amo te plus quam me; et quia amo te, dono

tibi corpus meum, animam meam, ac totam voluntatem meam. Fac, Domine, et dispone de me iuxta beneplacitum tuum, in omnibus me tibi subiicio. Dummodo mihi concedas, ut semper diligam te, nihil aliud posco. Terrena bona da volentibus illa; non aliud ego desidero, nihilque peto, nisi perseverantiam in gratia tua, et sanctum amorem tuum.

Innixus ego, o Pater aeterne, Filii tui promissis: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan. 16, 23), in nomine Jesu Christi peto a te sanctam perseverantiam, et gratiam amandi te ex toto corde meo, perfecte faciendo deinceps voluntatem tuam. O Jesu, tu pro me victima factus es et mihi te ipsum dedisti, ut tradam tibi me ipsum, tibique immolem voluntatem meam; inquis enim: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* (Prov. 23, 26.) Ecce cor meum, Domine, ecce cor meum, et animam meam, quam tibi dono, et omnino pro te devoveo. Verum, tu scis, Domine, infirmitatem meam: succurre mihi; ne permittas me hanc voluntatem meam a te recipere ad peccandum in te. Minime: noli hoc permittere; da ut semper diligam te, fac ut amem te, quantum sacerdos te diligere debet; et quemadmodum Filius tuus in cruce moriens dicere potuit: *Consummatum est*, ita in morte mea dicere valeam, quod ex hac die mandata tua custodivi. Praesta, ut in omnibus tentationibus et periculis in te peccandi semper ad te recurram, et auxilium tuum per merita Jesu Christi implorare non omittam.

O Maria sanctissima, quae omnia potes apud Deum, impetra mihi hanc gratiam, ut in tentationibus semper ad Deum et ad te confugiam.

Feria IV. O Jesu mi! video quanta operatus et passus es, ut mihi necessitatem imponeres amandi te, et ego tam ingratum me tibi probavi!

Quoties ob vilem delectationem et desiderium nequam tuam gratiam commutavi, et amisi te, o Deus animae meae! Creaturarum beneficia grata memoria sum prosecutus, tibi soli me ingratum praebui. Ignosce mihi, Deus meus; doleo eiusmodi ingrati animi crimen, et toto corde moereo, et veniam a te spero, cum sis infinita bonitas. Si tu bonitas infinita non esses, mihi desperandum foret, nec amplius misericordiam tuam implorare auderem.

Tibi sint grates, amor meus, quia ad infernum, quem promerui, non me damnasti, et tanto tempore me sustinuisti. Sola quidem patientia tua in me, Deus meus, ad amandum te trahere me deberet Quis unquam me tolerare potuisset, nisi tu, qui es infinitae misericordiae Deus? Iam diu est, ex quo invitas me ad amandum te; nolo amplius resistere amori tuo; ecce me tibi totum dedo. Sufficit quantum in te peccavi, nunc te diligere volo. Amo te, o summum Bonum meum, diligo te, bonitas infinita, amo te, Deus meus, qui es infinito amore dignus, et semper repetere volo in tempore et in aeternitate: amo te, amo te. — O Deus, et quot annos amisi, in quibus te diligere et in amore tuo pregredi potuissem, et eos insumpsi ad peccandum in te! At Sanguis tuus, o Jesu, spes mea est. Nunquam, spero, te amare cessabo. Ignoro, quantum mihi vivendum superest; residuum tamen vitae meae, sive breve sive longum sit, illud tibi totum consecro. Ad hunc finem hactenus exspectasti me. Volo quippe tibi complacere, volo te, amantissime Domine, semper amare teque solum diligere volo. Quid mihi deliciae? Quid divitiae? Quid honores? Tu solus, Deus meus, tu solus. solus es et semper eris amor meus, et omnia. Sed nihil possum, nisi tu adiuves me gratia tua. Vulnera, quaeso, cor meum, inflamma illud sancto amore tuo, tibique totum coniunge, ut a te nun-

quam separari possit. Tu amare promisisti qui te diligit: *Ego diligentes me diligo.* (Prov. 8, 17.) Nunc amo te, parce audaciae meae, ama tu etiam me, ne permittas me quidquam facere, quod impediat, quominus diligas me: *Qui non diligit, manet in morte.* (1. Joan. 3, 14.) Libera me ab ista morte, qua impediar quominus amem te. Fac ut semper diligam te, ut semper tu queas amare me; et sic dilectio nostra aeterna sit, nec inter me et te amplius dissolvatur. Hoc praesta, Pater aeterne, per amorem Jesu Christi. Hoc ipsum concede, iucundissime Jesu, per merita tua, in quibus me semper te amaturum, et te semper me dilecturum confide.

O Maria, Mater Dei, et mater mea, tu etiam deprecare Jesum pro me.

Feria V. O Deus infinitae maiestatis, en proditor ad pedes tuos, qui tam graviter in te deliquit! Tu multoties pepercisti peccatis meis, et ego spretis beneficiis et praesidiis, quibus me donasti, iterum te iniuriis affeci. Ceteri peccaverunt in tenebris, ego autem in luce. Sed audi vocem huius Filii tui, quem modo tibi obtuli, et qui nunc est in pectore meo: ipse pro me misericordiam et veniam apud te implorat. Parce mihi, o Bonitas infinita, per amorem Jesu Christi, quia te offendisse toto corde me poenitet.

Scio, quod tu Jesu Christi amore peccatoribus placari delecteris: *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum.* (Coloss. 1, 19. 20.) Per amorem igitur Jesu Christi, placare etiam mihi. *Ne proiicias me a facie tua,* quamvis id merear; parce mihi, et muta cor meum. *Cor mundum crea in me Deus.* Hoc age ob honorem saltem tuum, quoniam elegisti me in sacerdotem et ministrum ad offerendum tibi ipsum Filium tuum. Fac me vivere sicut decet sacerdotem. Da cor mihi, quo

te sacerdos amare debet. Exstingue, precor, et destrue in me tui amoris igne omnes terrenos affectus. Fac ut gratum deinceps me tibi probem pro tantis beneficiis mihi collatis, et pro tanto amore, quo amasti me. Si olim amicitiam tuam sprevi, nunc eam magis aestimo quam cuncta mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus divitiis ac caeli terraeque deliciis antepono. — O Pater mi, per Jesu Christi amorem separa me ab omnibus rebus. Tu vis ut sacerdotes tui ab omnibus, quae in mundo sunt, omnino segregati sint, ac tibi soli, et operibus gloriae tuae vivant. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* (Act. 13, 2.) Scio quod etiam id a me requiris, et hoc facere propono, sed tu adiuva me gratia tua. Trahe me totum ad te. In laboribus et in adversis mihi patientiam et voluntatis conformationem tribue. Da ut per amorem tuum me ipsum mortificem. Concede mihi spiritum verae humilitatis, quo gaudeam me abiectum et imperfectum reputari. *Doce me facere voluntatem tuam,* et quod inde a me requiris, indica mihi; id enim exsequi volo. Recipe, Deus meus, ad te amandum peccatorem, qui in praeteritum nimis in te peccavit, sed nunc vere te diligere vult, et esse tuus. O Deus aeterne, spero me te amaturum in aeternum. Et ideo volo etiam in hac vita te multum amare, ut multum te amare valeam in aeternitate. — Et quia amo te, ab omnibus te cognosci et amari desidero. Et ideo, Domine, quoniam fecisti me sacerdotem tuum, fac ut pro te laborem, et saluti animarum incumbam. Haec omnia spero per merita tua, o Christe Jesu, et per tuam intercessionem, o mater mea Maria.

Feria VI. O Jesu! quomodo potuisti me ex millibus in sacerdotem tuum eligere? Me, qui toties tibi terga verti, et pro nihilo gratiam tuam

sprevi? Amantissime Domine mi, doleo ex tota anima mea de peccatis meis. Dicito mihi, remisistine peccata mea? Spero equidem. Fuisti quippe Redemptor meus non semel tantum, sed quoties mihi pepercisti. Utinam, Salvator mi, nunquam te offendissem! Fac, obsecro, me sentire quod Magdalenae dixisti: *Remittuntur tibi peccata tua.* Fac, ut sentiam, me in gratiam tuam iam esse receptum, donans mihi magnum dolorem de peccatis meis. — *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis.* O divinissime Pastor, tu de caelo descendisti ad inveniendum me, perditam ovem, et pro me quotidie super altare descendis; posuisti vitam tuam, ut salvum me faceres; ne derelinquas me! In manus tuas commendo animam meam, clementer eam suscipe, et ne permittas unquam me seperari a te. — Tu pro me totum Sanguinem tuum fudisti: *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.* Nunc es advocatus meus, non vero iudex; veniam pro me apud Patrem tuum implora; obtine mihi lumen et virtutem amandi te ex tota anima mea. Da residuum vitae meae sic transire, ut, cum te iudicem aspexero, mihi te placatum videam.

Regna, quaeso, amore tuo in corde meo, fac ut sim totus tuus; et ideo, Salvator amabilis, revoca mihi semper in mentem et amorem quo me dilexisti, et quanta operatus et passus es, ut me salvares et amareris a me. Ad hoc me sacerdotem fecisti, ut nihil diligam praeter te — Jesu mi, volo quippe tibi complacere; ego diligo te, et nihil aliud diligere volo praeter te. — Fac me humilem et patientem in laboribus huius vitae, mansuetum in humiliationibus, a terrenis deliciis abhorrentem, et a creaturis abstractum, et praesta, ut a corde meo eiiciam omnes affectus, qui non sunt ad te.

Haec omnia a te imploro et spero per merita passionis tuae. O Jesu iucundissime, amabilis Jesu, *o bone Jesu, exaudi me.*

O mater mea, et spes mea, Maria, tu quoque exaudi me, et ora Jesum pro me.

Sabbato. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* (I. Reg. 3, 10.)

O Jesu amantissime, tu venisti etiam hoc mane ad visitandam animam meam: ex intimo corde tibi gratias ago. Quoniam venisti ad me, loquere, quaeso, et dicito mihi, quid velis a me, quia omnia facere volo. Non mereor, quod ultra mihi loquaris, eo quod vocem tuam audire persaepe recusavi, qua me vocabas ad amorem tuum, et ingratus tibi terga verti. Verum de peccatis meis iam poenitentiam egi, nunc iterum me illorum poenitet, et veniam a te iam obtinuisse me confido. Dic ergo mihi, quid me vis facere, sum enim paratus ad omnia. — Utinam, Deus meus, te semper amassem. Hei mihi! quot annos amisi! At Sanguis tuus et promissiones tuae spem mihi afferunt reparandi tempus amissum, te solum deinceps amando, tibique placendo. — Amo te, Redemptor meus, amo te Deus meus, ad nihil aspiro nisi ad amandum te ex toto corde meo, et ad vitam ipsam ponendam pro amore tui, qui amore mei mortem subire voluisti. *Amore amoris tui,* dicam tibi cum S. Francisco, *moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Tu, Jesu, mihi totum te ipsum dedisti: dedisti tuum Sanguinem, vitam, omnes sudores tuos, omnia merita tua, plus dare non habuisti; ego me totum tibi dono; dono tibi omnes delectationes meas, omnes saeculi delicias, corpus meum, animam, voluntatem; plus tibi dare non habeo; si plus haberem, plus tibi darem. Jucundissime Jesu, tu mihi sufficis. — Fac tamen, Domine, ut sim tibi fidelis; ne permittas me, mutata voluntate,

derelinquere te. Spero per merita passionis tuae, Salvator mi, id mihi nunquam obventurum. Tu dixisti: *Nullus speravit in Domino et confusus est.* (Eccli. 2, 11.) Tota igitur fiducia dicere possum et ego: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Spero, o Deus animae meae, et semper volo sperare, me nunquam confusionem passurum videndi me separatum a te. *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* — Deus meus, tu omnipotens es, effice me sanctum. Fac ut multum diligam te, fac ut nihil praetermittam, quod redundet in gloriam tuam, et omnia vincam, ut tibi complaceam. Me beatum, si omnia perdam, ut solum te et amorem tuum inveniam! Ad hunc finem vitam tribuisti mihi, fac ut eam operibus gloriae tuae omnino impendam. Non mereor beneficia, sed poenas; ideo deprecor te, ut punias me sicut vis, dummodo gratiam tuam non auferas a me. Sine mensura amasti me, o caritas infinita, o infinita bonitas, sic amo et amabo te. O voluntas Dei! tu es amor meus. O Jesu mi! tu mortuus es pro me, utinam ego etiam mori possem pro te, et morte mea efficere, ut omnes ament te. O bonitas infinita, et infinite amabilis! ego te maximi facio, et super omnia diligo te.

O Maria! trahe me ad Deum; da mihi fiduciam in te, et fac ut semper ad te confugiam; intercessione tua sanctum me reddere debes: ita spero.

Indulgentia *centum dierum* pro unaquaque ex praecedentibus S. Alphonsi Orationibus, si stata die recitetur. (Rescr. cit.)

Oratio ad D. N. Jesum Christum.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio Sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delicto-

rum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Indulgentia *trium annorum post celebr. Missam.* (Pius IX. Rescr. S. Congr. Indulg. 11. Dec. 1846: Racc. p. 612.)

Invocationes et preces.

Anima Christi, sanctifica me. — Corpus Christi, salva me. — Sanguis Christi, inebria me. — Aqua lateris Christi, lava me. — Passio Christi, conforta me. — O bone Jesu, exaudi me. — Intra tua vulnera absconde me. -- Ne permittas me separari a te. — Ab hoste maligno defende me. — In hora mortis meae voca me. — Et iube me venire ad te. — Ut cum Sanctis tuis laudem te. — In saecula saeculorum. Amen.

Indulgentia *septem annorum* singulis diebus post S. Communionem. Indulgentia *plenaria* semel in mense, si dicantur per integrum mensem, fiat confessio et Communio, visitetur aliqua Ecclesia aut publicum Oratorium et oretur ad mentem Summi Pontificis. (Pius IX. Rescr. S. Congr. Indulg. 9. Januar. 1854: Racc. p. 109.)

Oratio dicenda ante imaginem SS. Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque Vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat tuo David Propheta de te, o bone Jesu: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* (Ps. 21, 17 et 18.)

Indulgentia *plenaria*; conditio: conf., Comm., oratio ad mentem summi Pontificis. (Pius IX. Rescr. S. Congr. Indulg. 31. Julii 1858: Racc. p. 155.)

Oratio ad B. V. Mariam.

O Maria, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cuius aspectu laetabaris, et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento, et offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum, sanctissimaeque Trinitati in supremum latriae cultum pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis, totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te, piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ind. *100 dierum post celebr. Missam.* (V. Racc. p. 659.)

Oratio ad S. Joseph Spons. B. V. M.

Virginum Custos et Pater, Sancte Joseph, cuius fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus, et Virgo Virginum Maria commissa fuit! Te per hoc utrumque carissimum pignus, Jesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

(Ind. *100 dierum semel* in die. (Pius IX. 4. Febr. 1877; Racc. p. 405.)

Altera gratiarum actio.

Affectus pii ex sacra Scriptura et SS. Patrum scriptis collecti.

Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, ut fiducialiter dicere queam: vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus! Nunc, o Jesu, requies mea, nunc dimittis servum tuum in

pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum; in te nunc deficit anima mea; in te nunc exsultat cor meum. Verum quis mihi dat, o Deus cordis mei, ut in amplexu tuo et in osculo pacis laetus moriar!

O Jesu! o sancte, innocens, impollute, a peccatoribus segregate, caelis excelsior! tu venisti ad me; in meam malevolam animam instrasti! Quis loquetur potentiam et misericordiam tuam! Ecquid tibi, Domine, rex gloriae, cum hoc foetido sterquilinio? O Jesu mi, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Venite, audite omnes, qui timetis Deum, et narrabo, quanta fecerit animae meae. Suscepi misericordiam Dei mei in medio templi eius, quinimo ipsum Angelorum Dominum ipsumque gratiarum fontem in medio cordis mei suscepi. Stupendum beneficium! annuntiate hoc in universa terra, ut omnis spiritus laudet Dominum meum!

O Domine Deus, o altissime super omnem terram, mortificans et vivificans, deducens ad inferos et reducens! adoro te; tu enim solus es dignus accipere virtutem et divinitatem et fortitudinem et honorem, gloriam et benedictionem; unde omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Magnus Dominus, et laudabilis nimis! Adorate eum omnes Angeli eius!

Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus, quae retribuisti mihi, et praesertim hodie? Sollicitus mei dedisti mihi Corpus tuum in cibum et Sanguinem tuum in potum, et utrumque in pignus futurae gloriae. O sacrum convivium! Jam misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitae meae, ut inhabitem in domo tua in longitudinem dierum. Ideo exsultabunt labia mea, cum cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti. Sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam,

cum confusi et reveriti fuerint, qui quaerunt mala mihi. Repleatur os meum laude, ut cantem tota die gloriam tuam. — Magnificet anima mea Dominum et exsultet spiritus meus in Deo salutari meo. Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius. Noli, anima mea, noli oblivisci omnes retributiones eius, qui visitavit te, et fecit tibi redemptionem, sanans infirmitates tuas. Laudate Deum meum omnes gentes, quoniam confirmata est super me misericordia eius. Laudate eum omnes Angeli eius.

O Pater aeterne, Pater misericordiarum, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium et in cibum; cum eo omnia mihi donasti; respice in faciem Christi tui, in quo tibi bene complacuisti. Hunc ergo dilectum Filium et cum eo cor meum retribuo tibi pro his, quae hodie retribuisti mihi; complaceas tibi, Pater, hodie in illo, ac per eum indignationem tuam avertas a me. Ecce mediator Dei et hominum, Christus Jesus, advocatus et pontifex, qui interpellat pro me; hunc ego offero tibi; ipsum, inquam, qui peccatum non fecit, et tulit peccata mundi, et languores nostros suo livore sanavit. Suscipe igitur, o sancte Pater, sanctam hanc et immaculatam hostiam Filii tui in laudem et gloriam nominis tui, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis, in expiationem quoque peccatorum meorum et in supplementum omnium defectuum meorum.

Deus misericors, patiens ac multae misericordiae et verax, qui das escam timentibus te, fortitudo mea, quem inveni et teneo. — Quis mihi hoc tribuet, ut iugiter diligam te, qui ultra, quam facere debueras, fecisti! Pereat cor meum, si desinat amare te, qui semper et ineffabiliter amasti me! — O Domine Jesu, o dilecte mi, quid me vis

facere, ut placeam tibi omnibus diebus vitae meae? Doce me facere voluntatem tuam, abnegare me ipsum et adhaerere tibi. O quam bonum mihi illud erit! — O Jesu, o amor mi, da, ut diligam te ex toto corde meo; nihil aliud posco, scio enim quoniam diligentibus te omnia cooperantur in bonum; et licet pauper sim et tamquam nihil habens, omnia possidebo; tu es Deus meus et omnia. — „Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.“

(Indulg. 300 dierum semel in die: Leo XIII. 26. Maii 1883. Racc. p. 36.)

O clementissime Salvator, quid mihi nunc denegabis, postquam temetipsum tradidisti in cibum et potum et in pignus futurae gloriae! O quanta erit fiducia mea, cui cognita est tanta pietas tua! Miserere igitur mei secundum magnam misericordiam tuam; si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo; ignorantias meas ne memineris; parce mihi, si non ea, qua par erat, praeparatione et animi devotione tractavi hoc mysterium ipsis Angelis tremendum. — O Jesu, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; da, Domine, ut videam, o lumen oculorum meorum, ut sciam, quid desit mihi. Noverim te, noverim me, ut exaltem te et humiliem me. — O Jesu, qui cum in forma Dei esses, temetipsum exinanisti, formam servi accipiens, et qui in hoc Sacramento enutriens et exaltans filios te sperni a multis et conculcari a canibus sinis, discam a te, esse humilis corde; da,

ut abominer vel minima superbiae signa. — O Jesu, qui factus es oboediens usque ad mortem, et qui in hoc Sacramento oboedivisti voci hominis, da, ut cibus meus sit facere voluntatem tuam et oboedire praepositis meis propter te. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei; da, quod iubes, et iube, quod vis! — O Jesu, rex regum, qui, cum dives esses, propter me egenus factus es, non habens diversorium, nec ubi caput reclinares. O Jesu, qui cum plenitudine divinitatis habitas in templis pauperibus neglectus atque despectus, o Jesu, qui pauperum desiderium exaudire soles, inclina cor meum in testimonia tua et non in avaritiam, ut delecter in via testimoniorum tuorum sicut in omnibus divitiis. O Jesu, tu thesaurus meus es, in te unice fixum sit cor meum; nec divitias, nec paupertatem dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria, ut habens alimenta et quibus tegar, his contentus sim. Quid amplius exoptat anima mea! — O agnus sine macula! O Jesu, Filii Mariae Virginis, qui pasceris inter lilia, qui mihi dedisti hodie illud vinum germinans virgines, cor mundum crea in me; tu scis, quia non possum esse continens, nisi tu, Deus, dederis mihi. Verum, quamvis angelus satanae me colaphizet, sufficit mihi gratia tua. Da ergo, ut sim sicut Angeli in caelo, sollicitus tantum de iis, quae Domini mei sunt; ut anima mea, tota pulchra, sine macula et ruga, audire tandem mereatur: veni, veni de Libano, soror mea, sponsa, veni, coronaberis. — O Jesu, qui sitiens felle et aceto potatus es, et qui omnis saporis suavitatem in hac mensa parasti mihi: aufer a me ventris concupiscentias; da, ut tibi soli serviam, non ventri nec voluptati; sim vere sobrius, ne unquam gravetur cor meum crapula et ebrietate. — O Jesu, qui in horto cum sudore Sanguinis prolixius orasti,

et ipsa nocte, qua tradebaris, parasti mihi hanc mensam: oro te, ut tibi Domino serviens spiritu fervens sim; accende me hodie illo igne, quem venisti mittere in terram; renovabor, ut confido, spiritu mentis meae; iam curram viam mandatorum tuorum, cum dilataveris cor meum. — O Jesu, vide afflictionem meam; patientia mihi necessaria est, ut reportem repromissionem. Tu es patientia mea; discam a te, esse mitis corde; aequum est, ut qui calicem salutaris toties accipio, bibam passionis calicem, quem tu bibisti. — O Jesu, qui pro inimicis tuis orasti et qui instituisti hoc Sacramentum tamquam symbolum caritatis, ut diligam proximum sicut me ipsum et benefaciam his, qui oderunt me; da mihi hanc caritatem, quae est vinculum perfectionis, et sine qua nihil sum. O Jesu, da mihi scientiam Sanctorum, scientiam salutis, et scutum bonae voluntatis; custodi animam meam ut pupillam oculi; da, ut sanctus sim ego, quia tu sanctus es. ac serviam tibi in sanctitate et iustitia omnibus diebus meis. Unum volo, unum quaero, unum desidero, unum mihi est necessarium: salvum me fac, Salvator mi, da mihi amorem tui, contemptum mundi, odium mei et zelum animarum. Si igitur inveni gratiam in oculis tuis, o rex, et si placet tibi, dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro; cetera tolle tibi.

Considerationes piae pro singulis hebdomadae diebus.

Die Dominica. *Considera Christum ut regem.* O mi rex et Deus! venisti ad me mansuetus. O rex saeculorum, dominare per residuum annorum, dominare in medio inimicorum tuorum, in medio cordis mei. Vivas igitur rex in aeternum; tuum, Domine, est regnum; non mea voluntas, sed tua semper fiat sicut in caelo et in terra. Verum, o

mi rex, unde veniet auxilium mihi, nisi a te, qui fecisti caelum et terram; adiuva me; ne moreris.

Feria II. *Considera Christum ut patrem.* O pater misericordiarum! ego sum infelix ille prodigus, qui inique egeram; sed tu longanimis et multum misericors suscepisti me, delectasti super me, et satiasti me hodie non hircorum sanguine, non solum de rore caeli, de pinguedine terrae et de vitulo saginato, sed pretioso Corpore et Sanguine tuo, et coronasti me in misericordia. Sed quoniam misertus es mei, quomodo miseretur pater filiorum, ne reminiscaris delictorum meorum, sed reminiscere miserationum tuarum, quae a saeculo sunt. Rogo te, ut oboediens sim usque ad mortem. Ita pater, quod placitum erit tibi, faciam semper.

Feria III. *Considera Christum ut magistrum.* O magister sapientissime, qui docuisti me a iuventute mea; loquere nunc ad cor meum; paratus custodire sermones tuos, in corde meo abscondam eloquia tua, ut non peccem tibi; conservabo omnia verba tua, conferens in corde meo; ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus diliget illud. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine! Da servo tuo cor docile. O anima mea, velut Magdalena flens retro secus pedes Domini et audiens verbum illius, audias pariter in silentio, et custodire coneris, quid loquatur in te Dominus Jesus. Eloquia eius in corde tuo abscondere satage.

Feria IV. *Considera Christum ut medicum.* O Jesu, pie medice, qui hodie descendisti, priusquam morerer, et qui non solum imposuisti mihi manum, sed etiam voluisti languores meos tuo livore sanare: sana animam meam, quia peccavi tibi. Ingressus aliquando Zachaei domum dixisti: *hodie salus domui huic facta est.* Ingressus iam es, o Christe, domum animae meae; dic ei, quaeso: *salus tua ego sum;* ab omni specie mali sana eam; da

illi integram sanitatem in conspectu omnium, et exsiliens laudabo te, et dicam semper: *Magnificetur Dominus*, qui bene omnia fecit, et mutos loqui et surdos audire.

(Hic revela Domino viam tuam et infirmitates tuas, quas ipse portavit; ora eum, ut te sanet ab illo languore, quo tepidus es, etc.)

Feria V. *Considera Christum ut pastorem.* Erraveram sicut ovis, quae periit, sed conversus sum ad te, pastorem animae meae; tu, o pastor bone, qui pascis me a iuventute, imposuisti me in humeros tuos, et in loco pascuae, id est Corporis tui, me hodie collocasti. Quid mihi deinceps deerit! Jam super aspidem et basiliscum ambulabo, et conculcabo leonem et draconem Ne discesseris a me; custodi me ut pupillam oculi, donec perducas me ad pascua vitae aeternae.

Feria VI. *Considera Christum ut redemptorem.* Redemisti me, redemptor mi, et misertus es mei; solvisti vincula colli mei; o Jesu Christe, servus tuus sum ego et filius ancillae tuae; custodi animam meam; tuus sum ego, in manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis, in Sanguine tuo, et eodem hodie laetificasti cor meum.

Sabbato. *Considera Christum ut sponsum.* O Jesu! tamquam sponsus procedens de thalamo tuo sponsasti me tibi hodie in sempiternum; ego vicissim sponso me tibi; pone me ut signaculum super te, quem recepi hodie, et si fieri posset, eligere vellem, ut esses mihi Deus. — Deficiat in te anima mea, Jesu; vita mea deficiat amore tui; tu mihi vivere, Christe, et mori sit mihi lucrum. — Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Peto ergo, ut Corpus tuum, Domine Jesu Christe, custodiat animam meam in vitam aeternam. O Jesu, tu vere dixisti: Qui manducat hunc

panem, vivet in aeternum; hodie manducavi hunc panem; sit ille mihi pignus gloriae perpetuae; da, ut anima mea moriatur morte iustorum. O Jesu, corona mea, quis me separabit a caritate tua? An tribulatio? an gladius? Haec omnia superabo propter te, qui dilexisti me. Habeo te Deum adiutorem meum, te, inquam, sine quo nihil possum facere, et in quo confortatus omnia possum.

Tertia gratiarum actio.

Actus amoris. Amo te, Domine Jesu, iucunditas mea et requies mea; amo te summum et infinitum bonum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis; et si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te; et si satis id non desidero, saltem opto id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem nonnisi amorem petis a me, da, quod iubes, et iube, quod vis. Nisi enim dederis mihi velle et perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima et efficacissima: *Volo*; nam si vis, potes me mundare et illuminare, potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati et mori, ita etiam velis, ut appareat in me fructus passionis et mortis tuae. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; tu enim dixisti: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet et ego in eo.* O dulcissimum verbum: tu in me et ego in te! O quantus amor: tu in me vilissimo peccatore, et ego in te, mi Deus, cuius majestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium, et hoc solum quaero: in te vivere, in te quiescere, a te nunquam separari. Felix est, qui te quaerit;

felicior, qui te possidet; felicissimus, qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices quos turpiter transegi, diligens vanitatem et recedens a te! Et nunc, Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, et aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio; nihil sapiat mihi, nihil me alliciat, nisi tu. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animae meae; in te enim sunt omnia bona; et iam deinceps paratus sum, omnia potius mala perpeti, quam ut unquam cessem amare te. O Corpus sacratissimum, quinque vulneribus sauciatum, pone te ut signaculum super cor meum, et imprime illi caritatem tuam; obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in aeternum. O Sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis et purificas, lava animam meam et pone signum in facie mea, ut nullum praeter te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei et vita animae meae, sicut tu in Patre et Pater in te est, ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate, mihique mundus crucifixus sit et ego mundo. Amen.

Gratiarum actio. Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad vivificum tuae mensae convivium. Et quis sum ego, pulvis et cinis, ut apposueris erga me cor tuum, inclinans caelos tuos et descendens, ut Sanguine tuo purissimo sordes meas lavares et deficientem prae fame animam meam non manna de caelo, sed Carne tua immaculata reficeres et satiares! Si caeli caelorum te capere non possunt, et Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum, et quae domus mea, ut ad me venire et

in me commorari volueris? Quid in me invenisti, rex tremendae maiestatis, quod a templo gloriae tuae traheret te et descendere faceret in abyssum miseriarum? Vos, Angeli sancti, vos omnes electi Dei, venite, audite, et narrabo vobis, quanta fecerit Deus animae meae. Cum enim essem pauper et abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad caelum prae multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit et erexit de stercore, ut sederem cum principibus et de mensa eius comederem. Gratias illi agite pro me, vos, amici mei fidelissimi; ego enim puer sum, non annis, sed sensu, et nescio loqui, nec verba invenio, quibus possim, ut par est, tam copiosum munus gratiae extollere et praedicare. Quis enim amor infinitae caritati eius reddi potest a me, qui frigus et gelu, non autem amor dici merear! Quae laus, quae adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita eius perfectio et dignitas et ima ac summa indignitas mea! Sed tu, Domine, miserator et clemens, immensae bonitatis, tu nosti figmentum meum; ne despicias humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus sit in perpetuas aeternitates pro tam excelso et incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae, omnes Angeli et Sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Jubilent tibi omnes creaturae, quaecumque caeli, terrae, et abyssi ambitu continentur, laudem tibi perpetuam dicant, quae a te exeuntes in te refluant omnium rerum principium et finem. Jubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiae et omnia membra corporis mei, tibique soli

sit honor et gloria, a quo, per quem, et in quo sunt omnia, qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

(Si prae temporis angustia longius sit, sequentes preces adiungere: aut hic sisti potest, aut solae sequentes preces pro gratiarum actione possunt sumi.)

Oblatio. Serves tuus sum, Domine, mi Deus, et pro tributo servitutis meae aliquid tibi offerre vellem, quod maiestate tua dignum, tibique acceptabile foret; sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum; habeo tamen ex gratia tua donum praeclarissimum, Filium tuum, Dominum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit. Quare verba Prophetae tui aptissime usurpabo, et dicam: Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius. Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet, teque amabit et glorificabit. Ipsum igitur offero tibi velut thymiama suavissimi odoris: ad maximam tuam gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetranda mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum iugiter ardens maiestati tuae. Praesta, ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi. Tu sapientia mea, tu lux mea es, tu fortitudo mea et robur meum; doce me, illumina me, corrobora me, ut cognoscam et faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum

meque totum resigno in beneplacitum tuum, abiecta omni de me cura et sollicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris, a divina manu tua libentissime suscipiam, sive prosperum illud sit, sive adversum. In tempore et in aeternitate id volo, quod tu ab aeterno mihi praeparasti. Vivat semper et regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione et levissimo quoque motu implere desidero. „Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur iustissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus" *(Indulg. 100 dier. semel in die:* Racc. p. 41). Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus; desunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum; sed proiicio me in ardentissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire et mansionem apud me facere dignatus es; succende me, Domine, inflamma cor meum, viscera combure, ut iugiter tibi ardeam, in te vivam et in te moriar. Amen.

Petitiones. Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me Corpore tuo immaculato et pretiosissimo Sanguine refecisti; ignosce, obsecro, indignitati meae, et quidquid deliqui in huius Missae celebratione, misericorditer indulge. Agnosco enim et confiteor praesumptionem meam, quia ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita praeparatione, reverentia, humilitate et caritate. Respice in me oculis misericordiae tuae, et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Heu, quoties iam venisti ad me, ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares; ego autem contempsi te et abii in regionem dissitam post prava desideria cordis mei; cumque, inutiliter dissipata omni substantia, ad te nudus et fame consumptus reversus sum, tu suscepisti me et omnium iniquitatum mearum oblitus

es! Bonum mihi, quod amasti me amore aeterno et infinito; nisi enim infinita esset bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur et absorbeat bonitas tua malitiam meam; riga me lacrimis, quas fudisti pro me; unge me myrrha doloris tui; adstringe vinculis; ablue Sanguine; cruce erige; morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea, et omnem alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo, meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam, nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, ne uno quidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu a te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum Sanctis operatus es; et fac me ambulare in fortitudine cibi illius usque ad montem perfectionis. Succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omnino abstractus a me ipso et ab omni creatura. Adiuvet me gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepi, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeam: et, si non possim in tanta innocentia vitae conversari, ut debeo, concede mihi tamen digne flere mala, quae gessi, et in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius de cetero deservire. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc sacrificium, et pro quibus orare debeo, seu tu rogari vis, da pacem, salutem tuamque benedictionem. Converte miseros peccatores ad te, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succurre illis, qui se meis

precibus commendaverunt. Da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis lucem et requiem sempiternam. Amen.

Variae aspirationes. O Jesu, splendor aeternae gloriae, quid te ad me hominem peccatorem traxit, nisi amor! Quid a me petis et optas, nisi amorem! Diligo igitur te propter te; quid dignius, aequius et iustius! Offero me totum tibi in rationabile et sempiternum obsequium. — Numquid saeculi vanitatibus rursum aperientur oculi mei, postquam te, salutare Dei, viderunt? Absit; ad te, o pulchritudo antiqua, ad te erunt semper deinceps oculi mei; alioquin obscurentur et pereant. — Numquid os meum, Corpore tuo consecratum, tuoque purpuratum Sanguine, vaniloquia et scurrilia, falsa, detractoria et turpia adhuc loquetur? Absit; si enim locuturum sit, sermones tuos tantum loquetur; si quid esuriet et sitiet, te solum, vitae fontem, sitiet, nec aliud in eo erit, nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi caritas. — Numquid cor meum, in quo, propter nimiam caritatem tuam, tibi sanctuarium parasti, ut iam in hoc exilio te possideam, aliud praeter te, aut nisi propter te, amabit? Absit denuo, o Jesu, absit; ex omnibus caris eris tu solus dilectus specialis; diligentur omnia propter te, et tu propter te ipsum; quia tu, Domine Deus, super omnia bonus es. Indica mihi, quid me velis facere, ut placeam tibi omnibus diebus vitae meae.

Hic audi, quid loquatur in te Dominus, qui hunc tibi aperiet defectum . . . et suaviter exprobrabit, mediaque eundem exterminandi suggeret; postulabitque pariter a te tale sacrificium, . . . vel talem mortificationem . . . per diem exercendam. An quidpiam ei denegare poteris, qui se tibi totum tradidit? Consultissimum erit, renovare hic identidem castitatis votum, aliasque Deo facias promissiones. Deinde dices cum auctore *Imitationis Christi:*

Adiuva me, Domine Deus, in bono proposito, et sancto servitio tuo, et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est, quod hactenus feci. Eleva mentem pressam mole peccatorum, et ad caelestia totum desiderium meum suspende, ut, gustata suavitate supernae felicitatis, pigeat de terrenis cogitare. Junge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quoniam tu solus sufficis amanti, et absque te frivola sunt universa.

Quarta gratiarum actio.

1. Ad quem diu suspiravi * Jesum tandem habeo, * Hunc amplector, quem optavi, * Quem optavi, teneo! * Omnes meae exsultate * Facultates animae, * Exsultate, triumphate * Et ingresso plaudite!

2. Tristis eram et abiectus, * Eram sine gaudio, * Quia aberat dilectus, * Quem prae cunctis diligo; * Sed ut venit et intravit * Animae tugurium, * O quam dulce permeavit * Meum cor solatium!

3. Non sic terras umbris tectas * Gratus sol illuminat, * Non sic aestibus deiectas * Nimbus herbas recreat, * Sicut animam languentem * Refocillat Dominus, * Hanc tristantem et torpentem * Novis donat viribus.

4. Felix dies, felix hora, * Qua me, Jesu, visitas, * Pulchra nimis et decora * Lux, ad me qua properas. * Qui te tenet, habet satis, * Quia, qui te possidet, * Uberem felicitatis * Verae fontem obtinet.

5. Quis non tuam admiretur * Bonitatem, Domine, * Si, quod facis, meditetur * Serio examine! * Ad te ruo, ad me ruis * Et me sinis protinus * Immiscere meos tuis * Amplexus amplexibus.

6. Nihil eram, me creasti * Ex obscuro nihilo Divinaeque me donasti * Rationis radio; * Pro me

nasci voluisti * In deserto stabulo, * Et finire morte tristi * Vitam in patibulo.

7. Praeter dona, quibus ditas * Me diebus singulis, * Dapes hodie mellitas * Datis addis gratiis. * O voluptas cordis mei, * Jesu dilectissime, * In me regna, Fili Dei, * Regna, regna libere!

8. In me proprium amorem * Tam potenter eneces, * Ut te amem et adorem * Solum, sicut dignus es; * In me tolle, quod est puris * Grave tuis oculis, * Ut sic arctius venturis * Tibi iungar saeculis.

9. Oriente solo mane, * Occidente vespera, * Bone Jesu, mecum mane, * Mecum semper habita! * Nil a te, nec mors nec vita, * Nil a te me separet; * Unio sit infinita, * Quam vis nulla terminet.

10. Canam donec respirabo * Gratiarum cantica, * Millies haec iterabo * In caelesti patria, * Quando te, remoto velo, * Sicut es, aspiciam, * Et cum Angelis in caelo * In aeternum diligam. Amen.

Beati Petri Canisii formula precandi pro se et pro aliis.

Exue me, Domine, veterem hominem cum affectibus et inclinationibus malis, quibus me obnoxium esse nosti. Indue me novum hominem, quem haec sancta requirit vocatio, ut de die in diem renover, cum ardenti desiderio, constanti studio in solidis virtutibus, quae mihi desunt, proficiendi. Ne permittas me, Domine, graviter et periculose tentari, praesertim circa vocationis gratiam. Da in adversis animi fortitudinem ad resistendum et vincendum. Concede perseverantiae donum, ut usque ad mortem tibi fidelis exsistam. Auge in me gratiam promissa vota rite praestandi, ut paupertas vere simplex et angelica castitas in me vigeant, nec minus interior quam exterior oboedientia me totum

sibi vindicet, tibique gratum, assiduum et perfectum praebeat holocaustum. Amen.

Miserere mei, Pater misericordiarum, quod tuam saepe offenderim maiestatem, tuis adhuc beneficiis ingratus, in cursu meae vocationis tepidus, veri timoris et amoris expers, nec sollicitus, ut ad tuam gloriam et meam salutem sincere omnia conferam. Aperias mihi oculos, quaeso, ut videam, et vires augeas, ut possim, voluntatem simul impellas, ut velim in via tua et vocatione mea progressus debitos facere, atque ad propositum mihi scopum recta contendere, nimirum mei ipsius et proximi salutem atque perfectionem semper impense procurando. Fiat in me, et de me, ubicumque verser, et quidquid patiar, voluntas tua bona, beneplacens et perfecta. Sanctificetur in me nomen tuum sanctum, ut bonae maiorum meorum exspectationi satisfaciam, ac particeps demum fiam iustorum omnium in caelesti patria triumphantium. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Miserere nostrorum parentum ac maiorum omnium spiritualium. Fac, Domine, ut illi iuxta spiritum tuam sapiant et prudenter subditos regant, nosque vere oboedientes filios esse gaudeant. — Miserere amicorum et patronorum nobis tum in spiritualibus, tum in temporalibus rebus fideliter assistentium. Tuere eos ab omni malo, nec solum in vita, sed post mortem etiam, ut te pro nobis munificum sentiant remuneratorem. — Miserere defunctorum fratrum et benefactorum, et catholicorum omnium. Dona eis, Domine, in tenebris lucem, in poenis requiem et in regno tuo beatitudinem sempiternam. Amen.

Miserere discipulorum et filiorum spiritualium, quos instruendos, gubernandos et adiuvandos nobis tradidisti. Confirma in illis, Domine, bonum semen, ut in litteris, moribus atque virtutibus magis

magisque proficiant, et a nobis recte et feliciter curentur. — Miserere fratrum in sua vocatione stantium, ut per te in recto virtutum cursu confirmentur. Miserere item nutantium atque claudicantium, ut potenti spiritu tuo adiuti et consolidati, neque ad dexteram neque ad sinistram declinent. — Miserere quoque lapsorum, ut desertores filii ex apostasiae statu resurgant et priorem vocationis suae gratiam agnoscant tibique per veram poenitentiam reconcilientur. — Miserere inimicorum et aperte vel occulte nos persequentium. Ne eis hoc imputes in peccatum, sed illis gratiam tuam et resipiscentiam ac caritatem veram impertiaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Miserere schismaticorum et haereticorum, ut ad Ecclesiae redeant unitatem et, relictis errorum umbris, catholicae doctrinae lucem nobiscum fideliter amplectantur. — Miserere peccatorum, qui mundo, carni, satanae potius, quam tibi Deo vero et vivo serviunt et ad perpetuae mortis portas accurrunt. Converte illos, Domine, ad viam poenitentiae et mortuis vitam gratiae restitue, ne alioquin in peccatis suis morientes a tua gratia et gloria perpetuo separentur. Amen.

Aspirationes ad Christum. O Jesu, dulcis hospes, utinam prospere procedas devertens ad hunc pauperculum et humilem servum et intres fauste sub hoc angustissimum et vile tectum. Benedictus et superexaltatus, qui venisti in cor meum, oriens ex alto. — O rex pacifice, fuga ex animo et corde meo catervas vanarum cogitationum, ut te solum, pacis auctorem, contemplari et diligere queat anima mea. Ecquid, praeter te, o pax, tranquillitas et dulcedo cordis mei, quaerat et gustet anima mea? O fons amoris perpetui, quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, et te ipsum mihi dare! Fecisti ultra omnem spem misericordiam

cum servo tuo, et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista? Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Utinam vel uno die dignum servitium tibi exhibere possem! Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude aeterna. — Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus, qui totis viribus tibi servire teneor, nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero; et quidquid mihi deest, tu digneris supplere. — Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret. Da mihi hoc semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est et melius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et non vis. — Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi super omnia desiderata in te quiescere et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies, extra te omnia sunt dura et inquieta. In hac pace in id ipsum, hoc est, in te uno, summo et aeterno bono, dormiam et requiescam. Amen.

Ad B. V. Mariam, sine labe conceptam.

(Auct. Eminent. Domino Joanne, S. R. E. Cardinale de Geissel, Archiep. Colon.)

1. Virgo virginum praeclara, * Praeter omnes Deo cara * Dominatrix caelitum, * Fac nos pie Te cantare, * Praedicare et amare, * Audi vota supplicum.

2. Quis est dignus, laude digna * Te laudare, o benigna * Virgo, fons charismatum! * Gratiis

es tota plena, * Tota pulchra et serena, * Dei tabernaculum.

3. O quam magna Tibi fecit, * Qui potens est, et adiecit * Gratiam ad gratiam! * Qui caelum terramque regit, * Matrem sibi Te selegit, * Sponsam atque filiam.

4. Virgo, vere benedicta, * Culpa numquam es obstricta * Carnis in exsilio; * Sine labe es concepta, * Magno lapsui praerepta * Summo privilegio.

5. Contendebat certatura * Tunc cum gratia natura, * Gratia praevaluit; * A peccato praeservatam, * Immunemque, illibatam * Mire Te constituit.

6. Eva nova novae legis, * Praeelecta summi Regis, * Consors eius gloriae, * Tu draconem domuisti, * Forti pede contrivisti * Victrix caput satanae.

7. Semper fulgens munda stola; * Inter mundas munda sola * Ascendisti sidera; * Super agmina Sanctorum, * Super choros Angelorum * Sceptra geris Domina.

8. Oras nunc a dexteris Nati, * Jugo solvat ut peccati, * Quos redemit Sanguine; * Manus Tuae stillant dona, * Vitae fac caelestis bona * Et in nos defluere.

9. Esto nobis maris stella, * Ne nos fluctuum procella * Navigantes obruat; * Ex qua salus est exorta, * Esto nobis caeli porta, * Quae salvandis pateat.

10. Virgo clemens, virgo pia, * Duc secura nos in via * Vitae per exsilium: * Nos, o Mater, hic tuere. * Olim istic fac videre * Te Tuumque Filium.

11. Fac, Te duce, nos orare, * Vigilare et certare, * Certos Tuae gratiae! * Funde nobis pia dona, * Custos, mater et patrona * Sanctae sis Coloniae. (Ecclesiae.)

12. Fac nos stare fide vera, * Caritate, spe sincera, * Absque culpae macula; * Gregem Tibi sic dicatam, * Jam a patribus sacratum * Protegas in saecula.

Pro *gratiarum actione* etiam servire possunt preces pag. 121 sqq. positae *pro tertia praeparatione.*

Preces in visitatione SS. Sacramenti persolvendae.

Primus modus visitandi SS. Sacramentum.

Moyses aliquando gloriam gentis suae praedicans, *nec est,* inquit, *alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris* (Deut. 2, 7). — Quid, quaeso, dicere debemus nos, qui pro umbra rem et veritatem ipsam in ecclesiis nostris assidue habemus? Sed quid sacerdotes, qui adeo familiari Christi consuetudine utuntur? Certe, non est alia natio, nec alia hominum conditio tam grandis, tam honorata, tam beata, quae habeat talem ac tantum Deum, sibi ita propinquum! Sed quid inde? Nonne aequum est, ut ipsi iugiter assistant? Quod quia fieri non potest in hac vita, certe convenit, ut frequenter compareamus tamquam aulici coram Domino nostro obsequiaque ipsi praestemus, et tamquam filii piissimi ad patrem amantissimum, immo amicum fidelissimum quam saepissime recurramus. Quare:

I. Veni in sanctuarium Dei, quando est magis desertum et ab adoratoribus vacuum; et pro certo habens, ecclesiam esse domum Dei et domum orationis, reverenter ingredere, dicens cum Psalmista:

Domine Jesu, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo et cum fiducia confitebor nomini tuo. Munda cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma, ut

in spiritu et veritate te adorare valeam, et ut iucundum sit tibi rationabile obsequium meum.

II. Accede ad Dominum Jesum eadem fidei devotione, qua pastores et magi ad eum recenter natum festinantes venerunt; et procidens ante eum, in cuius nomine omne genu flectitur, in hos actus erumpe:

O Jesu! quamvis in hoc Sacramento nullum maiestatis tuae splendorem oculis videam, attamen credo firmiter, quia tu es vere Deus absconditus; Deus, Salvator, Christus, Filius Dei vivi, iudex vivorum et mortuorum; hoc credo, quia tu, ipsa veritas, dixisti: „Hoc est Corpus meum"; adiuva incredulitatem meam. Tu es Dominus meus et Deus meus, rex regum et Dominus dominantium; tu solus altissimus, et substantia mea tanquam nihilum ante te; adoro te ut principium et ultimum finem, ut Dominatorem caeli et terrae et ut dominum vitae et mortis. O Jesu, mi Jesu, quam magnus et laudabilis es! nonne tibi subiecta iugiter erit anima mea? Dignum sane et iustum est. O sancti Angeli, qui hunc regem in praesepi iacentem cum stupore adorastis et iam regnanti in caelo ad ministerium semper assistitis, quin etiam ipsum altare frequentes et venerabundi cingitis, o Angeli Dei, adorate pro me Jesum meum, quoniam tanto muneri impar nimis sum ego, et ille maior omni laude; quamvis imbecillis sim puer, dicam semper: Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui etc.

III. Accede sicut publicanus in animo contrito et confusione sauciato, prae dolore singultiens et pectus prae amaritudine percutiendo dicens:

Peccavi, Domine, peccavi; scio hoc et agnosco. O me detestabile monstrum! Ideo non sum dignus, qui vel oculos in caelum levem. Verum, o mi Jesu, o Jesu, misericordia mea, o Jesu dives in misericordia, o Jesu praestabilis super malitia mea, pro-

pitius esto mihi peccatori; et quoniam nefandissimus peccator sum ego et peccatorum primus, supplex oro, ut miserearis mei secundum magnam misericordiam tuam; doleo propter te summe dilectum; doleo, quod tibi adeo peccaverim; per totam vitam deficiat in gemitibus anima mea.

Hoc sacrificio spiritus tui contribulati ac cordis tui contriti et humiliati mirifice delectatur Dominus Jesus, et te iustificatum in pace dimittet.

IV. Centurionis humilitatem indue, sic ex abundantia cordis proclamans:

Domine Jesu, quamvis ego te frequenter recipiam, confiteor tamen, me non esse dignum, ut intres sub tectum meum, sed saltem permittas, quaeso, ut saepius hic effundam cor meum coram te, qui facis Angelos tuos spiritus et ministros tuos flammam ignis; accipe mea adorationum obsequia in supplementum defectuum in frequenti Missae celebratione commissorum. O me nimis felicem, si tibi, altissimo Deo, vota mea reddendi studiosus, dignus tuis altaribus minister gratia tua efficiar!

V. Hunc divinum sponsum et animarum zelotem velut Magdalena contempleris, dicens:

O Deus cordis mei, rex meus, et Deus meus! beati, qui habitant in domo tua! Melior est dies una in atriis tuis super millia. Vae vagis illis, qui elongant se a te! nonne peribunt? Ego vero hoc periculum effugere cupiens, venio ad te, o sponse sanguinum et refugium meum; hic securius habitabo, hic requies mea multa nimis. Convolent alii ad mundanas conversationes; ego autem coram te, quoad vixero, assiduus et laetus assistam. Ecquid mihi est in caelo, et a te, o Jesu, dilecte mi, quid volui super terram? Unus ergo sit dolor meus, a te separari, o centrum animae meae! a te, inquam, quem ex toto corde meo

diligo! Quis mihi dabit, ut te ardentius diligam, o Deus caritatis! o totus amabilis! Ex corde tuo erumpat in cor meum perennis amor; siquidem venisti ignem mittere in terram, et quid vis, nisi ut accendatur?

VI. Adeas cum fiducia ut caecus, ut leprosi et alii aegrotantes; et quamvis velut importunus increperis, multo magis clama:

Jesu, fili David, miserere mei; ecce, quem amas, infirmatur; ille, propter quem homo factus es; ille, quem pretioso Sanguine redemisti; ille, pro cuius amore iugiter in hoc altari resides; ille, quem tuo sacro Corpore in hoc Sacramento quotidie satias. Ecce me peccatorum lepra foedatum; ipse vides, quomodo occupet et angat me febris superbiae, iracundiae etc.; sed, si vis, potes me mundare. Ergo, o pie medice, qui languores nostros tuo livore sanasti: tu, qui es salus mea, sana animam meam, quia peccavi tibi; da, Domine, ut videam, quatenus detegam, quid tibi in me displiceat, vel desit mihi.

Hic aperi illi tuas infirmitates spirituales, hanc superbiam, hunc teporem etc.

VII. Expedit etiam, ut instar Mariae, quae monita salutis a Domino Jesu petiit, sedeas secus pedes eius, et pariter audias loquentis intus veritatis documenta:

O Jesu, qui venisti a Deo magister, et qui viam Dei in veritate doces, doce me facere voluntatem tuam. Beatus homo, quem tu erudieris. Da mihi, servo tuo, cor docile, ut non tantum auditor sim verbi tui, sed magis factor.

Hic attente audi et docibili corde custodire contende, quid loquatur in te praeceptor bonus.

VIII. Multum proderit, ut instante tentationum procella ad eum cum Apostolis trepidus confugias.

Domine, salva me, ecce pereo! impera ventis et mari, et fiet tranquillitas magna; teneat et deducat

me dextera tua, ut de tot tantisque periculis erutus ad portum felicitatis securus perveniam. O salutaris hostia, quae caeli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.

IX. Sed praesertim accede et festina, oraturus fidenter sicut Chananaea:

Tu scis, Domine, quia nescio saepissime, quid petam; eia ergo, Jesu mi, doce me orare. Recordare, Jesu pie, istius dulcissimi verbi tui: Petite et accipietis. Da mihi saltem micas mensae tuae, scilicet cor paupertatis et humilitatis amans.

Hic avide pete, quod Dominus Jesus tibi magis expedire scit ad suam gloriam et tuam salutem.

X. Recogitans in amaritudine animae tuae, quam iuste iram Patris aeterni eiusque flagella propter nimia peccata tua merueris, offer illi dilectum Filium in propitiationem delictorum tuorum et in plenam cum illo reconciliationem.

O Pater aeterne, peccavi! iniquitates meae, quibus iram tuam merui, clamant de terra ad te vindictam. Sed Sanguis Filii tui efficacius misericordiam clamat. Peccavi; sed ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi! Peccavi; sed ecce Filius tuus dilectus, in quo tibi bene complacuisti! Respice ergo in faciem Christi tui, qui, factus pro me reconciliatio, se in ara crucis obtulit, quia ipse voluit, et se quotidie in hoc altari offert in remissionem peccatorum totius mundi; per hunc Filium tuum supplex oro, indignationem tuam a me averte et concede mihi gratias, quibus indigeo, ut placeam tibi omnibus diebus vitae meae. Quid mihi in nomine Filii tui petenti denegabis?

XI. Ecce tibi ingentis meriti satisfactio, cui feria V cuiuslibet hebdomadae incumbere operae pretium erit. In genua ergo ante altaris Sacramentum provolutus, et reconciliationem pro te et pro populo facturus, sic animo contrito ingemiscens, ora veniam.

O Jesu, quando ex una parte corde recogito hanc tuorum mirabilium, quam fecisti, memoriam, et ex altera abominationem desolationis stantem in loco sancto tuo et hanc adeo stupendam et abundantem iniquitatem tot ingratorum hominum, et praesertim tot clericorum et sacerdotum, fio mihimetipsi gravis, confundor, obstupesco, fremo in memetipso. — Verum, o Jesu mi, qui haec improperia in horto recogitans factus es prae dolore in agonia, reple cor meum amaritudine amarissima, ut vero et amaro contritus dolore possim tibi ineffabiliter offenso satisfacere. — O Jesu, tabescere me fecit zelus meus (Ps. 118, 139), quia tot infideles et haeretici hoc divinum Sacramentum pertinaciter nolunt credere, atque iniuria afficiunt iniquitatibus et abominationibus suis pessimis. Proh dolor! tabesco, quia, o rex excelse prae omnibus regibus terrae, in hoc Sacramento ab ipsis fidelibus tuis es derelictus, oblivioni datus tamquam mortuus a corde; doleo, quia in templis pauperibus habitas, dum privatae domus splendide ornantur; amare plango, quia tot fideles tibi praesenti necnon et sacrosancto Missae sacrificio nonnisi irreverenter assistunt, faciendo domum tuam domum negotiationis et speluncam latronum; tristis et anima mea, quia iidem ingrati filii, sacrum hoc convivium tamquam levissimum cibum fastidientes, ad Aegypti convertuntur cepas, et siliquis porcorum delectantur; exitus aquarum deducant oculi mei, quod tot, velut proditor Judas, manducent et bibant indigne, fiant rei Corporis tui et sic iudicium sibi manducent et bibant. Sed heu! quanto vehementius doleo et dolere cogor, quia ipsi ministri et noti tui, adeo exaltati et quotidie enutriti, magnificent super te supplantationem, ac spernant te, rex Deus, celebrando Missae sacrificium cursim, oscitanter et turpis lucri gratia, utendo vestibus pannosis et

sordidis, non diiudicando Corpus tuum, faciendo in domo tua sacrilegia multa. Verum, o Domine Jesu, quod acerbius urit et excruciat cor meum, illud est, quia ego sum unus, immo inter primos ex ingratis hominibus, ministris tuis; ego, ego sum, qui peccavi, et nefandius prae ceteris peccavi in te et coram te, quia copiosius gratia tua praeventus. Vertatur, obsecro, manus tua contra me, qui prae omnibus fui nequam, quia tu bonus fuisti.

Attamen, quod me his in angustiis consolatur, illud est, quod nunquam despicias cor contritum et humiliatum, et quod misericordia tua praestabilis sit super malitia mea. De tua igitur pietate confisus, lacrimis perfusus, faciei meae confusione coopertus et contritus corde supplex rogo veniam. Parce, Domine, parce populo tuo; ubi superabundavit delictum, ibi superabundet et gratia; ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum in tuum Sacramentum commissarum; anticipent nos misericordiae tuae, misericors et miserator Jesu. Sed imprimis propitius esto mihi peccatori et indignissimo ministro tuo, non habenti fiduciam nisi in tua magna misericordia; poenitet me peccasse, maxime doleo, et quidem in unione illius doloris, quo dulcissimum cor tuum in recogitatione abominationum mearum anxiatum et usque ad mortem triste factum est. Propono, non amplius peccare tibi, quin etiam, plena et immobili fide, spe viva et caritate fervida hoc magnum mysterium venerari, eiusque devotionem ceteris ferventer iugiterque insinuare. Da, ut huius Sacramenti fides, devotio et reverentia in dies crescat ac proficiat in anima nostra, donec te de facie ad faciem videamus et torrente voluptatis tuae potemur in patria.

XII. Dominus Jesus orationes suas, dicta, facta et seipsum Deo Patri iugiter offerebat; fac tu idem in unione eiusdem intentionis.

O Deus, qui es principium et finis, offero tibi cogitationes meas, eloquia, opera mea et totum meipsum in hostiam viventem, in rationabile et sempiternum obsequium, et quidem in unione illius divinae intentionis, quia Filius tuus in terris operatus est.

XIII. Tandem ab altari nonnisi aegre discessurus, posce ab illo benedictionem, sicut Jacob ab Angelo poposcit.

Domine Jesu, necessitas mihi incumbit, ut tuam facturus voluntatem recedam. Utinam benedictionem accipiam a te, Domine, qui fecisti caelum et terram; venient mihi omnia bona pariter cum illa. Amen [1]).

Secundus modus visitandi SS. Sacramentum.

„Laudes et gratiae sint omni momento Sanctissimo et Divinissimo Sacramento.“ (Indulg. 100 dier., plen. semel in mense; cf. supra p. 82.) Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quod in caelo stellae, in igne scintillae, in aëre atomi, in mari

---

1) Sanctis valde in deliciis fuit, et a Concilio Tridentino fidelibus omnibus commendatur *Communio spiritualis, i. e. pium desiderium Eucharistiae Sacramenti suscipiendi, dum realiter suscipi nequit.* Quare fervidus sacerdos et ipse frequenter, praesertim in visitationibus SS. Sacramenti, hoc exercitium pietatis instituet, et poenitentibus suis aliisque fidelibus sedulo insinuabit et vehementer commendabit. Legatur hac de re: *Imtiatio Christi* lib. 4 cap, 10; *Bona* Horol. ascet. cap. 7, § 9; *Scaramelli* Direct. ascet. tract. 1, art. 10, cap. 7; *de Ponte* Medit. part. 1, med. 34; *Rodriguez* De perfect. part. 2, tract. 8. cap. 15; *S. Liguori* Visit. SS. Sacramenti.

guttae, in terra pulveres, quod corporeae in universo sunt creaturae, quia omni laude dignissimus es, Domine universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates. *Vere tu es Deus absconditus.* (Isa. 45, 15.) — Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot mentibus omnium hominum excogitari unquam potuere vel possunt; quia omni laude dignissimus es, Domine, cuius redempti sumus pretioso Sanguine, *quasi agni immaculati.* — Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot omnes Angeli, ipsaque sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest, quia dignus es, Domine, Deus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, vere *laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.* (Dan. 3.)

Rhythmum S. Thomae Aquinatis

habes supra pag. 139.

Preces. Suavissime Jesu, qui excessu singularis in nos amoris in Sacramento altaris nobiscum manere voluisti, agnosco te supremum Dominum ac Deum meum; profundissima humilitate te hic praesentem adoro, gratiasque tibi ago ex toto corde pro infinito tenerrimoque amore, quem nobis in hoc Sacramento exhibes, etsi saepe indignissimis modis te tractemus. Plenus dolore de hac summa iniuria et ingratitudine, o Deus maiestatis, ad te supplex venio, deprecaturus pro omnibus profanationibus, sacrilegiis et impietatibus contra adorandum hoc Sacramentum unquam commissis, et quae deinceps comittentur. Utinam, mi Deus, magnitudine doloris contestari possem, quantopere me affligat, quod ipsemet, heu dolor! tanta cum irreverentia saepius coram te comparuerim et tam

exiguo cum amore ac fervore te suscipere praesumpserim! — Obliviscere, Domine, iniquitatum mearum, et recordare solummodo misericordiae tuae. Ratum habe sincerum, quo flagro, desiderium, ut una mecum omnes te honorent in hoc Sacramento amoris. Ita, Domine, toto affectu cupio te in eo amare, benedicere, laudare, adorare, quantum omnes Sancti et Angeli te amant, benedicunt, adorant, rogans per hoc adorandum Corpus et hunc Sanguinem pretiosum, quibus supplex advolvor, ut deinceps tanta cum reverentia te adorem, tamque digne suscipiam, ut post mortem tuas laudes cum omnibus Sanctis merear in aeternum praedicare. Amen.

Auge, mi Deus, fidem meam per virtutem huius divini Sacramenti, conforta spem meam, accende caritatem meam, reple et incende cor meum amore tui, ut nihil praeter te aspiret, nec vivat amplius nisi propter te. — O Jesu amabilissime, propter infinitam bonitatem et amabilitatem tuam, amo te super omnia, et omnium Sanctorum cordibus ardentissime te amare desidero; et cum S. Francisco Xaverio, ad pedes tuos prostratus, ex animo dico:

O Deus, ego amo te! * Nec amo te, ut salves me; * Aut quia non amantes te * Aeterno punis igne. * Tu, tu, mi Jesu, totum me * Amplexus es in cruce; * Tulisti clavos, lanceam, * Multamque ignominiam, * Innumeros dolores, * Sudores et angores, * Ac mortem, et haec propter me, * Ac pro me, peccatore. * Cur igitur non amem te, * O Jesu amantissime! * Non, ut in caelo salves me, * Aut ne aeternum damnes me, * Nec praemii ullius spe; * Sed sicut tu amasti me, * Sic amo et amabo te, * Solum quia rex meus es, * Et solum quia Deus es.

V. Panem de caelo praestitisti eis (t. p. Alleluia).

R. Omne delectamentum in se habentem (Alleluia).

Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

O benignissime Jesu, a quo manant in nos omnia bona, per quem omnia mala a nobis arcentur; averte a me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiae ardorem, et quidquid demum divinae maiestati tuae displicet, ut tibi Deo meo in veritate serviam et te corde perfecto laudem et glorificem in saecula. Amen.

O bone Jesu, quem hic vere agnosco praesentem, fac, obsecro, ut sentiat anima mea virtutem praesentiae tuae, et infunde in eam gratiae tuae lumen. Da mihi sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, efficaciam in opere, gratiam in conversatione, profectum in studiis, processum in conceptis, solamen in adversis, tutelam in prosperis, ut, quocumque me verterim, ubique gratia et misericordia tua praecedat me. Si errem, reduc me; si ignorem, doce me; si peccem, corripe me; si trister, consolare me; si cadam, erige me; da mihi gratiam verius te cognoscendi, ardentius te diligendi, sincerius in te credendi et tutius te sequendi.

„Concede mihi, misericors Deus, quae tibi sunt placita ardenter concuspiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Ordina Deus meus statum meum: et quod a me requiris, ut faciam, tribue ut sciam, et da exsequi, sicut oportet et expedit animae meae.

Da mihi Domine Deus meus inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar et in

istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te vel abducat a te; nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia aeterna. Taedeat me gaudii quod est sine te, nec aliud cupiam, quod est extra te. Delectet me Domine labor, qui est pro te; et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine te.'

Da mihi, Deus meus, cor meum ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito constanter dolere.

Fac me, Domine Deus meus, obedientem sine contradictione, pauperem sine deiectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, maturum sine gravedine, agilem sine levitate, timentem te sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corripere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione.

Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio: da firmum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi-vindicet violenta affectio.

Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam fidenter te exspectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis hic affligi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis in patria frui per gloriam: Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen." *(Ex oratione S. Thomae familiari. Indulg. 3 annor. semel in die: Racc. p. 599.)*

Piae petitiones S. Augustini.

Domine Jesu, noverim me, noverim te, * Nec aliquid cupiam nisi te. * Oderim me et amem te, * Omnia agam propter te. * Humiliem me, exaltem te. * Nihil cogitem nisi te. * Mortificem me et vivam in te. * Quaecumque eveniant, accipiam a te. * Persequar me, sequar te, * Semperque optem sequi te. * Fugiam me, confugiam ad te, * Ut merear defendi a te. * Timeam mihi, timeam te, * Et sim inter electos a te. * Diffidam mihi, fidam in te. * Obedire velim propter te. * Ad nihil afficiar nisi ad te, * Et pauper sim propter te. * Aspice me, ut diligam te; * Voca me, ut videam te, * Et in aeternum fruar te. Amen.

(Indulg. 50 dier. semel in die: Racc. p. 68.)

Commendo me tibi, o bone Jesu! intra mellifluum cor tuum absconde me, neve permitte me separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me et pro omnibus fratribus et amicis meis, per lacrimas, sudorem et Sanguinem tuum. Amen.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi semper et in omnibus, nunc et in hora mortis, tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Tertius modus visitandi SS. Sacramentum.

Actus consecrationis ad sacratissimum Cor Jesu.

(Adverte tamen, verbum „promittens“ quod occurrit, non exprimere votum, sed merum propositum.)

Dulcissime Jesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles

Cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es; ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me ceterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas iniurias omnes a me et ab aliis quibuscumque in hoc infiniti amoris mysterio Cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo Cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens, me divini Cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam in peculiarem matrem mihi eligo, huiusque purissimo Cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens, me huius piissimae matris cultum iuxta Ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Piae aspirationes ad Cor Jesu.

Oh! quam bonum et quam iucundum, habitare in Corde hoc! Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet? (S. Bern. serm. 3 de Pass.) — Cor Jesu, cor novum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis. — Cor Jesu amabilissimum! quis separabit cor meum ab amore tui? — Cor Jesu mitissimum, humillimum, patientissimum, dirige cor nostrum secundum te. — Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

Rhythmus ad SS. Cor Jesu.

1. Cor Jesu, cor purissimum, * O ara sanctitatis! * Cor meum purga sordidum, * Infectum tot peccatis.

2. Qui movet tibi vomitum, * Auferto hinc teporem, * Infunde novum spiritum, * Et spiritus fervorem.

3. Cor mite, cor humillimum, * Cor plenum bonitatis, * Cor tuo da simillimum, * Da ignem caritatis.

4. Sed quid? si vel seraphico * Amore cor flagraret, * Non tamen hoc incendio, * Non satis te amaret.

5. Ut ergo te diligere, * Cor Jesu, possim satis, * Immensum da, quo amas me, * Ardorem caritatis.

6. Hoc, hoc amoris iaculo * Cor meum accendatur, * Et huius ab incendio * In cineres solvatur.

7. O mors exoptatissima, * Sic mori vi amoris; * Amoris sit cor victima * Pro Corde Redemptoris.

8. Amore tui moriar, * Cor Jesu, amor meus! * Ut novo corde ordiar * Amare te, o Deus! Amen.

Unice cordis amor, timor unice cordis, Jesu!
Cor tibi dono meum, Cor mihi redde tuum.

Aspir. Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum.

(Indulg. 300 dier. semel in die: Racc. p. 203.)

Oremus. Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos caritatis eius beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae tuae novo beneficio aperire dignatus es: concede, ut huius sacratissimi Cordis amori respondere, et iniurias eidem afflictissimo Cordi ab in-

gratis hominibus illatas dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Salutatio sanctissimi Cordis Jesu.

Salve, cor Jesu dulcissimum, suavisonum sanctissimae Trinitatis instrumentum! Salve, cor Jesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum aerarium! Millies et millies benedico et saluto tuam divinam bonitatem, quia es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum cor Jesu Christi, per mutuum amorem summe colendae Trinitatis saluto et adoro te ob abundantiam omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae! — O cor Jesu, cor dulce! O cor Jesu, cor suave! O cor Jesu, cor amabile! O cor Jesu, manans dulcedine, redundans pietate, affluens caritate! In tua intima penetralia immergo spiritum meum, et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et negligentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores; tibi dedico omnes meas angustias et miserias; tibi commendo vitam et finem vitae meae. O cor, aroma dulcissimum, incensum suavissimum, sacrificium dignissimum, offer temetipsum super reconciliationis humanae altare aureum in supplementum omnium quos vixi dierum, in quibus Deo non detuli fructum. — Benedico tibi, cor Jesu nobilissimum, ob illum amorem, quo a Spiritu sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum! Glorifico te, cor Jesu dulcissimum, ob illum amorem, quo a sanctissima Trinitate omnibus caelestibus donis es decoratum. Magnifico te, cor Jesu mitissimum, ob illum amorem, quo semper

erga genus humanum arsisti. Veneror te, cor Jesu benignissimum, ob illum amorem, quo in cruce moriens discruciatum fuisti. Collaudo te, cor Jesu fidissimum, ob illum amorem, quo lancea transfigi sanguinemque et aquam fundere voluisti. — Te igitur, o sanctissima omnique laude dignissima Trinitas, per illud cor summe benedictum laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre, et summo, quo possum affectu et reverentia offero tuae supremae maiestati idipsum cor dulcissimum atque unice dignissimum omni honore, quia plenum est divina gratitudine ac beatitudinis perfectione excellens in perpetuum, atque oro, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi et in omni bono neglexi. Amen.

Oratio ad cor Jesu pro agonizantibus.

(Indulg. 100 dier. toties quoties; plen. semel in mense, si quotidie ter diversis temporibus dicitur: Racc. p. 193.)

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam cordis tui sanctissimi et per dolores matris tuae immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium!

Commemoratio cordis beatae Mariae Virginis.

V. Cor Mariae immaculatum,

R. Amore Jesu, quo ardes, accende cor nostrum.

Oremus Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem miserorumque perfugium cor sanctissimum et immaculatum Mariae divino cordi Filii Jesu Christi caritate et misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut qui huius dulcissimi et aman-

tissimi cordis memoriam agimus, secundum cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces ad obtinendum zelum pro exstirpatione peccatorum per intercessionem B. M. V. sine labe conceptae.

Misericordissime Deus, toto corde detestor atque abominor omnia mea peccata; detestor etiam ac defleo omnia peccata aliorum ab initio mundi usque ad hanc horam commissa, quia supremam tuam maiestatem offendunt. Firmiter quoque statuo omnia peccata vitare atque in aliis exstirpare illorumque causas et pericula tollere. In hunc finem auxilium gratiae tuae suppliciter peto, benignissime Deus, per intercessionem sanctissimae Virginis Mariae, quam ab omni peccato, tam originali, quam actuali, praeservare dignatus es. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Clementissime Salvator, qui pati et mori dignatus es, ut nos liberares, et qui sanctissimam matrem tuam singulari privilegio a labe originali et ab omni peccato actuali praeservari voluisti: te supplices exoramus, ut per intercessionem eiusdem tuae matris omnia peccata semper vitare et in aliis exstirpare eorumque causas et pericula tollere valeamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad cor B. M. V. pro conversione peccatorum.

O clementissima Maria, refugium peccatorum, obsecro te per dolores cordis tui compassione pleni, et per mortem dilecti Filii tui Jesu: impetra omnibus peccatoribus mundi, iis praesertim, qui scandalis et pravis doctrinis alios in peccatum adducunt, gratiam, ut sincere convertantur. Amen.

Cor Mariae compatiens, succurre peccatoribus!

Quartus modus visitandi SS. Sacramentum.

Litaniae Smi. Nominis Jesu.[1])

(Pro litaniis cum duabus orationibus annexis 300 dier. indulg. semel in die: Racc. p. 70.)

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Jesu, audi nos, — Jesu, exaudi nos.

Pater de coelis, Deus,	Miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus,	
Spiritus sancte, Deus,	
Sancte Trinitas, unus Deus,	
Jesu, Fili Dei vivi,	
Jesu, splendor Patris,	
Jesu, candor lucis aeternae,	

[1]) S. D. N. Leo XIII. indulgentias pro pluribus locis iam antea concessas ad universam Ecclesiam extendit, atque constituit, ut ,,qui corde saltem contrito ac devote recitaverint litanias Ss. Nominis Jesu, prout praesenti decreto subnectuntur et non aliter, praefatam indulgentiam 300 dierum, animabus quoque purgatorii applicabilem et semel tantum in die lucrandam" acquirerent: 16. Jan. 1886.)

De diversis aliis litaniis monuerat quidem saepius S. C., ne permitterentur, atque etiam die 16. Junii 1880 inculcaverat Episcopis, ut caverent suam approbationem pro impressione subnectere iis libris, in quibus litaniae invenirentur Apostolica sanctione carentes. Quod S. R. C. die 29. Sept. 1882 ita interpretata est: ,,Monitum de quo agitur, respicere litanias in liturgicis et publicis functionibus recitandas, posse vero, imo teneri Ordinarios alias seu novas litanias examinare et, quatenus expedire putent, adprobare, at nonnisi pro privata et *extraliturgica* recitatione." Decreta d. 28. Nov. 1895 et 11. Febr. 1898 prohibuerunt omnem usum *communem* in *publico* oratorio; quae servari mandarunt, *non obstante consuetudine*: quo tamen sublata non videtur *consuetudo immemorabilis;* nam responsum S. R. C. allatum *infra P. II, pag. 3* non censetur sustulisse generalem iuris regulam.

Jesu, Rex gloriae,
Jesu, sol iustitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu amabilis,
Jesu admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaure fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, rex Patriarcharum,
Jesu, magister Apostolorum,
Jesu, doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen Confessorum,
Jesu, puritas Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium,

Miserere nobis.

Propitius esto, — parce nobis, Jesu.
Propitius esto, — exaudi nos, Jesu.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

Libera nos, Jesu.

Agnus Dei, etc., — parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, etc., — exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, etc., — miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos, — Jesu, exaudi nos.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui dixisti: petite et accipietis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis; quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore, et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Qui vivis et regnas etc.

O bone Jesu, o piissime Jesu, o dulcissime Jesu, o Jesu, Filii Dei et Mariae Virginis, plene misericordia et pietate, o dulcis Jesu, secundum magnam

misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Jesu, per pretiosum illum Sanguinem, quem pro peccatoribus effudisti, deprecor te, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me miserum et indignum humiliter veniam petentem sanctumque nomen tuum invocantem respicias. O nomen Jesu, nomen delectabile! o nomen Jesu, nomen amabile! Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Itaque propter nomen sanctum tuum, o mi Jesu, esto mihi Jesus et salva me. Ne permittas me damnari, quem pretioso Sanguine tuo redemisti. O bone Jesu, ne perdat me iniquitas mea, quem creavit bonitas tua omnipotens. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi; ne damnes me, quando tempus erit iudicandi. O piissime Jesu, si me damnare velit tua severa iustitia, appello et confugio ad tuam piissimam misericordiam. O amantissime Jesu, o desideratissime Jesu, o mitissime Jesu, suscipe me in numerum electorum tuorum. O Jesu, salus in te credentium! o Jesu, fiducia ad te confugientium! o Jesu, dulcedo te amantium! Fac, ut diligam te, tibique fideliter adhaeream, et post hanc miseriam feliciter ad te perveniam. Amen.

Alia vice sumi possunt

Litaniae sacratissimi Cordis Jesu.

(Indulg. 300 dierum; decr. S. C. Indulg. 25. Maii 1899.)

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.

Pater de caelis, Deus,
Fili, Redemptor mundi, Deus,
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Cor Jesu, Filii Patris aeterni,
Cor Jesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum,

Miserere nobis.

Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu, Maiestatis infinitae,
Cor Jesu, templum Dei sanctum,
Cor Jesu, tabernaculum Altissimi,
Cor Jesu, domus Dei et porta caeli,
Cor Jesu, fornax ardens caritatis,
Cor Jesu, iustitiae et amoris receptaculum,
Cor Jesu, bonitate et amore plenum,
Cor Jesu, virtutum omnium abyssus,
Cor Jesu, omni laude dignissimum,
Cor Jesu, rex et centrum omnium cordium,
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Jesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis,
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complacuit,
Cor Jesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, desiderium collium aeternorum,
Cor Jesu, patiens et multae misericordiae,
Cor Jesu, dives in omnes, qui invocant te,
Cor Jesu, fons vitae et sanctitatis,
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, saturatum opprobriis,
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, fons totius consolationis,
Cor Jesu, vita et resurrectio nostra,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, victima peccatorum,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes in te morientium,
Cor Jesu, deliciae Sanctorum omnium,

Miserere nobis.

Agnus Dei, etc., — parce nobis, Domine.
Agnus Dei, etc., — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, etc., — miserere nobis.

V. Jesu, mitis et humilis Corde,

R. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Preces ante eam sacramentalem confessionem et post persolvendae.

Ante confessionem.

Orationes praeparatoriae

(ex quibus una alterave seligi potest).

1. Ad te, Domine Jesu, denuo supplex revertor, qui peccando a te toties discessi; quo enim ibo, nisi ad te? si tu me repellis, quis me suscipiet? si tu me condemnas, a quo veniam sperabo? Firmissime quidem antehac statui, servare iustificationes tuas omniaque peccata, potissimum ista . . . vitare; sed eheu! instabilis factus sum, et concupiscentiae illecebris seductus te iterum dereliqui. Peccavi, quid faciam? quo me convertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita et resurrectio nostra? Respice in me, Domine Jesu, quemadmodum in Petrum respexisti, et miserere mei. Utinam dolorem cordis mei tot lacrimis, quot ille, testari possim! In tua misericordia, mi Jesu, quae maior est quam mea iniquitas, spem omnem pono. Plus tu potes dimittere, quam ego committere. Ne proiicias me a facie tua. Dic animae meae: *Salus tua ego sum.* (Ps. 34, 3.)

2. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut plorem die ac nocte peccata mea, quibus te, amantissime Jesu, toties ad iram provocavi! ad pedes tuos cum Magdalena provolvor, eosque ex animo amplector et exosculor, tuam supplex misericordiam implorans. Parce, Domine, parce peccatis meis; quae utinam tam largo lacrimarum imbre, quam peccatrix illa, possim eluere! harum defectum, mi Jesu, roseo tuo, quem pro me copiosissime fudisti, Sanguine compensa. A pedibus tuis non discedam; hos firmiter tenebo tamquam salutis meae anchoram, nec dimittam, donec benedixeris mihi, et audiam illa summae consolationis verba: *Remittuntur tibi peccata tua.* (Matth. 9, 2.)

3. *Pater, peccavi in caelum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.* Desideriis et concupiscentiis meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contempto. Fodi mihi cisternas consolationum terrenarum, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas, te fonte aquae vivae derelicto. Gaudium in creaturis quaesivi, quod in te solo inveniri potest. Vere *„non est pax impiis“;* quare ad te redeo, o benignissime Pater, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus. Iterum exclamo: *Pater, peccavi in caelum et coram te;* redde mihi, obsecro, licet filii nomine indigno, gratiae tuae vestem, quam peccatis meis perdidi; restitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum pessumdedi, ut hoc ornatu insignitus in coena tua Eucharistica comparere merear, tibique aeternum coniungi. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* (Ps. 72, 28.)

4. Confiteor adversum me iniustitiam meam tibi, Domine! Inique egi non modo contra divinae maiestatis tuae honorem, verum etiam contra proximi mei caritatem, quem ut diligerem sicut me ipsum,

praecepisti. Saepe, fateor, multumque contra hoc tuum praeceptum peccavi, sive cupidus nimium rerum temporalium aliorum damno, sive laudis propriae appetens aliorum contemptu; quid tandem proderit mihi, si universum mundum lucratus fuerim, animae vero meae detrimentum faciam? quid ex mundi gloria mihi erit, si ad infernum descendam? quid a caelo, quid a terra sperare possum, te Deo meo offenso? Agnosco, mi Deus, inique me hactenus egisse; ignosce culpam agnoscenti. Aufer a me, quod hactenus fovi, cor lapideum, durum et invidum et redde cor carneum, cor humanum, cor mite, tuaeque benignitati conforme, ut et ego inter filios Abrahae, a te electos, recenseri merear. Tu enim venisti *salvum facere, quod perierat.* (Luc. 19, 10.)

5. Sero ad te venio, o Jesu crucifixe! tempus est, ut me tibi conciliem; quot enim iuvenes aeque ac senes mors interea abstulit, dum ego peccatis indulsi? an non et ego una cum illis e medio tolli aeternumque damnari poteram? quid te, mi Jesu, movit, ut mihi prae aliis parceres, nisi bonitas tua infinita? ne ergo me, quaeso, nunc a te repellas; nemo unquam serio poenitens ad te serius venit. Latroni in cruce ultimo vitae articulo condonasti, quidquid omnibus vitae suae annis peccavit, eodemque die in paradisum eum recepisti. Per insigne hoc tuae misericordiae et clementiae opus te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris et doloris affectu!) oro, o Jesu Nazarene, miserere mei, et me, licet indignum, in tuam gratiam recipe. Fateor, amarissimae tuae Passionis et crucis causam esse delicta mea, quae proinde ex animo nunc detestor cum firmissimo proposito, ea me deinceps cum tua gratia nunquam repetiturum. Miserere mei, o Jesu, miserere mei, qui *misereris omnium, quia omnia potes.* (Sap. 11, 24.)

6. Erravi sicut ovis, quae periit, pastor bone; pie Jesu, quaere servum tuum, et reduc me in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixisti: visitabo oves meas; quod perierat, requiram, et quod abiectum erat, reducam; quod confractum fuerat, alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo. Aspice vulnera peccatorum meorum, quorum non est numerus, et sana ea. Tuis me humeris, licet indignum, excipe, et adduc ad gregem electorum tuorum; ibi *misericordias Domini in aeternum cantabo.* (Ps. 88, 2.)

7. Me miserum, qui Jerosolymis Jerichuntem descendi; qui, loco verae pacis deserto, fallaces mundi et carnis delectationes sectatus sum et in manus infernalium latronum incidi, a quibus innocentiae veste spoliatus et ad mortem animae miserando spectaculo vulneratus sum! Propitios in me oculos converte, o pie Samaritane, et miserere mei in sanguine peccatorum meorum me volutantis. Non est, qui velit et possit misero mihi in hoc statu salutarem praebere manum praeter te, Domine Jesu; in te solo meae vitae spes est posita; tu unicus es animae meae medicus; huic, obsecro, amoris tui vinum et misericordiae oleum infunde, et induc eam in vulnus sacratissimi lateris tui. *Haec requies mea in saeculum saeculi*; *hic habitabo, quoniam elegi eam.* (Ps. 131, 14.)

8. Domine omnipotens, importabilis est magnificentia gloriae tuae, et insustentabilis ira comminationis tuae super peccatores: immensa vero, et investigabilis misericordia promissionis tuae; quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis, et multum misericors, et *praestabilis super malitia.* (Joel. 2, 13). Tu, Domine, secundum multitudinem bonitatis tuae, promisisti remissionem iis, qui peccaverunt tibi, et in multitudine miserationum tuarum statuisti poenitentiam peccato-

ribus in salutem. Tu igitur, Domine, Deus iustorum, certe non posuisti poenitentiam propter innocentes et iustos, qui tibi non peccaverunt, sed posuisti poenitentiam propter me peccatorem, quoniam peccavi super numerum arenae maris; multiplicatae sunt iniquitates meae, et non sum dignus intueri et aspicere altitudinem caeli prae multitudine iniquitatum mearum. Et nunc flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco. Quare obsecro te, remitte mihi, Domine! remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neve in aeternum iratus damnes me; tu enim es Deus, Deus, inquam, poenitentium; et in me ostendes omnem bonitatem tuam, et quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, laudabo te semper, omnibus diebus vitae meae, laudetque te omnis virtus caelorum in saecula saeculorum. Amen.

Clementissime Pater, dignare ceteris, quae mihi iam contulisti, innumeris beneficiis etiam hoc insuper addere, ut mentis meae tenebras gratia tuae visitationis illumines, affectum voluntatis inflammes et corrobores, ut cognoscam et detester, quidquid cogitatione, affectu, verbo, opere, omissione contra te, contra proximum et me ipsum peccaverim.

Examen conscientiae

pro confessionibus ordinariis[1]).

I. *Circa curam rerum spiritualium:* Preces quotidianae: quot? quomodo? meditatio cum additio-

---

[1]) Pro confessione generali presto sunt complura adiumenta et libelli, quibus qui opus habent, facile uti possunt. Hic nonnulla etiam commemorantur, quae in se quidem peccata nondum sunt, sed quae, nisi a sacerdote attendantur, multorum defectuum et peccatorum causa exsistunt.

nibus? praeparatio ad Missam remota et proxima? in ipsa Missae celebratione qualis intentio? attentio? devotio? fideliter servatae rubricae? quaenam gratiarum actio post Missam? Breviarium: quomodo et quando? integre, digne, opportuno tempore, situ locoque decenti? attente ac devote recitas? num nimis festinanter verba corripiens, ea non rite efformans? verene Breviarii recitationem consideras ut magnam strictissimamque obligationem tuam? num distractionibus ansam praebes? pensum in somni tempora differs? Quomodo curas lectionem spiritualem? examen conscientiae particulare? generale?

II. *Circa usum Sacramentorum.* Confiterisne vera cum sinceritate, contritione et emendationis proposito? etiam circa venialia, quae confiteris? quomodo te praeparas? num forte quaeris confessarium, qui neque interroget, neque dirigat, vel forte eodem ac tu vitio laboret?

III. *Circa curam animarum:* 1. Confessiones audisti libenter? serio? absque personarum acceptatione? num rogatus ad Sacramenti alicuius administrationem ire tardas? num obmurmuras? 2. Conciones suntne sedulo praeparatae et graviter habitae absque tui ostentatione et vanitate? 3. Curam paternam impendis pueris in schola et extra scholam? pauperibus? aegris? Num forte absque legitima causa nimis frequenter abes [1]) a parochia cum animarum damno, aut saltem periculo?

IV. *Circa vitam privatam:* 1. *Fides:* cogitationes? colloquia? lectiones? (quasnam ephemerides

---

[1]) Parochum non posse abesse per totam hebdomadam, non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo ab Ordinario approbato, declaravit *S. C. C. 7. Oct. 1604.* Cfr. lib. *Lectiones quotidianae de vita, honestate et officiis sacerdotum* etc. 291–300. (Ratisbonae 1870.)

lectitare soles?) studium? 2. *Oboedientia:* repugnantia? obmurmuratio? violatio ieiunii vel abstinentiae? 3. *Castitas:* cogitando? non repellendo tentationes? desiderio? loquela? visu? opere? 4. *Temperantia*: in cibo? potu? somno? lusu? relaxatione animi? — irane admissa? scurrilitas? levitas? 5. *Caritas:* invidia? detractio? calumniae? verba dura? eleemosynae? 6. *Modestia clericalis:* in custodia sensum? in conversatione? vestitu? tonsura? supellectili?

Peccavi, Domine, peccatum grande, et multorum mihi conscius sum delictorum: sed nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat, te Deum esse misericordem. Magnam iniuriam tibi facit, qui de tua misericordia diffidit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua, Domine Jesu, in mentem mihi venerit. Clavi et lancea clamant mihi, quod tibi reconciliatus sum. Longinus aperuit mihi latus tuum, et ego intravi, et tibi requiesco securus; nullum tam potens amoris erga te incitamentum est, quam mors tua, mi Jesu, qūa me redemisti. Inclinas caput tuum in morte, ut osculum mihi, quamvis peccatori, des; extendis brachia tua in cruce et expandis manus tuas, paratus in amplexus meos. Inter brachia tua et vivere volo et mori cupio. Amen. *(S. Augustinus.)*

Actus contritionis. Utinam te, Domine, mi Deus, ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omnibus viribus meis super omnia diligam! Utinam ipsum Seraphinorum amorem exaequem, et in eodem semper persistam! *Tu scis, Domine, quia amo te,* magisque amare cupio; atque millies malo mori, quam in illud peccatum . . . in illa peccata . . . relabi. O quam doleo, quod te, summum et amantissimum bonum meum unquam offenderim!

Utinam (quod gratia tua fretus firmissime propono) te nunquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore et cultu dignus es, cuius sanctissimam voluntatem in omnibus exsequi cupio. Amen.

Alius modus eliciendi actum contritionis et propositi. O Pater misericordiarum! quid retribui tibi pro dilectione tua? nihil nisi peccata, negligentias, ingratitudinem. Utinam nunquam te offendissem, nec offenderem posthac in aeternum! Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis tam occultis, quam mihi notis, quia iis te offendi, qui es summe bonus, infinite perfectus, maxime amabilis. Doleo, quia peccavi contra te, Creatorem, Redemptorem, Deum meum. Poenitet me unquam peccasse. Displicet, quod ausus sim te, Deum meum, offendere. Supplex peto veniam et misericordiam. Detestor, exsecror, abominor omnia delicta, quae inde a pueritia in hanc usque horam commisi; detestor illa super omnia detestabilia propter foedam eorum turpitudinem, propter iram et poenam iustitiae tuae, propter detrimentum animae meae, propter ingratitudinem contra bonitatem tuam. Praecipue autem detestor omnia *(illud autem . . . illa . . . imprimis)*, quia te summum bonum offendi, quia cor tuum contristavi, quia displicui et malum feci tibi, qui, etiamsi caelum non esset nec infernus, nec praemium nec poena, tamen propter infinitam tuam bonitatem et perfectionem eras et es dignissimus, qui nunquam offendaris, sed semper ameris, colaris et honoreris. Ignosce, mi Deus, qui non vis mortem peccatoris, ignosce. Propono firmissime ex hoc momento nunquam iterum te offendere. Propono vitare constanter et singulari studio deliberata peccata ad unum omnia et occasiones peccandi mortaliter, et magna sollicitudine illud decli-

nare *(nominetur quod supra)*. Confitebor illud. Agam poenitentiam. Serviam tibi, Deo meo, fidelius. Ignosco tui amore omnibus. Quotquot unquam gravavi. scandalizavi, laesi, contristavi, contempsi aut iudicavi, ab his veniam humiliter peto, iisque pro viribus satisfacere cupio. Et quia ego impar sum delendis eis, quae contraxi, debitis, etiam in satisfactionem offero merita Jesu Christi, B. Virginis omniumque Sanctorum, cum operibus meis ac vita mea tota. Ignosce, Pater clementissime, et filium prodigum in gratiam recipe, a qua nunquam me sinas excidere. O Deus optime, potius mihi mortem immitte, quam in peccatum grave relabi permittas. Malo mori, quam peccare. Adiuva imbecillitatem meam.

„Suscipe confessionem meam, piissime ac clementissime Domine Jesu Christe, unica spes salutis animae meae, et da mihi, obsecro, contritionem cordis et lacrimas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate et puritate cordis. Domine Deus meus, suscipe preces meas. Salvator mundi, Jesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; et si commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es salvator meus, et miserere peccatrici animae meae. Solve vincula eius, sana vulnera: Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimae et immaculatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et Sanctorum tuorum lucem tuam, veritatem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, de quibus confiteri me oportet, atque iuvet et doceat ipsos plene et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen."

Post confessionem.

„Sit tibi, Domine, obsecro, meritis Beatae semper Virginis, Genitricis tuae Mariae, et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in caelo; qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen“ [1]).

Gratias immensas tibi ago, Domine, quia dirupisti vincula mea, quibus tenebar in daemonis servitute, et quia eripuisti animam meam a perditione, eamque pretioso Sanguine tuo mundatum restituisti divinae tuae gratiae. — Ad te, o benignissime Jesu, revertor et gratias ago, quod a foedissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus es. Sit nomen tuum, o Jesu, benedictum in saecula. Vere tu es Jesus, hoc est Salvator, qui neminem quantumlibet flagitiosum a te repellis, qui omnes serio poenitentes in gratiam recipis et in numerum filiorum tuorum adscribis. Misericordiae tuae viscera, o Jesu, agnosco et amplector, meque totum servitio tuo deinceps addico. Adiuva, obsecro, imbecillitatem meam, ut nunquam huius, quod mihi praestitisti, beneficii oblitus, amore ullius delectationis aut praeposteri affectus impulsus, in priora peccata relabar meque a te separem. Cor et animam meam dilectionis tuae brachiis ita tecum constringe, ut dicere cum Apostolo possim: *Quis me separabit a caritate Christi?* (Rom. 8, 35.) O dulcissime Redemptor! amo te ex toto corde

---

[1]) Leo XIII. die 19. Augusti 1882 sacerdotibus qui hanc et praecedentem orationem ante et post confessionem peccatorum suorum corde saltem contrito et devote recitaverint, indulgentiam 200 dierum concessit. Racc. p. 662.

meo et ex tota anima mea, quia infinite bonus es. Doleo, quod unquam te offenderim, firmiterque propono in posterum iam non peccare. — Da, Domine, ut deinceps diligam te, ut serviam tibi constanti voluntate, ut gratiam tuam conservem et potius moriar, quam ex illa per peccatum iterum excidam. — Largire mihi, Domine, gratiam proposita exsequendi, vitam serio emendandi et in gratia tua ad mortem usque perseverandi. — Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse, da cordi meo inviolabilem tuae caritatis affectum, ut haec desideria de tua inspiratione concepta nulla valeant tentatione mutari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces ad intentiones in lucrandis indulgentiis praescriptas.

Oratio praeparatoria. Omnipotens, sempiterne Deus, cuius misericordia a peccatis omnibus aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius permaneam; cum his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, Sanctorumque thesaurum confugio, ut huius abundantia tenuitati et indigentiae meae subveniatur. Promptum me ad omnia, quae hunc in finem praestanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione passionis et mortis eiusdem Filii tui, plenariaeque huius indulgentiae me, licet indignum, fac participem. Amen.

1. Oratio ad Deum Patrem,

pro exaltatione S. Matris Ecclesiae.

Memento, o Pater aeterne, congregationis tuae, quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut sponsam unigeniti Filii tui, pro qua ipse Sanguinem suum profundere non dubitavit; hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, hereditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali sponso, tantoque redemptionis pretio. Respice benigne eiusdem sanctae matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te, Deum Patrem, et quem misisti, Jesum Christum, una cum Spiritu sancto fide viva agnoscant, spe firma invocent, et caritate perfecta complectantur. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

V. Vide, Domine, et visita vineam istam,

R. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit etc.

2. Oratio ad Deum Filium,

pro exstirpatione haeresum.

O Jesu, lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, fac, oro, per inaestimabilem passionis et mortis tuae virtutem, ut, pulsis haeresum et errorum tenebris, veritatis tuae lumen omnes amplectantur et in optatum Ecclesiae tuae gremium confluant. O pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant, ut unum omnium sit

ovile. Mane nobiscum, Domine, quoniam dixisti: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Ostende, Ecclesiam tuam aedificatam esse super petram, et portas inferi non praevalere adversus eam. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

V. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,

R. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus. Ecclesiae tuae. quaesumus, Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

3. Oratio ad Spiritum Sanctum,

pro concordia christianorum principum.

O Sancte Spiritus, Spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti: largire christianis principibus, eorumque consiliariis abundantiam tuae gratiae, novoque illo caritatis mandato, quod Christus abiens ex hoc mundo discipulis suis dedit, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero electorum tuorum censendos et christiano nomine dignos esse. Fac, ne ulla unquam cupiditate abducti, quidquam moliantur, quod divinae tuae gloriae concordiaeque Ecclesiae adversetur, sed coniunctis potius viribus ad pacis aeternae visionem, ad caelestem Jerusalem, populum sibi subiectum secum perducere nitantur. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

V. Fia pax in virtute tua,

R. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda

nostra mandatis tuis dedita et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad SS. Trinitatem,

qua peractorum operum, quae ad indulgentias lucrandas praescripta erant, fit oblatio.

Praestitisse nunc mihi videor, o SS. Trinitas, quaecumque ad plenariam debitarum poenarum indulgentiam impetrandam praescripta erant. Haec et multo plura divinae maiestati tuae, utpote innumeris eidem nominibus obstrictum, praestare me oportebat. Infinitae bonitati tuae profusaeque in nos licet indignissimos liberalitati tribuendum est, quod tam cumulate vilissima debitae servitutis nostrae opera remunereris. Suscipe ergo, o SS. Trinitas, opera a me quomodocumque praestita, et fac, ut horum defectus Passione et morte Domini nostri Jesu Christi eiusdemque Sanguine pretiosissimo pro nobis effuso suppleantur: atque ita me (vel animam istam) plenariae huius indulgentiae fac participem. Pro quo beneficio tibi caelum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent nunc et in perpetuum. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

Salutatio Angelica

(ad trinum campanae pulsum. — Indulg. cf. Racc. p. 210).

V. Angelus Domini nuntiavit Mariae,
R. Et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria etc.
V. Ecce ancilla Domini,
R. Fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria etc.
V. Et verbum caro factum est,

R. Et habitavit in nobis. Ave Maria etc.
V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per Passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Tempore paschali, a meridie Sabbati Sancti usque ad meridiem Sabbati ante festum SS. Trinitatis *inclus.*, non dicitur *Angelus*, sed sequens Antiphona, et quidem stando:

Regina caeli, laetare, Alleluia.
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum. Alleluia.

V. Gaude et laetare, Virgo Maria, Alleluia.
R. Quia surrexit Dominus vere, Alleluia.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta, quaesumus, et per eius genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Preces vespertinae.

Litaniae B. M. V. Lauretanae.

(Vel recitantur *Litaniae SS. Nominis Jesu* pag. 191.)

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de caelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte, Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, — miserere nobis.
Sancta Maria, — Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix, Sancta Virgo virginum, Mater Christi, Mater divinae gratiae, Mater purissima, Mater castissima, Mater inviolata, Mater intemerata, Mater amabilis, Mater admirabilis, Mater boni consilii, Mater Creatoris, Mater Salvatoris, Virgo prudentissima, Virgo veneranda, Virgo praedicanda, Virgo potens, Virgo clemens, Virgo fidelis, Speculum iustitiae, Sedes sapientiae, Causa nostrae laetitiae, Vas spirituale, Vas honorabile, Vas insigne devotionis, Rosa mystica, Turris Davidica, Turris eburnea, Domus aurea, Foederis arca, Janua caeli, Stella matutina, Salus infirmorum, Refugium peccatorum, Consolatrix afflictorum, Auxilium Christianorum, Regina Angelorum,	Ora pro nobis.

Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi Rosarii,

Ora pro nobis

Agnus Dei, etc , — parce nobis, Domine.
Agnus Dei, etc., — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, etc., — miserere nobis.

(Ind. 300 dier. toties quoties; plen. ind. in 5 festis princip. B. M. V. si quotidie recitantur litaniae: Racc. p. 238.)

Pater noster etc. Ave Maria etc.

1. O sacrosancta Trinitas, quanta fuit tua erga me hucusque bonitas et liberalitas! O Pater aeterne, gratias tibi ago quas possum maximas, quia me ad imaginem tuam, et ad salutem aeternam creasti, et in hanc usque horam tam paterne conservasti. Gratias tibi summas habeo, Fili Dei, quod pretioso Sanguine tuo me redemisti et toties abluisti, quod prae innumeris aliis me sacerdotem tuum elegisti, et hodie etiam ss. Eucharistiae sacrificium offerri a me voluisti. Gratias tibi, sancte Spiritus, maximas refero, quia me in baptismo sanctificasti, et ad sanctam Ecclesiam perduxisti. Infinita laus et gratiarum actio sit tibi, sanctissima Trinitas, quia hodie, omnibusque momentis vitae meae ab innumeris malis me protexisti, et tot beneficiis cumulasti. Quid habeo, mi Deus, quod rependam tibi! Suscipe, obsecro, omnia Jesu et Mariae merita, cum his meipsum et omnia mea in perpetuum laudis et gratitudinis holocaustum.

2. O Pater luminum, per caritatem tuam aeternam erga me obtestor te, ut memoriam mihi

renoves, intellectum illumines, voluntatem accendas, gratiamque largiaris agnoscendi, detestandi, emendandi et compensandi omnia peccata mea, negligentias et ingratitudines meas, quibus hodie oculos divinae maiestatis tuae offendi, ut deinceps tibi tamquam oboedientissimus filius semper in omnibus actionibus meis placeam.

3. Examen particulare. — Exige ab anima tua rationem per singulas horas vestigando de peccato seu defectu particulari, a quo emendari, vel de virtute, quam acquirere cupis.

Examen generale. — Exige ab anima tua rationem, percursis singulis diei horis, de peccatis cogitatione, verbo, opere et omissione admissis. Vide, quando et quomodo surrexeris; an et qua ratione preces matutinas persolveris; quomodo te gesseris in Missa, in Breviarii recitatione, in studiis, in conversatione, in prandio, in coena etc. Vide, num et quomodo deliqueris contra Deum — contra proximum — contra te ipsum.

4. O Jesu, o Salvator mi! quam ingratum me tot ac tantis tuis beneficiis exhibui! quot nobilissimas horas male impendi! quot meriti aeterni occasiones neglexi! quot peccata denuo admisi, quorum ne vel unicum quidem pro totius mundi lucro erat admittendum! Damno ac detestor negligentiam malitiamque meam, et doleo, quod animam meam tot naevis macularim oculisque tuis divinis ingratam foedamque reddiderim. Doleo deinde, mi Jesu, quod iisdem graves poenas incurrerim et promeruerim supplicia iustitiae et irae tuae. Maxime vero doleo de his et omnibus peccatis meis, quia cruciatus amarissimae mortis tuae aggravarunt, quia adeo displicent infinitae sanctitati tuae, quia offendunt summam bonitatem tuam, cui millies teneor et volo perfecte servire ac placere.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei, quia iniquitatem meam agnosco, et ex intimo

corde doleo, quod te, Deum, summum et unicum bonum, unquam offenderim.

5. Iterum propono non amplius peccare nec vulnera et Sanguinem Christi peccando prodigere. Abrenuntio et detestor omnia peccata mea, et si, quae feci, adhuc facienda forent, non facerem in aeternum. Hoc praesertim peccatum . . ., quod gravius te offendit, o Deus! omni, quo possum modo, cavebo. Sed unde mihi vires, proposita haec exsequendi? Novi fragilitatem meam et naturae corruptae instabilitatem. *Velle quidem adiacet mihi, sed perficere non invenio.* Ad te igitur confugio, o Spiritus divine, unica spes et robur animae meae. Omnia possum, si tu me confortas. Statuo et propono, omnia peccata mea, adiuvante gratia tua, corrigere et peccandi occasiones sicut pestem fugere; corrobora me, o Spiritus fortitudinis, et qui dedisti velle, da perficere. Per Christum Dominum nostrum.

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi;

Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O Domina mea etc. *pag. 3.*

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

O fidelissime comes, a Deo tutelae meae assignate, protector et defensor nunquam recedens a latere meo! Quas tibi gratias referam pro fide, amore, innumerisque in me collatis beneficiis! Tu dormienti advigilas, moestum solaris, deiectum erigis, imminentia pericula avertis, futura doces cavere, a peccatis abstrahis, ad bonum impellis, lapsum ad poenitentiam hortaris Deoque concilias; iamdudum fortassis in infernum detrusus essem, nisi tuis precibus divinam iram a me avertisses; ne, precor, me unquam deseras. Ne in peccata incidam, advigila, et ad virtutes impelle, in adversis solare, in prosperis contine, in periculis tuere, in tentationibus adiuva, ne iis unquam succumbam. Preces et gemitus meos, omniaque pia opera divino conspectui offer, atque effice, ut in gratia ex hac vita decedens perveniam ad vitam aeternam. Amen.

Quietem capiam, mi Jesu, ut vires corporis restaurem et divino tuo obsequio aptior fiam. Mi Jesu, quoties respiro per noctem, toties tu a me sis benedictus, uti in caelis te Seraphim benedicunt et Cherubim. Mi Jesu, in te credo; mi Jesu, in te spero; mi Jesu, te amo super omnia. Tibi vigilo, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior, amantissime Jesu!

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria †.

Dum vestes exuis, recita pro animabus fidelium defunctorum *Pater noster* et *Ave Maria* cum Psalmo *De profundis*.

Dum lectum subis: In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi cubitum eo; ille mihi benedicat, custodiat me, et ad vitam perducat aeternam.

In lecto: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. In pace cum Deo et hominibus dormiam et requiescam.

Evigilans mox mentem ad Deum eleva, ut cum Da-

vide possis dicere: „memor fui nocte nominis tui, Domine", et huiusmodi affectus elice: „Laudate Deum, sol et luna: laudate eum, omnes stellae et lumen. — Benedicite noctes et dies Domino: benedicite lux et tenebrae Domino. — O quot religiosorum millia media nocte surgunt ad confitendum Domino, et ego in molli strato iaceo! Gaudeo ex animo, mi Deus, quod tu lauderis; particeps ego sim omnium timentium te! — O quot homines hac nocte mortem oppetunt! utinam felicem! Omnipotens faustam donet morientibus horam! — Si tam molestum est, modicum sine somno iacere in plumis, quam grave erit, per totam aeternitatem iacere in prunis!"

(Incipe denique pias preces suaviter animo volvere, ut pium somnum iterum capias.)

Tesserae pro vita sacerdotali

quolibet tempore bene ordinanda.

1. „Illum dilige et amicum tibi retine, qui, omnibus recedentibus, te non relinquet, nec patietur in fine perire." Imit. Chr. 2, 7. — *„Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema."* I Cor. 16, 22.

2. *„Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est Eius"* . . . *„Sequamini vestigia Eius."* Rom. 8, 9; I Petr. 2, 21.

3. *„Forma gregis facti (estis)."* I Petr. 5, 3. — *„Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate."* I Tim. 4, 12. — *„Quodsi sal evanuerit, in quo salietur?" „Vae mundo a scandalis."* Matth. 5, 13; 18, 7. — Per decentiam habitus externi morum honestas interna ostendatur: quare corona et vestis clericalis sancte et religiose servetur. — Domus sacerdotis sit in exemplum, sed non sicut eius, cui

maledixerit, sed cui benedixerit Dominus (cfr. III Reg. 9, 8). „*Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?*“ I Tim. 3, 5.

4. „*Exerce teipsum ad pietatem.*“ I Tim. 4, 7; a ministro religionis religionem praeprimis coli decet. Quare in cultu Dei omnia nedum non sordeant, sed niteant splendore „*Domine, dilexi decorem domus tuae.*“ — In Missa celebranda non vestes tantum, sed etiam vox et gestus spirent reverentiam, ut *quasi sol refulgens effulgeas in templo Dei.* Eccli. 50, 7. — Cor divinum [1]), B. Mariam Virginem, Angelum custodem, sanctos patronos cultu privato et publico tibi et parochiae tuae stude demereri, ut, si te divino Corde devoveris et pro viribus eius cultum promoveris, secundum Eius promissionem nomen tuum in Eius corde inscriptum maneat in aeternum non delendum; ut mater Dei potentissima vere sit mater tua; ut Angelos et Sanctos amicos tibi facias, qui te recipiant in aeterna tabernacula. „*Oportet semper orare et non deficere.*“ Luc. 18, 1. „*Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*“ II Petr. 1, 10.

5. „O quam magnum et honorabile est officium sacerdotum.“ Imit. Chr. 4, 11. Ne unquam in animis nostris vilescat illa dignitas ab Ecclesia et per eam accepta; gratissimo animo recordemur verborum illorum: „Accipe potestatem etc.“ — sed etiam: „Promitto reverentiam et oboedientiam.“

6. „*Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem,*

---

[1]) Quo facilius evadat sacerdotibus, populum sibi commissum in devotione erga SS. Cor instruere, ad calcem *huius Partis* adieci complures breves analyses pro sermonibus vel allocutionibus ad populum, quae praeterea etiam ad proprium usum meditationis materiam praebent.

hostes sunt animae suae." Tob. 12, 10. Imo „*qui spernit modica, paulatim decidet.*" Eccli. 19, 1. Fuga mundi, amore solitudinis, spirituali pugna conscientiam puram servare stude. Nam „*vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes*". Eccli. 19, 2.

„Clericum solitudo facit, non publicum." „*Fili, accedens ad servitutum Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem.*" Eccli. 2, 1. Quodsi peccaveris, „*non tardes converti ad Dominum . . . . subito enim veniet ira illius*"; et „*de propitiato peccato noli esse sine metu.*" Eccli. 5, 8. 9. 5.

7. Omnium divinorum divinissimum cooperari Deo in salutem animarum. Sed „*vae mihi est, si non evangelizavero*" I Cor. 9, 16. idque „*non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*" ib. 2, 4. — „*Sic nos existimet homo ut . . . dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur,*" I Cor. 4, 1. 2. ne videlicet *parvuli petierint panem, et non fuerit qui frangeret eis.* Thren. 4, 4.

8. „*Tempus breve est,*" I Cor. 7, 29; „*ergo dum tempus habemus, operemur bonum,*" Gal. 6, 10; „*quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio . . . erunt apud inferos, quo tu properas.*" Eccl. 9, 10.

9. „*Labia sacerdotis custodient scientiam.*" Mal. 2, 7, „*ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*" Tit. 1, 9. — „*Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*" II Tim. 3, 16. 17.

10. „*Sancti estote, sicut et ego sanctus sum . . . unusquisque in qua vocatione vocatus est.*" Lev. 19, 2; I Cor. 7, 20. Quare studeamus excellere in

oboedientia: „promittis oboedientiam et reverentiam? Promitto“; in caritate fraterna: „*ut omnes unum sint... ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti,*“ Joan. 17, 21; in humilitate: „*Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator*“, Luc. 22, 26: nam „*Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,*“ I Petr. 5, 5; in patientia: „*in patientia vestra possidebitis animas vestras,*“ Luc. 21, 19, „*qui pie volunt vivere . . . persecutionem patientur*“. II Tim. 3, 12. „*Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis*“ Eccli. 2, 4. 5; in liberalitate: „*et hospitalitatem nolite oblivisci, . . . beneficentiae et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.*“ Hebr. 13, 2. 16; cfr. Tit. 1, 8.

11. „*Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.*“ I Tim. 6, 8. „Quam multi sacerdotes sunt alias boni, modesti, integrae vitae, studiosi, exemplares, sed haec maledicta tenacitas et avaritia eos Deo et populis suis reddit exosos ac eorum vitae et praedicationibus omnem adimit fidem.“ (S. Carol. Borrom.)

12. „*Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.*“ Matth. 24, 42. „Cum mane fuerit, puta te ad vesperum non perventurum; vespere autem facto, mane ne audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, et taliter vive, ut nunquam te imparatum mors inveniat.“ Imit. Chr. 1, 23.

Ordo certus pro quolibet die.

I. *Diversa diei munia distribuite.* Diversa diei munia, tum quoad pietatem, tum quoad cetera

officia, secundum ordinem distribuite et omnia ad Dei gloriam dirigite. *Si oculus tuus fuerit simplex,* id est, si intentio sit pura, *totum corpus tuum lucidum erit* (Matth. 6, 22), id est, tota actio erit bona.

II. *Horam surgendi, et decumbendi determinate.* Ex ea praxi non minimus pendet totius diei profectus. Pro diversitate temporis possunt diversae assignari horae; v. g. tempore aestivo hora surgendi aptior quarta vel quinta; tempore hiemali, quinta vel sexta. Quolibet tempore hora lectum petendi convenientior nona vel decima. Sex aut septem, ad summum octo horae sano homini sufficiunt ad quietem; quod excedit, plus officit, quam proficit sanitati.

III. *A somno expergefacti statim ad Deum mentem et animum convertite;* cor Deo praebete, sanctissima Jesu et Mariae nomina proferte, signo crucis vos munite, et sic primitias diei prima mentis cogitatione, prima cordis affectione, prima oris locutione, prima manuum operatione Deo consecrabitis. Feliciter ibit dies, quam Deo auspice coeperitis. Da Domino primitias diei tuae; erit enim tota illius, qui prior occupaverit. Vestes induentes aut exuentes, pia cogitatione, aut pia precatione animum recreate.

IV. *Preces matutinas devote recitate, et meditationi vacate.* Decenter vestibus induti, ante sanctissimam Trinitatem vos mente, animo, genibus provolvite. Deum Patrem humiliter adorate; Christo crucifixo, eius vulnera peramanter deosculando, gratias agite, vosque totos et in aeternum ipsi devovete; Spiritus sancti gratiam suppliciter exposcite. Orationi vocali et mentali vacate, cui breve examen praevisionis seu praecautionis adiungite, quo examine malum impendens, ut vitetur, bonum praesens, ut peragatur, parvo temporis

spatio perpenduntur [1]). — Ex institutione Christi, ex desiderio Ecclesiae et piorum auctorum iudicio, quantum fieri potest, quotidie, et quidem hora fixa et populo convenienti, sacrosanctum Missae sacrificium debita cum praeparatione, devotione, et gratiarum actione est celebrandum.

V. Officium divinum, quantum fieri potest, statuta hora absolvatur, atque potius anticipetur Matutinum cum Laudibus, quam ad diem suum differatur. Ut attente et devote recitetur, iuvat multum sese coniungere cum illa divina intentione, qua Dominus N. in terris laudes Patri persolverit, et in singulis horis sive certas virtutes sive certas phases vitae vel passionis Domini mente volvere.

VI. *Per diem Dei praesentiae aliquoties, praesertim hora sonante, mementote;* eum in memoriam revocate, qui medius vestrum semper adstat et invigilat, qui omnia, et quidem cordis abscondita, pensat et ponderat. *Scrutans corda et renes Deus* (Ps. 7, 10). Ad eum interne piam aspirationem dirigite, quae dicitur vulgo oratio iaculatoria, eo quod ad Deum per modum iaculi pervolat; quae cum a corde exeat, citius et certius ad cor Dei perducitur. Sint in exemplum hae, aut similes aspirationes ex Scriptura, aut piis auctoribus depromptae: 1. Actus fidei, spei, et caritatis, quibus indulgentiae adiunguntur. 2. Aliae aliarum virtutum affectiones: v. g. *Gloria Patri, etc. . . . Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde . . . Dominus*

---

[1]) Ut aliquot scriptores afferam, ex quibus materia meditationis sumi possit, hos indico: De Ponte, Lancicius, Beuvelet, Nepveu, Neuville, Chevassu, Chenart, Crasset, Avancinus, Bussaeus, Croiset, Abelly, Medaille, Chappuis, Boissieu, Girandeau, Lercari, Scotti, Segneri, Tanner, Boppert, Chaignon, Kroust, Meschler, Lohmann, Müllendorf.

meus et Deus meus. 3. Vel oratiunculae indulgentiis certis ditatae; ex iis quasdam hic habes, quae toties, quoties devote et in statu gratiae recitantur, indulgentias annexas habent: *Deus meus et omnia* (50 dies). — *Mi Jesu, misericordia* (100 dies). — *Jesu, Deus meus, super omnia amo te* (50 dies). — *Dulcissime Jesu, non sis mihi iudex sed salvator* (50 dies). — *Dulce cor Jesu mei, fac ut te semper magis amem* (300 dies). — *Dulce cor Mariae sis, quaeso, salus mea* (300 dies).

VII. *Examen particulare ante prandium instituite, et prandio lectionem piam adhibete.* Ante prandium magno cum fructu examini particulari, in quo potissimum aut virtus comparanda, aut vitium eradicandum proponitur, aliquanto tempore expedit vacare. Ex eo semper viri suae salutis studiosi, tum ad mores emendandos, tum ad devotionem augendam magnum emolumentum perceperunt. — „Cum comedis, non totus comedas, sed attendas lectioni" *(S. Bernardus).* „In omni sacerdotali convivio lectio divinarum Scripturarum misceatur; per hoc enim animae aedificantur ad bonum, et fabulae non necessariae prohibentur" *(Conc. Tolet. III).* Mensa sit frugalis nec diu protrahatur; si fieri potest, pia aliqua lectione, saltem aliquot novi Testamenti versiculorum, condiatur. Nunquam sine benedictione accedite nec sine gratiarum actione recedite: neque ullibi unquam vos pudeat, hoc religionis debitum Christo persolvere. Quam laudanda in clero sobrietas, quantaque secum affert omnis generis bona, tam damnanda ebrietas, tantaque diversi generis importat mala. „*Vae, qui potentes estis ad bibendum*" (Isa. 5, 22). „Nunquam ego ebrium castum putabo" *(S. Hieronymus).* Si in laico ebrietas sit res adeo portentosa, in clerico res est admodum monstrosa et plane horrenda!

VIII. *In recreationibus et colloquiis decorum servate.* Si ordinis ecclesiastici viri tot ac tantis officiorum curis distenti sunt, ut vix aliquid temporis supersit, quo posint requiescere, tamen post cibi sumptionem aliquo sermocinationis aut oblectationis genere convenit mentem animumque modice relaxari, sed nonnisi colloquiis et oblectamentis licitis, quae loco, tempori, personae congruant, et in quibus honestum et decorum semper serventur. *Omnia honeste .. fiant* (I Cor. 14, 40). *In omni conversatione sancti sitis* (I Pet. 1, 15). Non apud quemlibet indifferenter societas et ratio vitae ineunda; sed ex multis seligendi quidam bonae famae presbyteri, quibuscum utiliter et iucunde sermonem de rebus ad bonum vestri status pertinentibus identidem poteritis habere. *Qui invenit (amicum fidelem), invenit thesaurum* (Eccli. 6, 14). Maiores et seniores, praecipue eos, quorum morum integritas et aetatis gravitas bene concordant, reveremini et observate; eisque recte monentibus obtemperate. *Loquimini ad maiores natu* (II Reg. 19, 11). *Consilium semper a sapiente perquire* (Tob. 4, 19). In rebus dubiis, anxiis, saluti periculosis, haec tria intra vos serio perpendite: in eo, quo versor rerum cardine, quid cogitaret, quid diceret, quid ageret Christus? Tribus his sese determinandi momentis quisque potest non minus feliciter quam prudenter uti.

IX. *Christum in Eucharistia visitate.* Sub vesperam, si liceat, vel alio tempore saltem semel in die ad visitandum et orandum in sacrosanctae Eucharistiae Sacramento ad Dominum Jesum accedite. Ut bona spiritualia et temporalia, tum publica, tum privata promoveat, ut mala tum culpae, tum poenae arceat, instanter postulate. Dici nequit, quantopere hoc bono sacerdotis exemplo fideles aedificentur et ad imitandum provocentur. Sed contra erubescendum sane est, si hoc pietatis genere laici

clericos longe superent, hi necessitate tantum adacti in locis sacris se videndos praebeant!

X. *Orationi vespertinae lectionem piam et examen conscientiae adiicite.* Orationem serotinam (et quidem in communi, si fieri potest) cum examine generali, cum actu contritionis, cum pia lectione [1]) habete; quae quidem in ecclesia, si liceret, et ut fit quibusdam in locis, foret multo convenientior et utilior. Illa communi oratione et pia lectione mirum in modum mens illuminatur, animus inflammatur, memoria reficitur, tentatio per noctem expellitur. „Lectio spiritualis docet, quid facias, discernit, quid caveas, ostendit, quo tendas" *(S. Bernardus).* „Tale est ingenium naturae nostrae, ut torpescat, si usus destiterit lectionis, quia sicut ferrum, nisi in usu fuerit, aeruginem contrahit, ita et anima, nisi frequenter divinis exerceatur lectionibus" *(S. Augustinus).* „Cum orationes eas, quas de moribus ac de bene vivendi ratione (S. Basilius) scripsit, in manus accipio, animo et corpore purgor, templum Dei capax efficior, atque instrumentum musicum a Spiritu pulsatum divinam gloriam et potentiam canens; per eas corrigor et concinnor, atque divina quadam immutatione alius ex alio efficior" *(S. Gregorius Naz.).* Eundem forte effectum tu sentis, si lectionem spiritualem diligenter instituis, i. e. non pervolando, sed, ut ait S. Bernardus, „masticando et ruminando sucum eliciamus, et ex his diligenter consideremus statum nostrum, et studeamus eorum opera agere,

---

[1]) Pro hoc usu inter alios libros commendari possunt: *Schneider*, Lectiones quotidianae, Ratisbonae 1870; *Bellarmin*, opuscula spiritualia; *S. Franc. Sales*, Theotimus; *Rousset O. P.*, Directorium asceticum; *Neumayr*, Idea perfectionis; *Scupoli*, pugna spiritualis; *Arvisenet*, Memoriale vitae sacerd.

quorum facta cupimus lectitare." — Materiam meditationis diei subsequentis praevidete et praeparate. *Ante orationem praepara animam tuam: et noli esse quasi homo qui tentat Deum* (Eccli. 18, 23). — Quotidie actus tuos discute attente, et si te peccatis obnoxium senseris, ad poenitentiam cito confuge . . . Abscinde virgulta spinarum de agro cordis tui, ne defigant in te altas radices (*S. Basilius M.* in Admonitione ad filium spiritualem, num. 8).

XI. *Pie decumbite.* Lectus et somnus cuilibet memoriam mortis et sepulchri revocent. In lecto decumbentes brevi oratione, Jesu et Mariae nominis invocatione, animae commendatione, quasi ipsa nocte immineret mors proxima, signo crucis diem feliciter claudite, et in pace Domini cum pia mentis cogitatione, cum pia animi affectione requiescite. Quae cogitatio, aut quae affectio vos ante somnum occupaverit, haud dubie post somnum occupabit. — Si per noctem contigerit evigilare, ad Deum mentem et animum elevate, ut vos ab insidiis, quas malignius tempore nocturno inimicus struat, tutos ac securos, ope divina, praestetis.

Pro qualibet hebdomada.

I. *Aliquam mortificationem exercete.* Memor moniti S. Basilii M. „Vigiliis copula ieiunium, ut cunctis animae virtutibus florere possis, et caro tua subiecta sit animae tuae", aliquod mortificationis genus, vel internum, vel externum, vobis proponite, v. g. die Veneris ieiunium, saltem abstinentiam maiorem, in memoriam Passionis Christi; vel die Sabbati in honorem sanctissimae genitricis Dei Mariae, etc.

II. *Ad Sacramentum Poenitentiae frequenter accedite.* Cum Sacramenta sint tam pro ecclesiasticis, quam pro laicis fontes gratiarum semper sca-

turientes et pleni, ad Sacramentum Poenitentiae semel intra octo, quatuordecimve dies regulariter accedite, ut vestro et aliorum commodo de fontibus Salvatoris aquas in vitam aeternam salientes cum gaudio hauriatis. Confessarium pium, doctum, dotibus ecclesiasticis ornatum, suum officii et ministerii studiosum seligite, melius tamen est eligere satis pium et simul doctum ac prudentem, quam eximie pium sed minus prudentem; selectum ut Christum audite. In finem bonae confessionis preces et bona opera ordinate. Ex praxi enim frequenter et bene confitendi plurimum pendet in virtutis semita progressus.

Pro quolibet mense.

I. *Diem recollectionis seligite.* Diem aliquam recollectionis aut ad mortem praeparationis quolibet mense seligite, ita tamen, ut illud devotionis genus magis Deo, quam hominibus innotescat.

II. *Quatuor anni temporibus speciatim orate:* preces et pia opera pro remissione peccatorum proxime commissorum, pro fructuum conservatione, pro Christi ministrorum vocatione et missione ferventius instaurate.

III. *Conferentiis ecclesiasticis sedulo adeste.* Coetibus ecclesiasticis, tam sapienter et utiliter in variis dioecesibus institutis, in quibus de pietate, doctrina, moribus, conscientiae casibus collationes habentur, frequentes et assidui adeste. Ex his commoda et emolumenta, eo pluris pendenda, quo faciliora et aptiora sunt, ad materias fidei et morum elucidandas, ad unitatem doctrinae comparandam, ad conformitatem regiminis servandam, ad animorum consensionem fovendam, diligenter et attente percipite. Ut fructus maior ex iis collationibus colligatur, procul absint aemulationes, contentiones, clamores, quae ad ingenii, doctrinae,

elocutionis ostentationem unice serviunt; sed singuli singulos alternatim et patienter audiant. Omnes tranquille, pacifice, concorditer ad communem utilitatem praemeditata sensa sua conferant, seque magis ac magis aptos et idoneos novi Testamenti ministros reddant.

Pro quolibet anno.

I. *Exercitiis spiritualibus vacate.* Per aliquot dies, sive domi, sivi alibi, ad resuscitandam et renovandam sacerdotii gratiam, spiritualibus exercitiis in pio secessu vacate, ut vitae superioris errata emendetis, ut in posterum omnes actiones vestras rite et ex virtutis praescripto perficiatis, ut iter salutis et perfectionis novo cum fervore suscipiatis. O dies piae solitudinis nunquam satis aestimandi, quibus promisit Spiritus sanctus se ad cor fidelis animae locuturum! O dies totius vitae diebus praestantiores et commendabiliores, ad salutem operandam efficaciores, quosque totius vitae vestrae normam et exemplar fuisse aliquando exoptabitis. In illa pia solitudine confessioni extraordinariae operam date, ordinatum vitae genus aut suscipite, aut susceptum renovate: testamentum aut conficite aut confirmate. „Diuturna experientia compertum est, ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam magnopere conducere, ut ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus, quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel confirmatur.“ *Epistola encyclica S. Congreg. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum d. d. 1. Febr. 1710.* (Cfr. *Lambertini Instit. 51.)*

II. *Promissa Baptismatis et vota clericalia reno-*

vate. Promissa Baptismatis, sponsiones tonsurae clericalis, sacerdotii munera recognoscite, et accuratius adimplenda vobis proponite. *Abrenuntio tibi, satana . . . Adhaero tibi, Christe . . . Dominus pars haereditatis meae et calicis mei,* etc. *Sacerdotes tui induantur iustitiam* (Ps. 131, 9.)

III. *Missalis, Breviarii et Ritualis rubricas et caeremonias et dioecesis statuta attente legite semel saltem in anno,* ne e memoria dilabantur; magnopere enim pietas tum in sacerdotibus tum in populo promovebitur, si caeremoniae et ritus eximia reverentia a sacerdotibus obeuntur. Et sane levia non sunt nec vilipendenda, quae ex Apostolica traditione descendunt. [1])

Pro fine vitae.

Sacramenta exeuntium opportune recipite, et vos totos Deo in aeternum vovete. Si, Deo dante, non praecipiti morte, ut eheu! saepe evenit, abripiamini, sed si contigerit vos mentis et rationis compotes mortem (quamquam saepissime citius, quam putatur, advenit) venientem videre, Sacramenta Ecclesiae tempore opportuno postulate, et summa cum devotione et adstantium aedificatione recipite. [2]) Ad instar sacrificii Christi pro vobis in cruce oblati, vos totos omniaque vestra in sacrificium boni odoris sanctissimae Trinitati in aeternum vovete, offerte, consecrate, immolate. Variarum virtutum actus, praecipue fidei, spei, caritatis, contritionis, patientiae, erga Dei voluntatem subiectio-

1) De sensu et vi caeremoniarum legatur Sixti V. Constit. *Immensa* d. d. 11. Kal. Febr. 1587. Bullar. Roman. Edit Lugd. tom. II. pag. 618 et *Schouppe,* de sensu caeremoniarum Missae, Bruxellis. Lingua germanica eas explicatas habes in praeclaro libro *Gihr,* Das hl. Messopfer, et in *Thalhofer,* Liturgik.

2) Leg. Augsb. Pastoralbl. a. 1867 n. 7.

nis, tentationum reiectionis frequenter elicite. Mala daemonum arte in duos salutis scopulos saepe impellimur: in vita nimis confisi de salute praesumimus, in morte nimis abiecti de salute paene desperamus. Contra hos daemonum astus per vitam cum metu et tremore salutem operemur, in extremis positi per infinita Christi merita in bona salutis spe roboremur et confirmemur.

Quaedam pro exercitiis spiritualibus.

I. Ordo diurnus.

Prima die. Matutino et Laudibus pro crastina die privatim recitatis, vespere hora 4½ omnes ad signum campanae convenient in ecclesiam, ubi, exposito SS. Sacramento, recitabitur Hymnus *Veni Creator* (pag. 233), dabiturque Benedictio. Tum incipiet *consideratio* de recte peragendis exercitiis. Hora coenae et reliqua erunt ut ceteris diebus.

Reliquis diebus exercitia fere sic disponuntur: 1)

Hora 5½ Surgitur. *Preces matutinae* privatim (pag. 1—4).

„ 6 *Meditatio* (ad normam supra pag. 4—12 vel 13 et 14 positam).

„ 6½ *Examen meditationis et annotatio fructus,* in cubiculo (cfr. pag. 12).

„ 6¾ *Tempus liberum.*
Bene intelligant exercitantes, tempus liberum (i. e. cui nullum exercitium in ordine diurno assignatum est) rebus spiritualibus esse impendendum. Fit v. g. praeparatio ad confessionem tempore exercitiorum instituendam. Commendatur, ut hoc tempore quivis mente

1) Quum pro diversis locis et temporibus non idem ordo ubique observari possit, eius qui dat exercitia est, quaedam mutare atque ordinem accurate quoad singula praefigere.

repetat, quae prius in meditatione consideravit, quo altius infigantur, aut etiam scripto notet, quae in meditatione maxime animum ad meliora stimularunt, aut quae statuit in posterum observare. Serio cogitetur de vita et functionibus sacris bene ordinandis; inquirantur media, quibus hoc vel illud vitium exstirpari, haec vel illa virtus acquiri possit. — Commendatur oratio et frequens SS. Sacramenti visitatio. — Pia lectio, si instituatur, cum ea materia conveniat, de qua eadem hora aut die meditatio fit. — Verbo, semper, aliquid pie agatur, ut *particula boni doni non te praetereat:* omnia tamen suaviter et absque capitis contentione fiant.

Hora 7 *SS. Missae sacrificium.*

„ 7 1/2 *Jentaculum;* dein *tempus liberum.*

„ 8 1/4 *Horae minores.*

„ 8 3/4 *Tempus liberum.*

„ 9 *Meditatio,* i. e.: proponuntur puncta et dein fit meditatio.

„ 10 *Examen meditationis* et *annotatio fructus.*

„ 10 1/4 *Visitatio Sanctissimi* (pag. 173—196).

„ 10 1/2 *Lectio communis.*

„ 11 3/4 *Examen conscientiae gener.* (pag. 200 et P. II. de Poen. *in fine)* *et partic.*, quod tempore exercitiorum fit ad tollendos defectus et negligentias circa exercitia et additiones (pag. 235).

„ 12 *Prandium*, dein *pia animi relaxatio.* — Convenit, ut hoc tempus transigatur totum in silentio et suavi communicatione cum Deo.

„ 1 1/2 *Lectio ex imitatione Christi.*

„ 2 *Rosarium* et *Litaniae Lauretanae* (pag. 210). *Vesperae* et *Completorium:* dein *tempus liberum.*

Hora 3 *Conferentia;* dein *tempus liberum.*
„ 4¼ *Matutinum* et *Laudes;* dein *tempus liberum.*
„ 5½ *Meditatio ut supra.*
„ 6½ *Examen meditationis.*
„ 6¾ *Coena;* dein *relaxatio animi.*
„ 7½ Cantus *Miserere* (p. 235) et *Benedictio.*
„ 8½ *Puncta meditationis crastinae. Preces vespertinae* (p. 211—216), *Examen conscientiae.*
„ 9 *Decubitus.*

Ultima die, completa meditatione cum reflexione, erit SS. Missae Sacrificium, sub quo exercitantes accedent ad S. Communionem. Deinde fit ultima *Consideratio,* postea recitabitur *Te Deum* (p. 237) et preces ad lucrandam indulgentiam plenariam (pag. 206); demum exercitia concludentur Benedictione cum SS. Sacramento.

Notanda. 1⁰ Quivis Exercitia obiturus secum feret *Breviarium* et libellum de *Imitatione Christi.* 2⁰ Silentium religiose tota die servandam est. 3⁰ Curent omnes, ut tempore possint adesse in exercitiis communibus. 4⁰ Non licet scribere sub praeparatione meditationis, neque sub meditatione et conferentia. 5⁰ Non licet deambulare in musaeo, ne alii turbentur. 6⁰ Officium divinum alternis choris recitatur in ecclesia; die vero, quo instituuntur confessiones, recitatur a singulis *privatim* [1]). 7⁰ Confessio institui potest qualibet hora, ex-

---

[1]) Pius PP. IX. die 7. Julii 1864 concessit indultum, ut in omnibus locis, in quibus sacerdotes aliique ecclesiastici viri sub directione Patrum S. J. ad spirituales S. Ignatii exercitationes obeundas congregantur, sive saeculares sint sive regulares, et etiam beneficiati, si simul recitant Officium, per recitationem Officii loci, in quo exercitia spiritualia obeunt, obligationi divini officii satisfaciant, quocumque demum titulo ad horas canonicas ipsi teneantur.

cepto tempore Missae, praeparationis ad meditationem, meditationis et conferentiae. Confessarii certi designantur peculiaribus facultatibus muniti. 8⁰ Praeter Missam communitatis nulla celebratur alia ab exercitantibus.[1] Ultima die fit Communio generalis. 9⁰ Si qua exemptio necessaria sit, facultas petitur a praeside exercitiorum, cuius est sollicite curare, ut omnia ab omnibus ordinate fiant.

Eidem praesidi incumbit aptos constituere officiales, et curare, ut singuli suas partes, quam possint accuratissime, expleant. Hi sunt:

1⁰ *Cantores*, pro laudibus vespertinis, *Miserere, Adoro te*, etc. 2⁰ *Lectores*, ad mensam, pro lectione spirituali, etc. 3⁰ *Qui* in Officio cantet vel psalmodiet *Deus in adiutorium, Capitula* et *Orationes.* 4⁰ *Qui* singulas *Lectiones* Matutini legant. 5⁰ *Qui Martyrologium* legat in Officio, qui *Rosarium* recitet, qui *Litanias vespertinas*, etc. 6⁰ *Qui* statis temporibus, idque fidelissime, ad varia diei exercitia, ex praescripto ordine, *signum det* campanula. 7⁰ *Qui* agat *aedituum*, qui pulset *organa* etc.

Monita pro lectoribus. 1⁰ Vitent defectus pronuntiationis, qui auditori distractiones creent. 2⁰ Voce satis alta et intelligibili legant, neque nimis lente, neque nimis cito.

Monita pro cantoribus. 1⁰ Vocem plenam quantum fieri potest, sonoramque habeant, et cantum sufficienter noverint. 2⁰ Lente, pie et cum dignitate cantare et psalmodiare conentur. 3⁰ Praeter cantum solemnem, in exercitiis fieri solitum, ipsis incumbit psalmodiare in Officio divino, ut sequitur: 1. In Matutino, Laudibus et Vesperis praeci-

1) S. C. Concilii interrogata „utrum parochus pia peragens exercitia... Missam die festo aut Dominica non celebrans, teneatur Missas hoc tempore non oblatas pro populo deinceps supplere?“ die 14 Dec. 1859 respondit: „Teneri die statuta per alium, citra speciale indultum S. Sedis.“

nere, seu intonare uniuscuiusque Psalmi primum versiculum, usque ad asteriscum sive pausam; item Antiphonam primi Psalmi cuiusque Nocturni. 2. In aliis horis eodem modo intonare primum Psalmum et Antiphonam. 3. Praecinere sive praelegere Responsoria et Versiculos.

Monita pro omnibus. Attendant 1° ut accurate in dicendo Officio servent pausam ad asteriscum. 2° Ut una pars chori non incipiat Psalmorum versiculos, antequam altera pars chori absolverit. 3° Ut non cursim, sed cum pietate et gravitate psalmodient.

II. Invocatio s. Spiritus.

I. Ante instructionem praeparatoriam.

1. Veni, Creator Spiritus, * Mentes tuorum visita, * Imple superna gratia, * Quae tu creasti pectora.

2. Qui diceris Paraclitus, * Altissimi donum Dei, * Fons vivus, ignis, caritas, * Et spiritalis unctio.

3. Tu septiformis munere, * Digitus paternae dexterae, * Tu rite promissum Patris, * Sermone ditans guttura.

4. Accende lumen sensibus, * Infunde amorem cordibus, * Infirma nostri corporis * Virtute firmans perpeti.

5. Hostem repellas longius, * Pacemque dones

1. Veni, sancte Spiritus, * Et emitte coelitus, * Lucis tuae radium.

2. Veni, pater pauperum; * Veni, dator munerum; * Veni, lumen cordium.

3. Consolator optime, * Dulcis hospes animae, * Dulce refrigerium.

4. In labore requies, * In aestu temperies, * In fletu solatium.

5. O lux beatissima, * Reple cordis intima * Tuorum fidelium.

6. Sine tuo numine * Nihil est in homine, * Nihil est innoxium.

7. Lava quod est sordidum, * Riga quod est

protinus; * Ductore sic te praevio, * Vitemus omne noxium.

6. Per te sciamus da Patrem, * Noscamus atque Filium, * Teque utriusque Spiritum * Credamus omni tempore.

7. Deo Patri sit gloria, * Et Filio, qui a mortuis * Surrexit, ac Paraclito * In saeculorum saecula. Amen.

aridum, * Sana quod est saucium.

8. Flecte quod est rigidum, * Fove quod est frigidum, * Rege quod est devium.

9. Da tuis fidelibus, * In te confidentibus, * Sacrum septenarium.

10. Da virtutis meritum, * Da salutis exitum, * Da perenne gaudium. Amen.

NB. S. R. C. die 20. Junii 1899 *(Decr. auth. n. 4036)* decrevit, *hanc* doxologiam et clausulam priori hymno ita censendam esse propriam, ut semper sit retinenda nunquam mutanda, quovis anni tempore vel festo occurrente.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur (Alleluia).

R. Et renovabis faciem terrae (Alleluia).

Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Ave Maria . . .

2. Ante quodvis exercitium commune.

Antiph. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum etc. *ut supra.*

3. Post quodvis exercitium commune.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Ave Maria . . . Sancta Maria . . .

V. Nos cum prole pia,

R. Benedicat Virgo Maria.

III. Materia examinis particularis tempore exercitiorum spiritualium.

1° An taedium et teporem, si occurrit, strenue excussi?
2° An omnem dissipationem sedulo fugi?
3 An silentium stricte observavi?
4° An a risu abstinui?
5° An modestiam, praesertim oculorum, observavi?
6° An puncta meditationis attente audivi?
7° An vespere post cubitum ante somnum breviter cogitavi de meditatione?
8° An expergefactus, exclusis aliis cogitationibus, de eadem cogitavi et illa mihi proposui, quae in praeludiis mihi proposita erant?
9° An immediate ante meditationem animum paulisper ad Deum elevavi?
10° An in meditatione servavi decentem corporis situm?
11° An totum tempus in meditatione explevi?
12° An serio et constanter animum applicavi?
13° An in colloquiis praesertim reverentiam et fervorem adhibui?
14° An attente feci reflexionem post meditationem?
15° An lumina et proposita breviter notavi?
16° An non legi res non pertinentes ad meditationem?

IV. Psalmus 50. Miserere.

Cantores. Miserere mei Deus: * secundum magnam misericordiam tuam.

Omnes. *Parce* [1]) *Domine, parce populo tuo, quem redemisti pretioso Sanguine tuo.*

---

1) Repeti potest post singulos vel binos versus Psalmi.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: * et exsultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proiicias me a facie tua: * et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: * et exsultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri etc. — Sicut erat etc.

V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis,

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus. Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tantum ergo . . . Genitori Genitoque.

V. Panem de caelo praestitisti eis, (Alleluia.)

R. Omne delectamentum in se habentem. (Alleluia.)

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

(Benedictio.)

V. Hymnus Ambrosianus.

Te Deum laudamus: * te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi caeli, et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, * sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt caeli et terra * maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus * Apostolorum chorus:
Te Prophetarum * laudabilis numerus:
Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.
Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia:
Patrem * immensae maiestatis:
Venerandum tuum verum * et unicum Filium.
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu rex gloriae, Christe.
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum.
Tu, devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna caelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes * in gloria Patris.
Judex crederis * esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso Sanguine redemisti.
Aeterna fac cum Sanctis tuis * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic haereditati tuae.
Et rege eos, * et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies * benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in saeculum, * et in saeculum saeculi.
Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.
Miserere nostri, Domine: * miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos: * quemadmodum speravimus in te.
In te, Domine, speravi: * non confundar in aeternum.
V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu,
R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Benedictus es, Domine, in firmamento caeli,
R. Et laudabis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Oremus. Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Cantantur strophae Tantum ergo *et* Genitori Genitoque.

V. Panem de caelo praestitisti eis, (Alleluia.)
R. Omne delectamentum in se habentem. (Allel.)

Deus, qui nobis etc. *ut supra pag. 237.*

(Benedictio.)

Preces pro sacerdotibus.

Oratio presbyteri.

Jesu dilectissime, qui ex singulari benevolentia me prae millenis hominum ad tui sequelam et ad eximiam sacerdotii dignitatem vocasti, largire mihi, precor, opem tuam divinam ad officia mea rite obeunda. Oro Te, Domine Jesu, ut resuscites hodie et semper in me gratiam tuam, quae fuit in me per impositionem manuum episcopalium. O potentissime animarum medice, sana me taliter, ne revolvar in vitia; et cuncta peccata fugiam, Tibique usque ad mortem placere possim. Amen.

(Indulg. 300 dier. semel in die: Racc. p. 664.)

Omnipotens et misericors Deus, ad humilitatis meae preces benignus intende, et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiae tuae largitate caelestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac

ministrum, ut, quod mea voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad renovandum gratiam ordinationis.

Omnipotens Deus, qui non meis meritis, sed unica gratia tua posuisti in me verbum reconciliationis, et pro Christo legatione et sacerdotio eius fungi tribuisti: resuscita in me (et in omnibus ministris tuis) gratiam presbyterii, quam dedisti nobis cum impositione manuum. Fac me dignum tuis altaribus ministrum, fidelem et prudentem dispensatorem mysteriorum tuorum, tamque sanctum, irreprehensibilem et placentem tibi mediatorem inter te et populum, ut semper placem te, et tu exaudias me. Combure me zelo gloriae tuae et meae omniumque hominum salutis (eorum imprimis, quos commisisti mihi). Attendam lectioni, exhortationi et doctrinae; mundum oderim et fugiam, diligam vero solitudinem; duc animam meam in eam, ibi loquere ad cor meum et doce me, quid primus faciam et alios doceam. Utque mihi et illis necessarium gratiae tuae auxilium obtineam, fac me virum desideriorum et orationis continuae. Sacrificia mea consumantur et placeant tibi, Domine, quotidie; iugi mortificatione carnis et spiritus immoler ipse supra sacrificium, gestemque in pectore meo iudicium omnium in conspectu tuo semper, ut mihi et illis, quidquid scis opus esse, concedas, per summum Pontificem nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Oratio parochi.

Clementissime Domine Jesu Christe, Pontifex aeterne, qui me indignum famulum tuum ad functionem muneris Apostolici vocare dignatus es, ut

oves huius ovilis salutaris pabulo doctrinae pascerem et ecclesiae huic, quam tuo pretioso Sanguine redemisti, in his, quae ad te sunt, praeessem: horreo, et toto corpore contremisco, quoties considero, quis ego sim, et quid requirat onus, quod infirmis humeris meis incumbit. Qui enim pro una et sola anima mea non possum rationem reddere, pro toto hoc grege quomodo reddam? Quid ego infelix? quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum illud depositum, quod tibi Sanguine proprio comparasti, accidat ut negligentius custodierim? Impares sunt sane humeri mei tanto oneri, si meas vires respiciam. Impeditioris et tardioris linguae sum, nescio loqui; puer sum, et regi quam regere magis idoneus. Obsecro igitur te, principem pastorum, qui nullum vocare soles ad aliquod munus obeundum, cui non etiam eas largiaris dotes, quibus ornatus et instructus, opus, ad quod vocatus est, digne perficere possit; me etiam inutile sarmentum insere in te, qui es vitis vera, ut fructus feram uberrimos. Da servo tuo cor docile, ut voluntatem tuam annuntiem populo tuo. Da mihi amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sim exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Verbum veritatis ne auferas ab ore meo, et da mihi gratiam, ut fervente spiritu eloquar illud, ne aures tantum feriat, sed cor penetret et fructum optatissimum afferat. Renova vitam meam et mores meos in melius commuta, ne, dum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Tolle a me superbiam, iracundiam, sensualitatem et turpis lucri cupiditatem. Largire hospitalitatem, benignitatem, sobrietatem, iustitiam, sanctitatem et continentiam, ne ulli hominum scandalum praebeam, aut blasphemandi verbum tuum occasionem offeram. Concede mihi spiritum, quo oves meas in visceribus

tuis diligam, nec aliter tractem, quam mater unicum quem habet filium tractare soleat. Nulla infirmetur, quacum ego non infirmer; nulla scandalizetur, quin et ego urar. Libentissime mea omnia impendam, et superimpendar ipse pro animabus earum. Juva me, Domine, ut, quod infirmum est, consolidem; quod aegrotum est, sanem; quod confractum est, alligem; quod abiectum est, reducam; quod perierat, requiram; quos credidisti mihi, custodiam, ne vel unus ex eis pereat. Sanctifica eos in veritate, o sanctificator hominum benignissime, atque ab omnibus inimicis et adversitatibus corporis et animae custodi. Sic mihi obtemperent, sic me diligant, ut sit rationabile obsequium eorum, et vias fidelibus christianis dignas ambulent, ut ego et verbo et exemplo eos praecedendo, et illi me sequendo pariter curramus ad te, verum animarum nostrarum pastorem, qui nos in loco pascuae collocabis, ubi vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio concionatoris.

Pater luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum tamquam a paterno fonte dimanat, respice de solio maiestatis tuae super me indignum famulum tuum, quem ad concionandi munus vocare dignatus es, et largire mihi spiritum sapientiae et intellectus, qui mentem meam illustret ac linguam moderetur, ut, quae ad nominis tui gloriam et eorum, qui me audituri sunt, salutem dicturus sum, ferventi spiritu eloquar, quo non aures tantum feriant, sed cor penetrent et fructum optatissimum afferant. Pelle a me arrogantiam, et concede, ut praedicationis officium pura mentis intentione, ad tuam dumtaxat gloriam respiciens teque unum quaerens in omnibus, sedulo et con-

stanter exerceam. Et ne, cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar, fac, ut primum miserear animae meae et talem eam formem, qualem in tuo servitio esse oportet. Quid enim proderit mihi, si universum mundum lucratus fuero, et animae meae fecero detrimentum? Atque hic tuam deprecor misericordiam, ut, quidquid hac ex parte a me peccatum est, clementer indulgeas, gratiamque tuam largiaris, ut, quod dicturus sum, opere exerceam, et de eorum efficiar numero, qui quia verbo et opere bene praesunt, duplici honore digni habeantur, apud te videlicet, qui laborem es remuneratus, et apud homines, qui ex verbo et bonis operibus nos considerantes et uti ministros tuos aestimantes, glorificent te Patrem, qui in caelis es. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio catechistae.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum:* da, quaeso, ut igne tui amoris accensus, opere et verbo parvulos ad te ducam, nec ullum illorum, quos mihi dedisti, perdam. Da mihi spiritum sapientiae, ut illis pabulum doctrinae tuae caelestis fideliter praebeam, cuius lacte nutriti, mundi fugiant illecebras et ad te, qui via, veritas et vita es, perveniant. Da mihi spiritum amoris, ut, te largiente, parvulos tibi lucrifaciam et ad perfectum tui amorem traham, quo inflammati te toto corde diligant, totis viribus mandata tua servent et, Sanguine tuo pretioso redempti, ad honorem et laudem nominis tui vivant. Da mihi, Domine, spiritum timoris et discretionis, ne ullum unquam parvulorum verbo aut opere offendam et scandalizem, sed Angelorum ministeria imitans, te custode, ad vitam aeternam illos custodire valeam. Da mihi spiritum lenitatis et patientiae, ut vere

mitis et humilis corde, omni cum mansuetudine parvulos semper recipiam, et simul cum illis in caelestes habitationes recipi merear. Fac, quaeso, Domine, ut efficiar et ego sicut parvulus, ut gregi tuo pusillo aggregatus, nil quaeram, nisi te, nihil amem, nisi te, dulcissime Jesu. Effunde super nos, Domine, benedictionem tuam caelestem, ut una cum omnibus parvulis, quos mihi credidisti, ante conspectum divinae maiestatis tuae in aeterna beatitudine comparere, te Agnum vivum, quocumque ieris, hymnos canens sequi et cum Angelis merear semper videre faciem Patris, quocum vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ante cuiusvis Sacramenti administrationem.

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui liquorem sacratissimi Sanguinis Jesu Christi, Unigeniti tui, eiusdemque pretiosissimam mortem ac merita universa in sanctissimis Sacramentis velut in vasis aureis recondere et mihi velut dispensatori tantorum mysteriorum concredere dignatus es: obsecro te per eadem divina mysteria, ut non respicias indignitatem et peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, cuius indignus sum minister, eiusque amore gratia tua me indignum faciat dignum, de peccatore iustum et sanctum, ita ut munda munde et sancta sancte tractare, indeque fructum illum specialem, quem tu in admirabilibus illis mysteriis digne utentibus conferre dignaris, mihi et aliis copiose valeam obtinere: per ipsummet, qui sese ac gratiam suam nobis in hisce vasis tam liberaliter communicat, Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio post cuiusvis Sacramenti administrationem.

Domine Jesu Christe, dulcis amator et salvator animarum, gratias tibi ago pro omnibus donis et bonis mihi paterne concessis, praesertim quod mihi, indigno ministro tuo, in huius Sacramenti administratione tuis auxiliis assistere volueris. Obsecro te, si quid in munere meo sive per negligentiam, sive per ignorantiam peccaverim, pro tua pietate et infinita misericordia supplere digneris. Commenda in tua amabilissima vulnera animas omnium fidelium, quos tuo pretioso Sanguine sanctificasti, huius praecipue famuli tui (famulae tuae) animam, quam modo per gratiae tuae sacramentalem infusionem sanctificasti; custodi eam a peccatis, et in tuo amore conserva, ut in virtutibus in dies magis proficiat atque ad vitam perducatur aeternam. Amen.

Oratio ante administrationem S. Baptismatis.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti:* haec nobis praecepta servantibus tu, Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus adspira, et infantem istum natura filium irae, quem ad inenarrabilem Baptismi gratiam vocare dignatus es, in filium adoptionis regenera ex aqua, quae fiat in eo fons saliens in vitam aeternam.

Benedictus Deus, qui secundum misericordiam tuam magnam de tenebris transtulisti me in admirabile lumen tuum et Sacramenti renovationis ministrum constituisti: fac me tot tantarumque gratiarum vere memorem, et praesta, ut cum infante isto rursus ipse abrenuntians satanae et, qua par est pietate est intentione, eum baptizans coniungam me Christo irrevocabiliter, et per ipsum, qui summus est Pontifex noster et manibus nostris

baptizat, offeram me semper tibi hostiam vivam, sanctam et beneplacentem. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio post administrationem S. Baptismatis.

Domine Jesu Christe, qui ingrediens mundum Patri tuo dixisti: *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam,* quique a parentibus tuis ipse in templo offerri voluisti: divinam legem inscribe pectori infantis istius, ut semper custodiat eam; et de parentum et patrinorum manibus suscipe eum, quem salvum fecisti per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quemque offerunt tibi et tecum et per te sanctissimae Trinitati non iam ut suum, sed ut fratrem et membrum tuum, templumque Spiritus sancti: fac ut ipsum rursus a te recipientes, quasi pretiosum depositum, cuius rationem strictam reddent tibi, enutriant et erudiant in omni bona disciplina: ut is porro per protectionem Angeli et patroni sui sic crescat gratia et sapientia, ut Baptismi sui fidem et innocentiam conservet et cum veste candida sanctitatis et lampade igne caritatis ardente, cum veneris, a te inveniatur.

Suscipe et sanctifica me ipsum, Domine, Pater omnipotens, per Unigeniti tui virtutem, et cooperante Spiritu sancto perfice me tibi munus et holocaustum sempiternum, et per intercessionem beatae Mariae, sancti Angeli mei custodis, s. patroni et omnium Sanctorum da mihi vires intus et foris, ut non modo dicam, sed et facere velim voluntatem tuam in omnibus, et non tantum dicar christianus et sacerdos, sed et semper inveniar. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio audituri confessiones.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam iudicare populum tuum in

iustitia et pauperes tuos in iudicio. Fac me ita tractare claves regni caelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit, nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo sollertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam, in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, me ipsum non perdam. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die, quo ante confessiones audiendas haec oratio recitatur: Racc. p. 660.

Oratio post confessiones auditas.

Domine Deus, qui non vis mortem peccatorum, sed magis ut convertantur et vivant: ne despicias sacrificium spiritus contribulati, cordis contriti et humiliati, quod offerunt tibi poenitentes isti, iurantes et statuentes custodire omnia iudicia iustitiae tuae; sed confirma hoc, quod operatus es in nobis, solvens tu ipse in caelis, quod in nomine tuo solvi in terris, et perficiens magis ac magis in timore et amore tuo sanctificationem eorum, quos dudum errantes pastor sollicite quaesiisti et in humeris tuis reduxisti, ne fiant novissima eorum, revertente diabolo illuc unde exivit, peiora prioribus. Vide, Pater, desolationem cordis eorum; misericordia moveare super eos; cito profer et indue illos stola prima, ut mereantur epulari et manducare tecum. O qui gaudetis, Angeli Dei in caelis, super his peccatoribus poenitentiam agentibus, orate perpetuo

pro ipsis, ut in novitate vitae ambulent. Orate etiam pro me, ut defectus a me commissi mihi remittantur, et ut auditis non maculer, sed considerans memetipsum semper vigilem in orationibus, quoniam et ipse circumdatus sum infirmitate. Amen.

Oratio ante administrationem extremae Unctionis.

Domine Jesu Christe, qui habes claves vitae et mortis, respice propitius super fratrem nostrum, propter quem mortuus es, quique inducit me, licet indignum, presbyterum Ecclesiae tuae, ut, sicut iussisti, orem super eum ungens oleo in nomine tuo. Fac ergo, Domine, ut oratio fidei salvet eum. Tu ipse, Domine, allevia eum, et si in peccatis sit, omnia remitte illi, ut, sive infirmus, sive sanus, sive etiam mortuus, laudet et amet te semper.

Da et mihi ipsi, Domine, intimum verae pietatis affectum, ut infirmo isti compatiar et oratio mea ex viva fide procedat; intime doleam pro peccatis, quae diversis sensibus, quos ungo, commisit, et pro meis etiam dolore intrinseco tangar. Excitem illum, te ipso per me loquente, ad sacrificium cordis contriti et humiliati et ad ipsummet vitae suae sacrificium. Audiat me, et ipsi adstantes pro illo orantes misereantur animae suae, placentes Deo, et ab omni se continentes peccato pretiosam sibi mortem praeparent, in fide et unione mortis Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Oratio post administrationem extremae Unctionis.

Unctio tua, Domine, unctio Spiritus sancti per caritatem tuam, diffusam in corde istius infirmi, maneat semper in eo, et doceat eum dolores suos, vitam et mortem suam tibi consecrare et offerre in unione passionis et mortis Domini nostri Jesu Christi; et si ad vitam revoces eum, fac, ut te

solum cogitet, desideret, et moriens audiat a te: *Hodie mecum eris in paradiso,* ubi te possideat in aeternum.

Eadem etiam unctio gratiae tuae, Domine, semper sit et maneat in me, doceatque me ipsum sic vivere, quasi mox moriturus essem, ideoque semper vigilem, ut oculi mei nihil profani videant, aures nihil mali audiant, nares nulli sensualitati indulgeant, os ab omni maledicto et gula abhorreat, manus nihil pravi agant, pedes nullam erroris ingrediantur viam; pangam denique foedus cum universis meis sensibus, immo cum corde meo et anima mea, ut ab omni specie mali abstineam, et in omnibus faciam voluntatem tuam beneplacentem et perfectam. Veniens enim venies, qua hora non puto, et forte citius, quam hunc infirmum, ad tremendum tribunal tuum vocabis me. Domine Jesu, miserere mei; propitius esto mihi peccatori et per tuam Passionem fac me semper paratum esse, mori in te, et in aeternum possidere te ipsum in caelis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ante visitationem infirmorum.

Domine et Salvator noster, qui consolans et benefaciens mundum transiisti, et qui voluisti, ut cum laetantibus gaudeamus et cum afflictis contristemur: ecce ego ad famulum tuum aegrotantem et doloribus afflictum, praecepto tuo oboediens, visitandum et consolandum accedo. Ne respicias, misericors Deus, peccata mea, sed munus, quod subeo, et gratia tua largissima exorna me, ut aegrotus, verbis meis erectus, in fide, spe et caritate firmetur, vel, si aberraverit per vitam suam, ad te reducatur tibique serviat, ut illi morbus ad salutem proveniat. Tu autem, consolatrix afflictorum et salus infirmorum, una cum sponso tuo, sancto Jo-

sepho, intercede pro me et misero famulo tuo, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! Amen.

Oratio post visitationem infirmorum.

Domine misericordiarum et omnium bonorum largitor, concede propitius, ut famulus tuus, quem ego nunc reliqui, a te non relictus, sed interna consolatione, quae omnem humanam consolationem excedit, refectus maneat. Remitte, quod ex tepiditate vel imbecillitate deliqui, et auge, quod bonum erat. Ne sinas, ut aegrotus in peccatis moriatur, sed da, ut convertatur et vivat. Da, ut in omnibus cum gaudio voluntatem tuam excipiat, sive vita, sive mors ei destinata sit. Tu autem Domine, ne eum destituas auxilio tuo, donec eum videas inter beatos. Benedicta sint dulcissima nomina: Jesus, Maria, Joseph! Amen.

NB. Pro commoditate sacerdotum, qui de SS. Corde Jesu sermones ad populum habere vel pro se meditari volunt, hic addam aliquot breves analyses de hac materia compositas.

Series prior.

I. Obiectum eiusque excellentia.[1])

Obiectum est Cor hominis Dei vivum, verbo Dei hypostatice unitum, ut symbolum immensi amoris, quem gessit et gerit homo-Deus erga nos.

1. *In se.* Quam pretiosum in comparatione aliarum rerum, quas cogitare possumus! Quantopere

---

1) Ad pleniorem notitiam de huius cultus natura et obiecto hauriendam perutile est libellus: *H. Nix S. J.* Cultus SS. Cordis Jesu (Ed. altera, Friburgi, Herder 1891); in-

aestimamus pretiosas res materiales: argentum, aurum, lapides pretiosos, — organicas: flores pretiosos exoticos, — artificiales: picturas, aedes; — quantopere ea, quae in homine extraordinaria sunt, in ordine naturali: scientias, dotes, — in ordine supernaturali: eximiam sanctitatem, virtutem miraculorum; — quantopere omnia quae cum viris eximiis vel sanctis cohaerent: imagines, reliquias. — Aestimemus et ponderemus singula in comparatione cum Corde divino!

(Non reliquiam mortuam, non imaginem et signum nudum, sed ipsum Deum possidemus vivum et verum et hominem nobis similem, sed infinite omnia excedentem. — Hinc vero *latria* dignum . . .)

2. *Ut symbolum.* Si adeo aestimandum est Cor Jesu ut in se est, ratio illud honorandi et colendi augescit ex iis, quorum symbolum est. Est symbolum amoris, et ut tale nobis ad oculos demonstrat, quid *nobis* sit et *pro nobis* egerit. — Amor est tenerrimus nec suam quaerens utilitatem, — beneficus . . ., — est amor fortissimus, qui omnia sacrificavit cum propriis doloribus, aerumnis et opprobriis, — est amor invictus, qui iniuriis et ingratitudine nostra non exstinguitur, — est amor aeternus, qui nunquam desinet, sed si modo nos in eius amicitia decedimus, in aeternum nos amplectetur.

3. *Conclusio:* Omnia igitur, quae reperire possumus obiecta nostro honore et cultu digna, in terra vel in caelis, in Corde Jesu collecta habemus. Nec dignius habemus quidquam, cui honorem tribuamus, nec utilius, cuius cultu et amore nos ipsi magis ditescamus.

---

super: *N. Nilles S. J.* De rationibus festorum SS. Cord. Oeniponte, Wagner; *Croiset,* de devotione SS. Cordis (saepe edit. et in varias linguas translatum).

II. Exercitium devotionis eiusque dignitas.

1. *Excellentia devotionis alicuius unde pendeat.* Pendet praeterquam ab obiecto ipso a nobilitate et fervore actuum virtutum, ad quos devotio impellit seu quibus exercetur. In se quaevis devotio pertinet ad virtutem religionis, ex se nobilissimae; sed *exercetur* religio saepe per actus virtutum etiam nobiliorum, praecipue caritatis theologicae. — Verum in devotionis dignitate aestimanda debemus spectare non solum ad quam nobiles actus excitet, sed etiam ad quem fervorem in illis exercendis compellamur: hinc fieri potest, ut devotio in se minus nobilis aliis praestet.

2. *Devotio ad SS. Cor omnia haec quam maxime praebet:* a) impellit ad exercendos *actus* nobilissimos, b) subministrat nobilissima *motiva,* c) impellit ad magnum *fervorem.* — Cor ostendit amorem, et excitat ad amorem, eumque perfectum, non nostra causa, sed Christi Dei causa — postulat ut redamemus, — ex motivo *compensandi* iniurias a nobis aliisque ingratis hominibus Christo illatas, ex motivo Christo *placendi,* ei si possibile esset benefaciendi; accendit fervorem tum ex ipsis his nobilissimis motivis, tum quia haec devotio *totum* hominem occupat quoad intimam animam et quoad sensus.

Sed quantus valor unius tantum actus perfecti amoris in Deum! S. Paulus 1. Cor. 13 eum extollit! — incomparabiliter plus quam alii actus colligit merita aeternae vitae, peccatorem cum Deo reconciliat, ut S. Scriptura, SS. Patres, Concil. Trid. (sess. 14 cap. 4) docent.

Conclusio. Aliae quidem devotiones non negligendae: imo Sancti, maxime B. Mar. V., invocandi, honorandi, sed ita invocemus eos, ut nos conducant ad Divinum Cor Jesu atque in Eius amore nos confirment!

III. Fructus et promissiones.

Quasi naturaliter quidem ex hac devotione fluit amor in Christum et omnia bona nobis veniunt pariter cum illo (cf. II.); sed praestat, animum speciatim convertere ad ea bona, quae Christus per B. Margaritam Mar. cultoribus sui Cordis promisit (etsi sit privata revelatio, tamen omnino fundata atque ab Ecclesia aliquo modo agnita); hinc plane licet in ea pie fidere.

1. Gratias divinas promisit generatim in magna abundantia. Eae autem solae aliquid valent in hac vita: cf. *Sap. 7, 8 sqq.*

2. Specialem protectionem in hora mortis et gratiam perseverantiae. Quantopere nobis timendum est, maxime in morte, propter tentationes et propter astutiam diaboli! Apoc. 12, 12.

Sed quid omnes agressus inimicorum valent contra Christum, si ille protector noster specialis est! — Donum perseverantiae, quod non possumus mereri, sed suppliciter tantum efflagitare et de congruo mereri, Concilium Trid. vocat „magnum illud donum“ — vere magnum, ex quo pendet aeternitas! Quid deberemus dare, pati, ut hoc nobis conciliemus! En medium facile: devotio constans et perseverans erga SS. Cor! Petamus ergo hanc gratiam et ex nostra parte faciamus quae nostra sunt, ut hanc devotionem retineamus perseveranter.

3. Venerantibus sui Cordis imaginem Jesus promisit se effecturum ut, ubi illa in domibus pie coleretur, pax intra familias conservaretur vel rediret — (en, quod in tot locis necessarium est), ut Ipse hos suos cultores protegeret in necessitatibus, eos e peccatis educeret, iram Dei ab iis averteret. — Magis etiam pro Communione expiatrice singulis feriis VI peragenda et pro celebratione festi ss. Cordis insignes gratias promisit.

4. Omnium maximam copiam gratiarum iis pro-

misit qui et se ipsos Divino Cordi consecraverint eumque cultum exercuerint et apud alios pro viribus cultum hunc propagaverint. Quam nobis opus, Christo sic placere, Ei satisfacere pro iniuriis, cum Eo cooperari ad salutem et sanctificationem aliorum et gloriam Patris! Sed id fieri potest a *quolibet,* sive exemplo et exhortatione, sive procurando imaginem, altare SSo. Cordi devotum in templo etc. atque ad eos fines conferendo, sive iuvando in inducenda confraternitate SS. Cordis, apostolatu orationis, sive saltem preces in hunc finem fundendo.

IV. Quomodo imprimis haec devotio exercenda.

Devotio haec innititur in iis, quae Christus D. ipse B. Margaritae Mariae hac de re manifestavit. Quare tum ex obiecto devotionis, tum maxime ex iis quae Christus expresse dixit, desumi debet, quomodo exercenda sit devotio.

1. Obiectum ipsum (v. I.) divinum Cor in se et ut symbolum amoris; — sed signa, quibus Christus ipsum suum Cor circumdatum ostendit B^ae. Margaritae, exhibent huius amoris conditiones, quas attente a nobis considerari vult: Flammae ardorem, crux dolores, spinae dolorissima opprobia et iniurias, radiorum splendor immensa beneficia et gratias exhibent. Haec considerare, memoriâ recolere, perpendere debemus. (Singula materiam longae explicationis praebent.)

2 Christus ipse expresse insistebat a) in grato animo erga tot beneficia et dona: quod idem etiam in institutione SS^ae Eucharistiae fecit: „*in mei memoriam . . . — mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*“. Tantopere voluit, ut nunquam memoria suae passionis, sui amoris etc. elaberetur. (Breviter indicari possunt beneficia redemptionis, sanctificationis. Sacramentorum. Ecclesiae instit., eaque conferri cum beneficiis veteris Testamenti

gratiarumque actionibus, quas Deus ipse propter haec praescripserat.)

b) in compensatione iniuriarum earum, quae Cho., in divino Sacramento Eucharistiae illatae sunt et inferuntur. Quanta turpitudo, in hoc Sacramento amoris Christum contumeliis affici! quam multis sive magnis sive parvis nos ipsi Eum affecimus! Nihilominus Ipse expandit manus suas tota die... imo praevidens atroces illas iniurias ipsas amplexus est, ne *nos* fraudaret fructu huius divini Sacramenti. — Si templum materiale atroci peccato violatur, Ecclesia solemnissimam ordinavit reconciliationem cum pompa et caeremoniis multis: si ipsa divina hostia iniuriis afficitur, expiatio, quum digna fieri nequeat, relinquitur devotioni et fervori fidelium, qui hac re *probent,* num vere Christum diligant. Simus nos ex eorum numero!

V. Origo et propagatio.

Cultus in Ecclesia quoad formam externam mutabilis est, intima essentia semper adfuit. Sic etiam in cultu divini Cordis substantia cum ipsa Ecclesia nata est; haec forma qua colitur, recentius est orta.

1. Cor, ut designat internas affectiones animi generatim, ab initio Christianismi exhibebat fidelibus obiectum speciali modo mente recolendum, ut haberent fideles, quod admirarentur, grato animo prosequerentur, imitarentur. Beatissima V. Maria ante omnes, dein etiam alii, quotquot homines vere spirituales evaserunt, ad interiora Cordis Jesu respexerunt — et quot hauserunt gaudia, virtutum exempla . . ., incitamenta . . .!

2. Cor ipsum reale, *ut symbolum amoris et doloris,* venerationi esse coepit ab ipso momento, quo in cruce perforatum est. Quot enim ab illo tempore ad Cor Jesu eiusque *vulnus* confugerunt, unde

SS. Patres manasse dicunt sacramenta baptismi et Eucharistiae — quanta beneficia (describantur!): haec speciali modo referuntur ad Cor Jesu!

3. Ultimis temporibus novo modo Jesus fidelibus suis hoc suum Cor proposuit, quo plures abundantius ex eo haurirent — remedium nostro tempori aptissimum. Quoniam tam multa trahunt ad *exteriora,* periculum est, ne in laboribus et sollicitudinibus externis internus virtutum ornatus negligatur: hinc *trahi* debemus ad interiora. Sumus adeo sensibus et sensibilibus occupati, ut spiritualium fere obliviscamur: quid ergo melius, quam per medium *sensibile* ad invisibilia eaque perfectissima trahi — per Cor Jesu. De eo quodammodo etiam plus valet, quam de SSa Eucharistia, quod Ecclesia canit in Praefatione Missae de Nativitate Domini.

4. Nostra devotio primo latuit in quibusdam locis religiosis, — sed paullo post coepit erumpere, Ecclesiae commendatione (quamquam primo sobria omnino) munita paullatim crevit, Offic. div. et Missa permittebatur, confraternitates sub eo titulo . . .

(Nunc sub Pio IX et Leone XIII. ad totum orbem extensa est celebratio eaque ex obligatione pro clericis sacrorum ordinum — per totum orbem divulgatus apostolatus precum . . vix ulla parochia, vix ullus locus religiosus reperitur, ubi non speciali modo SS Cor colatur; Cf. VI.)

VI. Persecutio et victoria.

(Accurate omnia describuntur apud *Nilles,* de rationibus festorum SS. Cordis Jesu et Purissimi Cordis Mariae, ed. 5, tom. I, pag. 211 sqq.)

1. Cum sub pontificatu Clem. XIII. et sequentibus Societas Jesu, cui defensio et propagatio devotionis erga SS. Cor singulari modo demandata erat, ab Ecclesiae hostibus, S. Sede frustra renitente,

immaniter impeteretur, iidem fere hostes contra SS. Cordis devotionem insurrexerunt, vere blasphemis cavillationibus eam impetebant — (inter alia v. conciliab. Pistor. eiusque theses 61—63 damn. per Const. Pii VI. „*Auctorem fidei*“). Sed etiam antea motivo prorsus alio atque zelo non malo haec devotio eiusque initia impugnabantur vel suspiciose observabantur, idque a monialibus B^ae.^ Margaritae sororibus vel superioribus, a viris doctis et piis. — En communis sors operum divinorum et hominum, qui Deo placent! Per tribulationes, adversitates exerceri debent, ut fructum afferant in patientia. (Exemplum Ch^i.^ et omnium Sanctorum — — ne ergo animum despondeamus, sed fidamus in Deo, non in nobis.) — Immo vere applicari potest huic devotioni: „Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel“ *Luc. 2, 34* (quibus in ruinam? . . . in resurrectionem? . . .).

2. Victoriae, quas hic cultus celebravit, a parvis creverunt semper ad maiores. — Primo B. Margarita impense gaudebat, cum, domesticis adversitatibus sopitis, prima imago SS. Cordis a sororibus sui monasterii coleretur anno 1686; — propria Missa et Offic. tandem concessa sunt 1765. Illo autem tempore iam 1089 confraternitates SS. Cordis in omnibus mundi partibus distributae exsistebant. — Recentius a tempore Pii IX. et Leonis XIII. cultus SS. Cordis multo maiora sumpsit incrementa: anno 1856 festum SS. Cordis ad universam Ecclesiam extendebatur; 1864 Maria Margarita inter Beatos relata est; annus sanctus 1875 vidit singulas ubique ecclesias divino Cordi sese specialiter devoventes, ante annum sanctum 1900 Leo XIII. universum orbem sanctissimo Cordi consecravit; apostolatus precum, in cultu divini Cordis nixus, maximam habuit propagationem; mensis Junius ab ipsa Ecclesia singulari modo divino Cordi devove-

batur; vix iam templum est vel sacellum, in quo non inveniatur imago SS. Cordis. Quo latius patet nunc haec devotio, eo ferventius singuli contendant, ut participes evadant singularium fructuum, quos Christus promisit . . . ut divinum Cor etiam *in nobis* triumphum agat.. . . Hunc aget, si Ei substernantur hostes, quos debellare vult: peccata, malae inclinationes, si nos per Ipsum triumphemus de mundo, carne, diabolo, si nos quam proxime Eum sequamur Eumque imitemur.

VII. Spes Ecclesiae in SS. Corde posita.

Exhortatio *Pii IX.* in Encycl. 8. Dec. 1864 „*Quanta cura*" videlicet: *ut omnes semper confugerent ad dulcissimum Cor Jesu, flagrantissimae erga nos caritatis victimam, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum traheret.*

1. PP. Concilii Vaticani in voto Smo. Pontifici oblato ex culto divini Cordis propagato sperant a) sanationem nationum orbis terrarum, ita ut expellatur mortiferum indifferentiae frigus et omnes divino amore caleant..., b) conversionem pravorum catholicorum..., c) illuminationem heterodoxorum..., d) contra societatis humanae universae morbos supremum remedium. Quisque pro se et in suo ambitu pro viribus in aliis studeat hos fructus elicere!..., saltem ferventibus precibus, bono exemplo... en dignissimus apostolatus!

2. S. Pontifex Pius IX. in oratione edita pro solemni consecratione, in universo orbe anno 1875 peracta, inter praecipuos fines huius devotionis et cultus enumerat: a) triumphum et stabilem pacem Ecclesiae, Christi sponsae, b) prosperitatem Summi Ecclesiae capitis, Vicarii Christi, c) sanctificationem cleri et populi christiani.

Beatus, qui quomodocumque ad hos nobilissimos fines aliquid possit conferre, ad fines, qui Christo Dno adeo cordi sunt... (Felicitas... utilitas pro

altera vita...) Conferre possumus idque eo plus, quo magis excellamus in colendo SS. Corde.

Si quando autem Deus videatur auxilium suum differre et quasi surdus esse ad preces nostras, clamemus eo magis, eo perseverantius, eo fidentius (exemplum mulieris Cananaeae *Matth.* 15, *22—28)*; exaudiet tempore opportuno!

VIII. Cor Jesu thesaurus sapientiae.

Jesus Christus, qua Deus est, divina cognitione omnia complectitur, ut per se patet. Sed etiam qua homo seu humana sua cognitione nos et nostra omnia semper intuetur.

1. Nos totos vidit, et videt atque semper ante oculos habuit et habet (in incarnatione, nativitate etc. etc....). Pro nobis oravit et omnia obtulit... nunc videt nostras miserias, pericula, . . . novit remedia . . . videt omnia futura . . . videt, quid *fieret* nobiscum in his et illis circumstantiis ...— Verum in his omnibus noster pater, redemptor, frater est. — Quanta fiduciae motiva!

2. Vidit et praevidit omnia peccata et crimina a primo homine usque ad ultimum ... contra omnia praecepta . . ., etiam mea a primo usu rationis usque a mortem . . . Haec oppresserunt Eius divinum Cor — sudor sanguineus in horto . . . Praevisio tot iniuriarum, cum institueret SS. Eucharistiam . . . Nihilominus nos dilexit, *me* dilexit, amplissimas gratias praeparavit, contulit, offert ... Pudor ... gratus animus ... compensatio ... usus fidelis in posterum!

3. Videt et *aestimat* omnia iudicio vero et sapientissimo. Intuetur omnia perfectissime: — sed nihili aestimavit divitias (pauperrimus natus est... vixit . . . moritur); nihili honores humanos . . . Omnia haec a se repulit et a suis amicis specialibus: a B. sua Matre et S. Joseph, ab Apostolis etc.

...Sed pro thesauro habuit penuriam, ignominiam, dolores eaque cum suis intimis amicis communicavit. Reformemus igitur *iudicium* nostrum, *gustum nostrum*, nostrum amorem et *electionem*.

IX. Cor Jesu fons omnium gratiarum.

1. *Aeternum Dei consilium.* Deus ab aeterno proposuit omnem reconciliationem et gratiam nobis donare propter Christum: cf. *Ephes. 1, 3. sqq., Coloss. 1, 19–20, Hebr. 10, 10.*

2. *Exsecutio in tempore.* Jesus laboribus et cruciatibus suis gratias plenissimas nobis meruit et a potestate diaboli nos eripuit. Pacto quodam Christum inter et Deum Patrem Christo addicti sumus; in *nos* transtulit merita sua — et quanta! — minima Eius actio infiniti valoris est, quo mille mundi expiari possint. — Sed Corde suo ardenti ipse voluit nobis abundantius caritatem suam ostendere. — Quam multas et magnas gratias igitur sperare possumus! Sed etiam nulla gratia nisi per Christum . . . Gratiae auxilio autem semper egemus propter continuas tentationes sive ex parte nostra, sive ex parte mundi, sive ex parte diaboli oriundas; propter opera meritoria, ad quae obligamur, sed quorum nullum agere possumus ex nobis.

3. *Applicatio gratiarum* in singulos nostrum. Christus Jesus meruit quidem et collegit infinitum gratiarum thesaurum; sed ex eo nobis ipsae gratiae applicari debent. Hoc Jesus modo illo amabilissimo facit, quem Cor infinite amans invenit. Potuit multis aliis modis, sed voluit praecipue per sacrificium Missae et SS. Eucharistiam. (Praeclara dicta de eorum excellentia ut fontibus gratiarum v. *Conc. Trid.* sess. 13 et 22.) Idque fecit, quamquam gravissimas iniurias praevidit. — Et ultimis temporibus, cum langueret amor hauriendi ex his fontibus, denuo miro modo *Cor suum* specia-

liter nobis aperuit, impatiens, effundendi gratias collectas! — Age hauriamus *desiderio* et *fiducia!*

X. Cor Jesu exemplar sanctitatis.

In Corde Jesu duplex sanctitas invenitur: *divina*, quae ipsam Eius humanam naturam sanctam facit, et *creata*, quae etiam omnes nostras cogitationes excedit.

1. *Remotissimum et ab omni macula morali.* Odium infensissimum peccati. Peccati incapax, potius omnia mala elegisset, quam levissimam maculam — peccata aliena lubens in se severissime castigavit ... Immo ab omni imperfectione plenissime abhorruit. — Consideremus nos! Peccata gravia num summe et constanter odio prosequimur? — venialia quam facile admittimus, quam difficulter diminuimus! — defectus qui peccata nondum sunt, num quidquam attendimus? [Qui affectus?]

2. *Ornatissimum omnibus virtutibus.* Fides quidem et in consueto sensu spes in Eo locum non habebant, quia Deitatem intuebatur et possidebat; sed summo gradu caritatem et virtutes morales. Qualis fuit oboedientia erga parentes, erga iudices et tortores, nunc erga sacerdotes! humilitas, qua naturam suam humanam infinite deprimebat infra divinam — mansuetudo ... — patientia — ... conformitas cum voluntate Patris... Et nos?...

3. *Purissimum in intentione.* Omnia atque omnium virtutum actus exercebat purissimo amore erga Deum et homines. Semper spectabat *placere* Patri, diligere Patrem, zelo magno Eius voluntatem facere *(Joan. 8, 29; 14, 31; 4, 34).* Quid nos quaerimus? Nonne saepe nosmetipsos? Sed si nos nostraque quaerimus, ea damno nostro inveniemus; si Deum et divina, ad ea cum nostro summo emolumento pertingemus.

XI. Cor Jesu refugium morientium.

Quanti momenti, in hora mortis habere tutissimum refugium.

1. In hora mortis Cor Jesu *praeterita* omnia in tuto collocabit. Si peccavimus et peccata nostra multa nos perturbant, Cor Jesu abundantissime satisfecit, delebit peccata nostra, etiam gravissima, si cum fiducia et caritate ad Eum accedimus. (Quomodo excepit Magdalenam, mulierem adulteram, S. Petrum, latronem in cruce?) — Si bona merita collegimus, hunc thesaurum nostrum. Ipse in Corde suo recondet, ne inimici insolentiâ eo privemur.

2. Pro tempore *praesenti* nos roborat. Providit omnibus suis fidelibus pro hora mortis Sacramento poenitentiae, Extr. Unctione, SS. Eucharistia (haec quantum valent, maxime pro ultimo momento!) Quibus Ecclesia adiecit benedictionem Apostolicam cum plenaria indulgentia facile acquirenda. – — Sed imprimis suis cultoribus SS. Cor hos gratiarum fontes late aperit . . . praesertim quando ipse in animam intrat in SS. Euch. (Recolantur promissiones ut n. III.)

3. Pro tempore *futuro* spem magnam facit. E Corde Jesu procedit sententia nostra in iudicio. — Num proiiciet in aeternum eos, qui in Ipsum speraverunt? Ipse, nobis amicissimus, iudex vivorum et mortuorum, qui habet claves abyssi . . . Eius causas fecimus nostras, pro Eo zelavimus: oh, quam dulce, qui id sibi in morte sincere dicere potest! Defendetur a timore nocturno.

Ergo nunc, dum tempus habemus, operemur bona, faciamus nobis amicos in caelis, sed praecipue amicum faciamus nobis Cor iudicis nostri!

XII. Cor Jesu gloria beatorum.

Quam felix hora, qua audit anima: „*Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.*" Cor Jesu nos admittet ad *suum* gaudium suamque felicitatem.

1. Quantum gaudium intueri, quid Jesus Eiusque divinum Cor pro nobis egerit! Ibi videbimus, quantopere flagraverit pro nobis (unusquisque dicat: *pro me)* in momento incarnationis — cogitavit semper de me, in stabulo Bethlemitico, in fuga in Aegyptum, in vita abscondita in domo Nazaretana, in vita publica . . . in sua SS. passione . . . mea causa instituit sacramenta . . . me protexit, tot pericula amovit . . ., tot inspirationes mihi dedit. . . in gloria Sua de me semper sollicitus. . . omnia illa omnesque actus cordis huius videbo: quantum gaudium, me ita amatum videre non a vili homine, sed *a Deo homine!* — Gaudeamus etiam nunc de eo et omnium aliorum facile obliviscemur; — gratulemur nobis ipsi, gratias agamus Christo.

2. Praemium essentiale intuitivae visionis Dei nobis Cor Jesu tamquam iudex dabit — idque pro mensura meriti nostri — dabit gaudens de nostra felicitate. Si donum illud est infinitum in se, quodammodo adhuc crescit ex eo, quod per manus tanti donatoris nobis proveniat. (Descriptio caelestis beatitudinis per comparationes.) Contendamus igitur, ut quam plurima merita colligamus, strenue, continue, fervide et perfecte opera bona exercentes et caventes, ne per peccatum amittamus, quae collecta sunt.

3. Si vere Jesum diligimus, nos etiam vicissim gaudium Jesu pro nostro gaudio considerare debemus. Quanto autem gaudio ipsum Cor Jesu afficiatur, nemo nostrum unquam comprehendere potest. Vere omnium Beatorum et Angelorum beatitudo

simul sumpta nihil est in comparatione beatitudinis Cordis Jesu: omnes quasi rivuli ex inexhausto oceano ab Ipso recipiunt, sed nunquam exhauriunt. Gratulemur Jesu de tanta gloria — gratulemur Ei, quod nostra laude sit infinito superior. At quamquam essentiale Eius gaudium augere non possumus, possumus tamen accidentale Eius gaudium, quod percipit ex eo, quod videat labores et dolores suos fructum ferre in nobis. Studeamus hoc Eius gaudium *quantum possumus* augere.

Series altera.

I. Cor Jesu in momento incarnationis.

Cf. Hebr. 10, 5—7.

1. Affectus Cordis Christi sequebantur Eius cognitionem. Quid igitur a primo momento menti Eius se obtulit? Videt seipsum i. e. humanam suam naturam intime coniunctam cum divinitate — personaliter unitam . . . — Videt immensum pelagus perfectionis et bonitatis divinae. — Vidit hunc Deum infinitum ab hominibus tot peccatis et iniuriis affectum (omnia peccata a primo ad ultimum usque . . . eorum multitudinem, gravitatem . . .) — Vidit ingentia mala inde exorta et oritura pro hominibus (singula perpende . . .) fratribus suis.

2. Quae sensa SSi. Cordis? Summae dilectionis, adorationis, gratitudinis erga Deum, summi doloris ob offensas erga ipsum (ut si filius optimus patrem suum dilectissimum videt iniuriis affectum), summae commiserationis erga homines (erga *me*), qui in aeternum perituri erant, nisi Ipse succurreret.

3. Hinc optat vehementissime Patri suo infinite compensare iniurias — optat vehementissime pro

fratribus sese offerre eosque e faucibus inferni eripere — et quamquam unico actu submissionis id abundantissime facere poterat, tamen totum incendi et conflagrari voluit ut holocaustum, vitam longam, pauperrimam, afflictissimam ducere et summis cruciatibus vitam suam divinam profundere, quo evidentius eluceret divina dignitas, Ipsiusque immensus amor. Pater infinitâ complacentiâ accepit haec desideria SSi Cordis Jesu atque pactum firmavit, quo pro morte in cruce ferendâ Ipsi daret semen longaevum et ut voluntas Dni in manu Eius dirigeretur *(Isaias 53, 10).*

Quid nos huic divino Cordi debemus? Gratias quam plurimas verbo, affectu, sed etiam opere — in aeternum maneamus Ei fideles secundum pactum baptismale!

II. Cor Jesu in praesepio iacentis.

Externa specie videmus oculis nostris infantem aliis similem . . ., sed oculis fidei sub vili illa forma Filium Dei. Quibusnam rebus divinum Cor occupatur?

1. Locum hunc pauperrimum, pauperrimos pannos *elegit,* tempus hibernum, nocturnum: nonnisi volens haec sustinet. Despicit *divitias,* quibus homines inhiant et pro quibus animas suas venales habent, . . . splendorem et honorem . . ., vitae commoda et oblectamenta. . .; sed ardenter amat et amplectitur — quae? contraria . . . — Ergo despici *merentur* divitiae. . . etc. . . . cur? facillime impedimenta sunt, pericula, damna . . . Ipsi non quidem, sed nobis, quos vult instruere . . . Ergo *amari merentur* paupertas etc. . . . cur? Occasiones virtutum sunt. — Cor nostrum separatum esse debet et vacuum a terrenis rebus.

2. Renovat desideria, quae habuit in ipsa incarnatione (v. n. I) et incipit iam implere, quae secundum suam voluntatem sibi a Patre imposita

sunt. — Simus etiam nos constantes in bonis propositis, quae Deo obtulimus, maxime si occasio exsequendi adest.

3. Vocat et trahit ad se diversarum classium homines, idque quanto cum desiderio aeternae eorum gloriae! 1) Ipse immediate et proxime attrahit ad se Beatissimam Matrem suam et Bm. Joseph, ut eos faciat sibi quam simillimos, internos suos affectus illis pandit et externa omnia habet cum illis communia, immo ab illis accipit. — Studeamus et nos, vocati ad intimam unionem cum Cho. tamq. Christiani, in intima Cordis Jesu penetrare nosque saepe cum Eo coniungere („Domine in unione illius divinae intentionis etc." *Oratio ante offic. div.*). 2) Per apparitionem et apertam allocutionem Angelorum vocat ad se pastores. Cum ante praesepe procumbunt, illustrantur, accenduntur amore Dei et desiderio perfecte vivendi. (Nos? ...) 3) Reges ex Oriente vocat per stellam et illustrationem internam. Quam beati, quod secuti sint eam vocationem: praeluditur vocatio gentium et nostra: Ergo *nostra* vocatio coepit tunc in Corde Jesu. Numquid gratias egimus unquam pro hoc beneficio? Quomodo gratias *agere* debemus!

4. In SSo. Sacramento eadem quotidie renovat: Quodammodo de novo nascitur, in paupertate et spoliatus omnibus rebus earumque usu; exhibet praeclarissima virtutum exempla; se offert pro homine; vocat nos ad se et nos gubernat e tabernaculo tamquam e throno suo.

III. Cor Jesu cor Dei vere absconditi.

1. Filius Dei homo factus usque ad aetatem 30 annorum vitam pauperrimam non solum, sed plane absconditam ducit in officina fabri *(Philipp. 2, 6—7; Luc. 2, 51).* Nihilominus erat omnis gloria eius ab intus et talis, in quo sibi Pater

summe complacuerit. Neque nunc in SS. Eucharistia quidquam apparet oculis nostris; nihilominus intensissimam et ditissimam vitam ducit Jesus in SS. Sacramento.

Nunquam cessavit ab adoratione et laude divina, a generosa oblatione sui et desiderio laboribus et doloribus satisfaciendi pro offensis hominum contra Deum idque *pro* hominibus fratribus suis; semper orationes fudit pro salute nostra et magna siti nostrae salutis continuo torquebatur; semper gratias egit non solum pro donis suae humanae naturae collatis, sed etiam pro omnibus quae B[ae] Virgini, . . . omnibus Sanctis, nobis (mihi et tibi . . .) collecta vel praeparata erant, quasi *sibi* essent data, quamquam summo dolore ea comparare debuit. . .

Et in SS. Eucharistia nunc die et nocte? Tolle dolores sive externos sive internos (quia Christus nunc plane impassibilis est): de cetero eadem habes, quae egit in vita sua abscondita Nazaretana.

Admiratio — gratiarum actio — studium non frustrandi gratias a divino Corde nobis praeparatas.

2. Documenta practica haurienda: 1) Simus contenti eâ conditione, in qua divina providentia nos posuit, etiamsi fuerit humilis et despecta. (Magna eius commoda . . . minora pericula aeternae salutis . . .) Qui vero sunt in conditione magis honorifica, sese humilient coram Deo Eumque magis deprecentur, ut ipsos quoque admittat ad Suarum gratiarum copiosam participationem, quam imprimis humilibus et despectis aperit. 2) Studium nostrum esse debet, ut omnia opera nostra cum *interno* virtutum exercitio coniungamus — saepe renovando bonam intentionem eamque in unione cum divino Corde (secundum supra dicta n. II.). . . Sic Deo placebimus et ingentes divitias caelestium merito-

rum nobis comparabimus, insuper gratias impetrare possumus pro peccatoribus, infidelibus . . . iuvamen afferre animabus in purgatorio detentis.

Conclusio. Simus ergo veri palmites in vite, qui est Christus, viventes ex eius suco et vere fructus hac vite dignos ferentes!

IV. Cor Jesu, qui pertransiit benefaciendo.

1. In Corde Jesu omnia beneficia praeparata erant, quae unquam, maxime in vita publica, hominibus contulit; ex amore enim procedebant ... Beneficia quae, quanta, quam multa!

Corporalia, quae ipse Jesus coram discipulis Joannis Bapt. recenset *Matth. 11, 4. 5.* — spiritualia: quoties dixit: Remittuntur tibi peccata tua — quomodo *quaesivit* animas (Samaritanam mulierem et concives...), peccatores *(Luc. 15, 1 sqq.)*. — Num Eius benevolentia et beneficentia diminuta est? In omnibus necessitatibus est etiam nunc refugium —; si quae infortunia non aufert, intendit nostrum maius bonum: omnia enim ad *aeternam* nostram felicitatem, non ad terrenam ordinat; secus nos non vere diligeret.

2. Beneficia praestitit cum vera *misericordia*; nam ut homo vere affectus compassionis habuit (cf. *Hebr. 4, 15; Marc. 8, 2; Joan. 11, 33—36; Luc. 23, 28 sqq.).* Quantopere compassus est de obcaecatione et interitu tam multorum hominum! Etiam compassus est de omnibus malis *meis* . . . Si ergo incommoda, paupertatem, iniurias a me non aufert, sanctissimas causas habet, quia ita mihi expedit, si modo Eius amicitiam conservem. *Rom. 8, 28.*

3. Duo documenta inde accipere debemus: 1) Ne *in vacuum* gratiam Dei et tot beneficia, quae in SSo Sacramento pro nobis reposuit, accipiamus. 2) Ut nos etiam misericordiam exerceamus pro viribus.

(„Beati misericordes . . .“ „. . . ipsa est quae purgat peccata“ — sententia in ultimo iudicio.) — Opera misericordiae tum corporalia, tum spiritualia: nemo igitur habet excusationem, sed vae iis, qui misericordiam non exercent!

V. SS. Cor Jesu in Eucharistia latens.

1. Quid senserit Cor Jesu in ultima Coena in huius SSi Sacr. institutione! Prospexit in omnia saecula futura — vidit a peccato Judae omnia sacrilegia (indignas Communiones, conculcationem s. specierum...), omnem teporem eorum, qui utcumque digne SS Eucharistiam sumant omnemque negligentiam — et nihilominus, ne *nos*, ne paucos fraudaret abundantiâ gratiarum, ne se privaret heroïco illo amoris et humilitatis exemplo, Cor divinum non horruit verba illa: „Hoc est corpus meum... hoc facite in meam commemorationem“, quibus se per omnia saecula quasi vinctum hominibus tradidit! — Nostrum est, efficere, ut saltem in nobis operetur, quae optat.

2. Et revera hic in SSo Sacramento perpetuo ostendit aeterno Patri omnia, quae egit, passus est in vita paupere, in vita apostolica, in ignominiosissima morte. . . merita haec et sanguis effusus clamant misericordiam, ne deleatur orbis terrarum propter crimina. Si decem iusti homines iram Dei avertissent a Sodomis, quid potest iustus Filius Dei, qui est advocatus noster! — En, quo confugiamus, si pondus peccatorum nos premit!

3. In ultima Coena et perpetuo in divina Eucharistia Cor Jesu gratias agit Patri pro omnibus donis non solum Sibi in sacra humanitate collatis, sed etiam pro omnibus, quae nobis conferuntur — pro gratiis, quas hausit B. V. ex S. Communione, quas hauserunt tot Sancti et nos, pro iis, quae

nobis praeparat — idque tam ardenti affectu, ac si omnia haec Sibi darentur!

VI. Cor Jesu dolore oppressum.

Cor Jesu fuit ab initio Incarnations summe beatum, quia Dei intuitiva fruebatur visione; sed simul novo miraculo summis doloribus repletum. — Causae autem huius doloris erant mala peccatorum, i. e. peccata eorumque sequelae. Hoc fecit amor erga Patrem et amor erga homines.

1. Peccata omnia vidit; multitudinem, gravitatem (et revera quantum malum unicum peccatum sit, umbratili cognitione videmus ex poenis angelorum, protoparentum etc. . . . — verum malitia *in se* foedior est — hanc Christus intime perspexit) — infinitam Dei excellentiam, qui peccatis impetitur — quem *summe* diligebat . . . Sed seipsum vidit tamquam vadem omnibus illis peccatis onustum. — Hic dolor expressit in horte Olivetano sanguineum sudorem: — verum hic Scriptura narrat, quomodo dolor se *manifestaverit;* sed angustiis et doloribus pressum Cor Jesu semper *erat*, quamdiu vixit. — En nos causa sumus! Nonne peccata debemus detestari?

2. Dolor ingens invasit cor Jesu, eo quod pessimas sequelas peccati in damnum hominum videbat. — Mala physica his in terris — sed multo magis mala in altera vita — tot damnatos vel damnandos, pro quibus ob ipsorum culpam frustra passurus erat. — Quantus dolor, cum tantus esset amor erga homines! Quantopere id affecit tot Sanctos, Apostolos. . . . quare nullum laborem respuebant, ut animas salvarent; quanto magis, infinito magis haec Cor Jesu torquebant! — Rogemus Eum, ut nos participes simus huius sancti doloris, et ut studeamus animas eripere e peccato et praeservare a gehenna, ut Cor Jesu aliquo saltem gaudio afficiamus!

VII. Cor Jesu opprobriis saturatum.

1. „In propria venit et sui eum non receperunt.“ *Joan. 1.* Hoc verum fuit a nativitate Christi ad mortem usque. Neque insensibile contra hoc erat Cor Jesu; immo id maxime sensit. Non agnitus, sed eiectus in Bethlehem..., dein in urbe Jerusalem cum nuntius regis recenter nati haberetur, negligitur, persecutione eiicitur in Aegyptum . . .; in vita publica (Nazaretani . . . *„Samaritanus es, daemonium habes“ ... „blasphemavit, quid adhuc egemus testibus“)* ... in cruce. Haec vehementissime cor Jesu affligebant: a) propriae dignitatis laesio ex se affligit, b) eo magis quod hominum causa agnitionem et amorem quaerebat: *„quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina pullos suos...“*; c) multo magis etiam, quia haec omnia continebant gravissimam iniuriam contra Deum: *„opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me“*. — Haec omnia nostrâ causâ pertulit. Num nimium est, si Eum inter nos in SS. Sacramento praesentem honore pro contumelia afficimus? si pro splendore templorum suorum, rerum cultus curam gerimus — tum apud nos, tum in regionibus, ubi res catholica iacet? si interna devotione ad Eum accedimus, frequenter et cum fervore...?

2. Verum nonne continuantur opprobria erga Jesum? Quot templa sunt Ipsi stabulum Bethlehemiticum — immo peius, quia ibi quievit in purissimis manibus B^ae^ V. M. et S. Josephi. — Olim se occultare debuit — et nunc in quot locis et urbibus in SSa Eucharistia se occultare debet, quando defertur ad aegrotos? — Olim per plateas raptus est ut seductor, malefactor, fatuus — nunc si in processionibus per plateas fertur vel in templis exponitur, a quot hominibus interne despicitur, offenditur, blasphematur, ne quid dicam de

externis insultibus contra SS. Eucharistiam commissis!

Etiam haec nostrâ causâ in se sumpsit. Nonne urgemur, ut pro tot opprobriis tandem aliquando debitum honorem Ei impendamus? idque eo magis, si etiam nos harum iniuriarum non plane insontes fuimus. Angeli stupent de humilitate Christi et de caecitate et audacia hominum.

VIII. Cor Jesu lancea percussum.

Narratio Evangelistae. — Hoc vulnus seu eius cicatricem et notam in corpore glorioso adeoque in Corde suo retinuit — sane ex rationibus summi momenti, scilicet:

1. ut ostenderet, se amore erga nos et dolore pro nobis nostraque salute saturari non potuisse; — propterea Cor, amoris et doloris sedem, etiam post mortem transfigi et aperiri voluit: — vita finita erat, desiderium nos amandi et pro nobis patiendi finitum non erat. Vere *„in finem dilexit eos“ Joan. 13, 1* . . . Si cum S. Joanne aspiciamus Cor illud recens apertum, quemnam amorem illud Cor nobis narrat? Quis? Deus infinitus . . . Quem amat? nihilum, servum, creaturam, rebellem, ingratum, diaboli et inferni praedam. . . quomodo? quo affectu et quo effectu? non verbo solum, sed reipsa opere — pro vilissimo servo Ipse infimi servi formam assumit . . . etc.. . . — et omnia haec quasi nihili aestimat, si tandem possit nos ad redamandum pertrahere. (Cfr. II *Reg. 12, 8. „Et si parva sunt ista, adiiciam tibi multo maiora.“)* — Num igitur nobis unquam finem ponere licet in amando Eum et in laborando pro Ipso?

2. Ut ostenderet se ex Corde suo genuisse Ecclesiam et nos singulos, ex Corde suo profluxisse dona illa, quibus imprimis membra Christi efficimur, sacramenta baptismi et Eucharistiae: — dona tanta

potiora fiunt ex affectu donantis. (Horum sacramentorum mirabiles effectus . . .)

3. Ut nobis patefaceret tutissimum refugium. Si periculis obiicimur . . ., si in malis volvimur . . ., si peccatis oneramur, si metu percutimur, si iram Dei timemus: quonam tutius refugimus, quam in Cor divini Salvatoris; nam omnibus inimicis nostris est potentior, malitiae nostrae sua bonitate superior, irâ Dei per merita sua ditior.

IX. Cor Jesu gloria beatissimum.

A primo momento quidem Incarnationis SS. Cor Jesu beata visione divinitatem possedit, verum novo miraculo cum summa beatitudine summos dolores coniunxit. — Sed cum primum illud: *„Consummatum est"* in cruce est auditum, humana anima Christi in plenam beatitudinis suae possessionem intravit, idque sine ulla doloris possibilitate — atque ita gloria et gaudio plenum etiam in SS. Eucharistia Cor Jesu habemus.

1. Eius gloria externa: — Rex regum, cui omnis creatura subdita sit — caput Ecclesiae, a quo *omnes* vitam supernaturalem accipiunt — sine quo nulla salus — caput Ecclesiae triumphantis et Angelorum: — omnes coronas suas ante Ipsum deponunt. — Invictus triumphator contra diabolum, contra vitia hominum pravasque cupiditates (quam heroica exempla, quibus tot Sancti se suasque inclinationes et amore Christi devicerint)! — Conandum nobis est, ut etiam nos hanc Christi gloriam augeamus, nam *„quicumque glorificaverit me, glorificabo eum" I Reg. 2, 30.* — Sed etiam perpendendum, tot contumelias, quibus etiamnunc Christus afficitur, non destruere Eius honorem et beatitudinem. Ergo honor vel contumelia apud homines flocci a nobis pendi debet. *Summus* honor est in eo, quod *Pater sibi in Eo complaceat* Eique dicat: *„Sede a dextris meis"*.

2. Eius gloria et gaudium internum totum in cognitione et amore Deitatis Eiusque operum consistit: ibi imperturbabilis pax, inexhaustus gaudii fons. Etsi in tabernaculo caret externorum sensuum naturali usu, etsi in pauperrimo loco saepe inclusus est, etsi solus et derelictus ab amicis, vel inimicis et pravis amicis circumdatus; nihilominus beatissimus est. Hinc concludere licet, neque nos habere veram causam tristandi, si omnia haec terrena bona nobis desint; nam eo maiora sperare licet nobis in altera vita. „Ibi fixa sint nostra corda, ubi vera sunt gaudia" — tempus breve est; colligamus, dum tempus habemus, merita et gaudia perennia!

X. Cor Jesu symbolis suis ornatum.

Christus Dominus B^ae^ Margaritae se obtulit videndum, Cor suum ostendens flammas igneas emittens, crucem proferens, spinis circumseptum, splendoris radiis circumdatum. Singula illa signa symbolica attentionem merentur.

1. Igneae flammae demonstrant amorem, quo aestuat erga nos, qui erumpit in actus maxime heroicos et incomprehensibiles — (quae enim omisit facere pro nobis . . .!) Quomodo redamare Eum debemus? quam ardenter, idque opere.

2. E medio flammarum crux eminet in Cor radices mittens. Ab amplexu crucis Cor Jesu avelli non potuit, illam tenuit a primo momento vitae suae — cum posset gaudium eligere — quanto desiderio! „*Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor, usquedum perficiatur.*" *Luc.* 12, 50. — Quanta tormenta! Quanti ergo me aestimavit, cum *divinam* vitam *sic* fuderit! Quid ego sacrificare debeo — saltem ea, quae sine peccato retinere vel habere non possum . . .

3. Spinae pro corona Cor Jesu circumdant in signum turpissimae ingratitudinis, quâ tot peccata,

negligentiae, tepores hominum Eius cur lacerant. Etiam mea peccata, magna et parva, tamquam spinae sese fixerunt in Cor Jesu atque illud summopere afflixerunt. — Quanto igitur dolore et detestatione ea delere debemus, maxime in Sacramento poenitentiae.

4. Radii lucis et splendoris lucem et gratias significant, quas in omnes mundi partes divinum Cor emittit. Merita, quae collegit, pro nobis collegit (quae et quanta . . . inexhaustus thesaurus propiationis, auxilii . . .) *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.“ Hebr. 4, 16.*

XI. Cor Jesu, Spiritum Sanctum nobiscum communicans.

Communicatio Spiritus Sancti, vel inhabitatio SS. Trinitatis, quae Spiritui So. appropriatur, in animis nostris est sequela quaedam et complementum gratiae sanctificantis. Quà Deus Christus cum Patre mittit Spiritum Sanctum, quà homo nobis hoc donum meruit.

1. Amor Jesu igitur se verissimum et fidissimum probavit, eo quod pretiosissima nobis voluit esse communicata — Spiritum Sum, quem Pater et Filius ex intimo corde suo spirant, qui est intimum vinculum inter Patrem et Filium, etiam nos uniens cum Deo! . . . Vere dicere possumus: „*Quis nos separabit a caritate Christi? . . .*“ *Rom. 8, 35* etc. Quid tam forte est, quod contra Spiritum S. praevaleat!

Spiritus S. simul arrha est eius doni, quod nos maneat in caelo. Quam securi esse possumus, si modo nos non desumus nobis!

2. Sed Spiritus S., qui est vinculum caritatis, ignis ardens est, activus est. En, ad quae impulit humanitatem Christi! ad magna et ardua, ad continuos labores et dolores pro gloria Dei et hominum

num salute, ad humilitatem, oboedientiam, paupertatem, mansuetudinem etc. etc. Ad quae ergo nos impellere debet! Ipse quidem Spiritus S. impellit, nos debemus nos impelli sinere: *„qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei."* *Rom. 8, 14.*

3. Spiritus S. secundum voluntatem Cordis Jesu nos coniungere debet mutua caritate erga proximum. Id enim maxime intendit Jesus. *Joan. 13, 35; 17, 21.*

Nonne ab initio Ecclesiae videmus Spiritum S. hanc dilectionem fraternam excitare; . . . etiam nunc in tot institutis religiosis, quae se impendunt in auxilium sive temporale sive spirituale proximi. Sinamus ergo etiam nos impelli ad amorem proximi et opera misericordiae, quo veri discipuli Jesu et Spiritus Sancti evadamus.

XII. Cor Jesu advocatum agens apud Patrem.

Exordium ex I Joan, 2, 1 sqq. Advocatus noster fuit laborioso modo in vita sua terrestri, nunc sine labore ipsa sua praesentia. *Hebr. 9, 24.*

1. Intulit Christus Dominus vulnera sua gloriosa in caelum et omnia merita sua, ut haec continenter clamarent pro nobis, non vindictam, sed veniam et gratiam. Aeterno Patri omnes labores et dolores Jesu, quae pro nobis tulit, tam praesentia sunt, quam dum Christus pendebat in cruce — quanta igitur propitiatione, liberalitate nos aspiciet! Num sub ipsa cruce si stetissemus, fiduciam abiecissemus? (vel apud praesepe . . . aliisve in circumstantiis, ubi Christus insignem suam bonitatem ostendit? . . .) Sed nunc *potius* etiam confidendum est: quia *consummata* est reconciliatio nostra.

2. Christus gerit idem cor amore plenum erga nos, sicut his in terris. Advocatum egit mulieris adulterae *(Joan. 8, 3 sqq.)*, Magdalenae *(Luc. 7, 40)*. — Vere in manibus suis descripsit nos; cf. *Is. 49,*

15—16. — Et quo magis sensibiliter nos percelleret et fiduciâ animaret, Christus secum advocatos pro nobis constituit Beatissimam suam Matrem, Sanctos, Angelos. Quanta fiducia, si modo nos ipsi volumus!

3. Qua efficacitate vero agat Christus advocatum, eo magis elucet, si perpendimus, ipsum agere 1) causam *nostram,* quos ut fratres diligit, 2) causam *triumphantis Ecclesiae,* cuius membrorum numerus nostra evocatione ad gloriam complendus est (*Apoc. 6, 11)*; 3) causam *suam* contra diabolum, ne sibi eripiantur, quos tanto pretio redemit; 4. causam *Dei et Patris,* ne diabolus destruat et pessumdet opera Dei, quae condidit in Suam gloriam.

Conclusio. Ergo nos et omnia nostra, spem et sortem nostram praesentem et futuram in manus et Cor Jesu tradamus neque Eius Sanctissimae voluntati et providentiae quidquam quod nos spectat quasi surripere audeamus, acsi extra Eius voluntatem quidquam prospere agere possemus. Nonne omnia nostra tutiora sunt in Corde Jesu, quam in manibus nostris? *„Vita in voluntate eius" Ps. 29, 6*; mors et pernicies in nostra voluntate.



Index rerum I. Partis.

Pag.

E.

F.

G.

H.

Pag.

I.

L.

M.



R^DI P. JOS. SCHNEIDER, S. J.

MANUALE SACERDOTUM

CURA

P. AUG. LEHMKUHL

eiusd. S. J.

PARS II.

LITURGICA ET PASTORALIS.

COLONIAE.

SUMPTIBUS ET TYPIS JOANNIS PETRI BACHEMII

Index capitum II. Partis.

Sectio I. De celebratione SS. Missae sacrificii.

Sectio II. De SS. Sacramentorum administratione.

Sectio III. De quibusdam aliis sacerdotum officiis.



Appendix I.



Sectio I.

De celebratione SS. Missae sacrificii.

„Quanta cura adhibenda sit *(ait Conc. Trid. Sess. 22. Decret. de observandis et evitandis in celebratione Missae)*, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quodsi necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur."

„Cum nihil sit maius, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missae sacrificio, quo idem Corpus et Sanguis, idem Deus et Dominus noster Jesus Christus Deo pro omnium salute in altari per sacerdotes offertur et immolatur, idcirco sancta mater Ecclesia, tanto divini sui sponsi ditata thesauro, nunquam destitit, omnem curam, operam diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus quanta maxima

fieri potest interiori cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et maiestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur." *(Pius PP. IX in Encyclica d. d. 4. Maii 1858.)*

Quam triste ergo est et deplorandum, ait Bellarminus, videre sacerdotem divina mysteria peragentem, Angelorum choris undique septum, qui ad ea, quae operatur et loquitur, stupent ac tremunt et prae admiratione ingentes clamores excitant, dum ipse sacerdos in medio positus, totus frigidus et quasi stupidus, non attendit, quid agat, non intelligit, quid loquatur, et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba praecipitat, quasi latronibus a tergo insequentibus urgeretur! *(Cfr. Bened. XIV. Instit. 34 § 6.)* — O ingens perversitas multorum clericorum! producitur somnus, producitur mensa, producuntur recreationes, producuntur confabulationes, lusus, nugae nugarum; solius supremae maiestatis cultus summa, qua fieri potest, celeritate properatur, negligenter absolvitur! Nonne sacerdotibus eiusmodi illud aptissime convenit, quod olim Tertullianus, cum diversam rem pertractaret, postulavit: *Sacrificat, an insultat?* [1])

Quam gravem obiurgationem ut a te avertas, bene observes, quae in sequentibus capitibus proponentur.

---

[1]) Episcopus vigore Tridentini potest punire etiam censurarum poena sacerdotes tam saeculares quam regulares, committentes indecentiam circa Missae sacrificium *(D. auth. n. 1131 gener. decr.).*

I. Summa rubricarum.[1])

1. De partibus mobilibus Missae officio conformis.

1. Psalmus *Judica me, Deus* in omni Missa dicitur, exceptis Missis de Dominica et de feria intra tempus Passionis, necnon Missis de *Requie*.

---

1) Benedictus XIV. (de Sac. Miss. I. 3, cap. 13 n. 3) docet, rubricas esse leges praeceptivas. Hoc tamen secundum S. Alphonsum (theol. mor. 1. 6 n. 399) limitatur ad rubricas *intra* Missam servandas; quae proin obligant sub gravi aut sub levi pro subiecta materia.

Quum plurima S. R. C. decreta in hoc opusculo recenseantur, operae pretium visum est, sequentes de eorum obligatione decisiones hic referre:

1. „An inveterata quaecumque in contrarium consuetudo derogare possit legi a decretis S. R. C. praescriptae?“ Resp. „Negative“. *(D. auth. n. 2792 ad 2)*. — Consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per Bullam S. Pii V. in principio ipsius Missalis impressam.

2. „An decreta S. R. C. dum eduntur, derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam?“ Resp. „Affirmative, sed recurrendum in casu particulari.“ *(D. auth. n. 2951 ad 13.)*

3. „An decreta a. S. R. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae?“ Resp. „Affirmative“. *(D. auth. n. 2916.)* Circa quod decretum, in collect. Gardell. ed. 3. n. 5051 ad 7, latum d. 23. Maii 1846, editio Gard. expresse notat confirmationem a Pio IX. die 17. Julii 1846 factam: quod pro *hoc* decreto gravis momenti est. — Verum cave inde deducas, quaelibet responsa et decreta vim *legis universalis* habere: nam etiam ipsius S. Pontificis decreta aut universalia sunt aut particularia, prout ad universam Ecclesiam diriguntur atque promulgantur, aut non ita diri-

2. *Introitus*[1]) semper dicitur, praeterquam in Missa sabbati sancti et in Missa cantata vigiliae Pentecostes. Tempore paschali Antiphonae ad Introitum adduntur duo *Alleluia.*

3. *Gloria in excelsis* dicitur in omni Missa conformi officio, quando in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum;* exipiendae tamen sunt Missae feriae quintae in coena Domini et sabbati sancti, quae habent *Gloria in excelsis,* licet in officio non dicatur *Te Deum. (Rubr. gen. Miss. tit. VIII n. 3.)* Dicitur igitur et *Te Deum* et *Gloria in excelsis* in omnibus festis (praeter festum Innocentium), item in Dominicis extra Adventum et Septuagesimam, i. e. a Domi-

---

guntur; at vix non semper et quibuslibet responsis habes normam, quam *plane decet* observari. Aliud sane est 1) de decretis universalibus, quae rite promulgantur, et 2) de meris legis declarationibus comprehensivis, quae etiam sine promulgatione omnes ligant, qui certam earum habuerint cognitionem, etiamsi datae sunt occasione particularis Quaesiti.

4. Verba ,,scripto formiter editae" verificantur eo ipso, quod sint subscriptae a Sacr. Rit. Congr. Praefecto et Secretario, ac eiusdem sigillo munitae, nec requiritur, ut sint vel Romae vel ab Episcopis in suis dioecesibus promulgatae. S. R. C. 8. April. 1854 Gardell. n. 5202 (*D. auth. n. 3023 ad 1).*

5. ,,An tamquam formiter edita habenda sint decreta et responsiones in authentica Collectione insertae?" Resp. „Affirmative, uti patet ex adiecta declaratione" *(ibid. ad 2).*

[1]) Si transferantur ad tempus paschale festa SS. Martyrum, in quorum Missa Introitus est *Gaudeamus omnes in Domino* et proprium Evangelium (quod in omni casum retinendum est) vel Epistola, idem introitus *Gaudeamus* debet recitari; si vero praeter dictum Introitum nihil aliud proprii habet, debet recitari Introitus *Protexisti me, Deus (D. auth. n. 2340 ad 1).* — Si Missa fit de Beato tantum, nihil est immutandum, nisi quod in Secreta legendum sit nomen proprium Beati *(D. auth. n. 2572 ad 18).*

nica Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive.

4. *Orationes* seu *Collectae* in Missa dici debent iuxta regulas liturgiae, neque ex arbitrio celebrantis Oratio aliqua nisi in casibus per rubricas permissis addatur.[1])

a) In *duplicibus 1. cl.* omittitur commemoratio simpl., festi simplific., diei infra octav., et vigil. In dupl. II. cl. omittitur commemoratio diei infra oct., et Feriae VI post oct. Ascensionis; et in Missa cantata, vel conventuali pro communitate religiosa etiam sine cantu, omittitur etiam commemor. simpl. *(D. auth. n. 2572 ad 4, n. 2514 ad 8)* et Feriae III et IV rogationum; non autem omittitur commemoratio festi simplificati, nec vigiliae.

b) In festis duplicibus una tantum dicitur Oratio, nisi cum duplici occurrat Dominica[2]), dies infra octavam, feria maior, vigilia[3]), aut festum simplex vel simplif.; tunc enim horum fit commemoratio post Orationem diei, et quidem eodem ordine quo in officio *(Rubr. gen. Miss. tit. VII n. 5)*; deinde venit Oratio de SS. Sacramento (si dicenda sit), et ultimo loco si qua est Oratio imperata.

c) Diebus Dominicis, [exceptis Dominica Palmarum, in qua orationes dicuntur ut in duplici I. cl.,

---

[1]) S. Alphons Theol. mor. l. 6 n. 411 probabile esse dicit, „quod, licet satius sit servare rubricam, non tamen est vetitum ex aliqua causa vel ex devotione addere unam collectam, . . . etiam in festo II cl., si adsit peculiaris causa."

[2]) Commemoratio Dominicae, octavae privilegiatae, feriae Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum, secundae Rogationum et vigiliae Epiphaniae fit in omnibus Missis de officio currenti.

[3]) Concurrente feria quadam Adventus cum vigilia S. Thomae Apostoli, Missa dici debet de vigilia cum commemoratione feriae *(D. auth. n. 3056 ad II)*.

Dominica in albis, in qua dicuntur ut in duplici maiori, Dominica Passionis, in qua duae orationes dicuntur, et Dominicis infra octavas [1]), in quibus fit tantum de oct. et simpl. vel simplific.] diebus infra octavas, festis semiduplicibus [2]) et simplicibus [3]), feriis [4]) vigiliis et Missis votivis privatis regulariter tres dicendae sunt Orationes, diversae pro diversitate temporis, prout indicatae sunt in Missali. [5]) Sed hae Orationes, quae secundo et

---

1) In Dominica infra octavam festi Missae privatae non possunt dici de festo, sed dicuntur de Dominica cum commemoratioue octavae; constito tamen de concursu populi permittitur unica tantum Missa solemnis de octava cum *Gloria* et *Credo* absque ulla commemoratione *(D. auth. n. 2392 ad I).*

2) In festis semiduplicibus tres tantum Orationes dicendae sunt et non plures, nisi faciendae sint commemorationes. *(Merati* p. I, tit. IX n. 11.)

3) In Missa privata de feria non privilegata dici potest Collecta in penultimo loco pro particulari defuncto, puta *Inclina,* vel *Deus, qui nos patrem et matrem* et similia, dummodo non omittatur ulla ex Collectis pro tempore assignatis i. e. rubricis praescripta: *(D. auth. n. 1322 ad 8).* Immo *S. R. C. 2. Dec. 1684* in Collect. Gardell. ed. 3. *n. 3073* idem licere dixerat in Missa de Sancto semiduplici vel simplici vel votiva, vel diei infra octavum; sed nova Collectio auth. hoc decretum omisit, retento solo altero, ac proin illud pro abrogato videtur habendum esse.

4) Quando fit commemoratio de feria Quatuor Temporum, pro feriae commemoratione dicitur prima Oratio, quae habetur post *Kyrie*, quia haec concordat cum officio. (Cfr. *Rubr. Miss. tit. VII n. 4.)*

5) Quoties quis privatim celebrat de simplici, vel reassumit Missam Dominicae praecedentis, in feria secunda, vel prima die mensis non impedita, tenetur dicere secundam Orationem *Fidelium* pro omnibus defunctis *(D. auth. n. 2077).*

tertio loco pronuntur, omittendae sunt, si commemorationes sunt faciendae; quodsi una tantum fit commemoratio, omittitur solummodo Oratio tertio loco posita. *(Rubr. gen. Missalis IX, 2—7, et D. auth. n. 2325.)*

d) Tempore Passionis in Missis ferialibus [1]) et infra octavas Paschae et Pentecostes duae tantum dicuntur Orationes, quarum secunda est *Ecclesiae* vel *pro Papa.* [2]) — Dominica Palmarum et in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes una tantum dicitur Oratio, et debent omitti Orationes imperatae. — Dominicis infra octavas fit tantum commemoratio octavae et festi simpl. vel simplific. occurrentis, sed Orationes de tempore omittuntur.

e) In numero Orationum non referuntur Orationes praescriptae ab Ordinario, neque Oratio de Venerabili in Missis coram exposito SS. Sacramento, quando non permissa tantum sed praescripta est; sed hae quarto vel ulteriore loco addendae sunt *(D. auth. n. 2198 ad 2).*

f) Cum dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem est cum alia ibidem dicenda: Oratio eiusmodi, illa scilicet, quae eadem est, non aliae, commutetur cum alia de Communi vel Proprio, quae

---

1) Quare si facienda est commemoratio simplicis, omittenda est tertia Oratio, quae pro secunda assignatur in Missali *(D. auth. n. 2325).*

2) Si praescripta sit Oratio *Ecclesiae* vel *pro Papa* eo tempore, quo alterutra simul in Missa dici debet, semper dicenda est utraque, ita ut non possit satisfieri rubricae et praecepto Superioris per solam Orationem *pro Papa:* cf. *D. auth. n. 2198.* — Quando in Missa per plures dies Oratio *Ecclesiae* vel *pro Papa* assignatur, tunc alternatim, scilicet una die *Ecclesiae,* altera vero *pro Papa* dici convenit.

sit diversa. Idem servetur in Secretis et Orationibus post Communionem *(Rubr. gen. Missalis tit. VII n. 8)*. Quum Oratio, Secreta et Postcommunio tam in Missa *Dilexisti*, quam in Missa *Vultum tuum* (de Communi Virginis tantum) plane eaedem sint, itemque Secreta et Postcommunio in Missa *Cognovi* (de Communi nec Virg. nec Mart.): in casu concurrentiae commemoratio sumatur ex Missa *Loquebar* (de Communi Virg. et Mart.), omittendo verba Martyrem significantia *(D. auth. n. 2822 ad 1)*.

g) *Oratio ad libitum* [1]), quae tertio loco in Missa dicenda praescribitur ab octava Pentecostes usque ad Adventum et a Purificatione usque ad Quadragesimam *per modum praecepti et obligationis* [2]),

---

[1]) Quoties tertia Oratio est *ad libitum* ,,potest esse vel de Sancto, vel de SSo. Sacram., vel de Patrono vel de Passione, vel de Cruce etc.‘‘ (D. auth. n. 2365 ad 2), non tamen Oratio *de Tempore,* nec de Beato, neque de Sanctis, quorum in praecedentibus Orationibus expressa facta est mentio. Orationes *ad libitum* eligantur ratione temporis habita. Oratio *ad libitum* in Missa Dominicae semiduplicis est omittenda, quando occurrit commemoratio festi duplicis vel semiduplicis simplificati, vel simplicis; quo casu secunda Oratio *A cunctis* evadit tertia. — Oratio celebrantis *pro se ipso* valde quidem convenit, non tamen in Missa conventuali et principali. In *Orationibus ad libitum* voces *annua* et *hodie* debent omitti; voces vero *natalitia, festivitas, solemnitas* debent mutari in *commemoratio* seu *memoria.* Quando secundo loco dicitur Oratio *A cunctis* pro tertia Oratione *ad libitum* poni potest Oratio *Ecclesiae tuae,* quamquam circa finem in verbis cum prima paene concordat; quod etiam valet, si Oratio *Ecclesiae tuae* sit imperata, et addi contingat in Missa, in qua etiam dicenda erat Oratio *A cunctis: (D. auth. n. 2986 ad 2)*.

[2]) Haec Oratio non ita est ad libitum, ut celebrans possit pro placito eam dicere vel omittere, sed solummodo, quia

semper dici et nunquam omitti debet, nisi commemoratio specialis occurrat; nec potest pro illa substitui Oratio imperata, vel de Venerabili, ut dictum est supra sub e).

h) *Oratio de Venerabili* in omnibus *Missis solemnibus, seu quae cantantur* coram SS. Sacramento [1]) in altari exposito, fieri debet post omnes alias Orationes de praecepto; et in Missis solemnibus celebrandis in festis I. et II. classis, in Dominica Palmarum, in vigiliis Nativ. D. N. et Pentecostes et in Missis votivis solemnibus eadem commemoratio facienda est sub unica conclusione *(D. auth. n. 2323 ad 1)*. Quando vero Missa cantatur coram SS. Sacramento in festo I. classis occurentibus in Dominica, commemoratio SS. Sacramenti coniungenda est commemorationi Dominicae; idem valet si post Orationem diei alia commemoratio fieri debeat *(D. auth. n. 2461 ad 3, n. 2515 ad 1)*. Eodem modo commemoratio SS. Sacramenti facienda est in Missa solemni, in qua consecratur hostia mox [2]) publice in ostensorio adorationi exponenda *(D. auth. n. 2598 ad 2)*, „licet accidentaliter omittatur processio". Eadem commemoratio

---

unam potius, quam aliam ad arbitrium et pro devotione sua potest dicere.

[1]) „Missae coram ss. Sacramento exposito non permittuntur, nisi stricte secundum praescipta canonum et sacrae Congregationis rituum decisiones." *(Conc. prov. Col. p. 100)*

[2]) Etiam quando processio, de qua in decreto sermo est, post Missam non instituatur, commemoratio facienda est (i. e. non *Postcommunio* tantum, sed etiam *Collecta* et *Secreta)*, quippe quae non ex causa processionis, sed ex motivo venerationis SS. Sacramento debitae fiat. *(Gardellini ad decr. cit., ed. Rom. 3, vol. III, pag. 144.)* Omittenda est haec commemoratio, quando hostia consecratur pro asservatione tantum in tabernaculo.

omittenda est in festo SS. Cordis Jesu *(D. auth. n. 2717)*. In *Missis privatis* autem, quae ad altare expositionis sive ad alia altaria durante expositione celebrantur in precibus quadraginta horarum, commemoratio SS. Sacramenti addi *potest*, sed post omnes Orationes de praecepto rubricarum dicendas et ante quascumque imperatas; exceptis duplicibus I. et II. classis, vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes atque Dominica Palmarum, in quibus *omitti debet*. Etiam in ceteris expositionibus, quae fiunt *ex causa publica*, sive in ostensorio, sive in pixide, similiter addi *potest*. *(Cf. D. auth. n. 1743 ad 4, n 2390 ad 4.)* Si in Missa solemni coram SS. Sacramento exposito commemoratio facienda est eiusdem SS. Sacramenti et addenda est Oratio de Spiritu sancto, Oratio de SS. Sacramento coniungenda est cum Oratione festi; Oratio vero de Spiritu sancto dicenda est sub distincta conclusione. *(Ita saltem occasione Concilii Vatic.: D. auth. n. 3245.)*

i) In Oratione *A cunctis*[1]) ad litteram N exprimendum est nomen patroni seu *titularis* ecclesiae, in qua (vel oratorii publici, in quo) celebratur.

Res post plura decreta alia tandem definita est 15. Febr. 1873, quum S. R. C. in una *Sancti Germani* ita rescripsit et servari mandavit: „Quoad Orationem »*A cunctis*« in qualibet ecclesia a quo-

---

[1]) Licet transferatur festum Purificationis B. M. V., dici tamen debet post 2. Febr. secunda Oratio *A cunctis*, tertia *ad libitum*, quamquam nondum dictum sit officium Purificationis *(D. auth. n. 2148 ad. 1)*. — Incidente festo semiduplici in vigiliam alicuius Apostoli, in Missa festi tertia Oratio erit *A cunctis (D. auth. n. 2326 ad 5)*. — Si contingat fieri officium semiduplex in vigilia festi omnium Sanctorum, non obstante commemoratione vigiliae, dici debet Oratio *A cunctis (D. auth. n. 2205 ad 1)*.

vis sacerdote nominandum esse patronum seu titularem proprium eiusdem ecclesiae. Si autem celebretur in ecclesia dedicata alicui mysterio, vel in sacello et oratorio privato, *nominari potest patronus loci, si consuetudo adsit faciendi eius commemorationem in Officio; secus omittenda sunt verba: ac Beato*".

Si plures sunt patroni aeque principales, omnes sunt nominandi; secus tantum principalior.

Si titulares sint SS. Apostoli Petrus et Paulus, assumenda est Oratio de B. M. V. *Concede nos famulos,* non ea Oratio *Concede, quaesumus,* quae posita est primo loco inter orationis ad diversa ut videtur colligi ex *D. auth. n. 2597 ad 3 et n. 3612 ad 1.*

Nomen S. Josephi post invocationem B. M. V. et ante quoscumque alios patronos, exceptis SS. Angelis et S. Joanne Baptista, addi debet *(Pius PP. IX. Const. „Inclytum Patriarcham" 7. Julii 1871)* et quidem per haec verba *cum beato Joseph (D. auth. n. 3249 ad III).* In Missis votivis in honorem S. Joseph celebrandis, tempore, quo Oratio *A cunctis* tertio loco dicenda est, in eadem nomen S. Josephi omittendum est *(D. auth. n. 3400 ad III).* A regularibus addi potest nomen sancti fundatoris sui, dummodo non omittatur nomen Titularis ecclesiae, in qua celebrant *(S. R. C. 2. Dec. 1891 in D. auth. n. 3758).* Ordo autem recensendi varios Sanctos est secundum dignitatem; unde sumere debes eundem ordinem, qui habetur in litaniis maioribus. Nomina igitur SS. Angelorum, S. Joannis Baptistae (S. Josephi), si ii sint patroni vel titulares, ponuntur ante SS. Apostolos *(D. auth. n. 1333 ad 6).* Si SS. Angelis, S. Joanni Baptistae et S. Josepho alius Sanctus tamquam patronus aeque principalis adiungatur, illorum nominatio fit ante Apostolos,

huius Sancti autem more solito post Apostolos; praecedit autem titularis patronum.

k) In Oratione *A domo* melius legitur: tranquillitatibus huius optatae consolationis, quam: tranquillitatis huius optatae consolatione: *(D. auth. n. 3137 ad III).*

l) Oratio *Concede,* quae saepius per annum designatur, non est ea, quae prima inter *Orationes ad diversa* invenitur, sed de B. M. V., et habetur in Missali post Dominicam in Albis, vel in tribus ultimis Missis votivis de B. M. V.

m) In Orationibus tam Officii quam Missae, cum transfertur Officium sive per accidens sive perpetuo, verba *hunc diem, hodiernum diem, praesentem diem* non sunt immutanda inconsulta sacra Congregatione *(D. auth. n. 2572 ad 10).*

n) In Orationibus cognomina et patria Sanctorum non sunt exprimenda, e. g. S. Petri *Nolasci* (31. Januarii), S. Joan. *de Matha* (8. Febr.), S. Margaritae *de Cortona* (27. Febr.), S. Francisci *de Paula* (2. April.), S. Pii *Quinti* (5. Maii), S. Margaritae *Scotorum* (10. Junii), S. Joannis *Gualberti* (12. Junii), S. Philippi *Benitii* (23. Aug.), S. Raymundi *Nonnati* (31. Aug.), S. Francisci *Borgiae* (10. Oct.). — Aliter tamen quoad cognomina S. Joannis *Chrysostomi* (27. Jan.), S. Petri *Coelestini* (19. Maii) et S. Petri *Chrysologi* (5. Dec.): *(D. auth. n. 2637 decr. gen., quod 8. Martii 1825 Leo XII evulgari praecepit).*

o) Verbum *spiritus* in Orationibus S. Juliani (28. Jan.), S. Fidelis (24. April.), S. Bernardini (20. Maii), S. Camilli (18. Julii), S. Hieronymi Aemiliani (20. Julii), S. Joannae Franciscae (21. Aug.), in Postcommunionibus S. Joannis Nepomuceni (16. Maii), et S. Januarii (19. Sept.), item in *Oratione*

super populum, quae est feriae IV. post Dom. II. Quadrag., revera non indicat Spiritum sanctum, unde concludendae sunt more solito, sine *eiusdem (D. auth. n. 2682 ad 45).*

p) *Collecta quae ab Episcopo imperatur* [1]), non tantum in saecularium, sed etiam in regularium ecclesiis, etiam exemptis, per modum praecepti et obligationis est dicenda; nec licet pro libitu cessare ab eadem recitanda, antequam Ordinarius id iusserit. *(D. gener. 3. Aprilis 1821 n. 2613 ad 1 et 2.)* [2]) Recitanda est sub distincta conclusione et post omnes commemorationes speciales et etiam communes, quae secundo et tertio loco addendae praescribuntur, sed ante votivas, quas celebrans in Missis votivis et diebus simplicibus ac ferialibus adiungit *(de Herdt I, 72).* Haec Oratio ab Episcopo imperata omittenda est in *omnibus Missis in duplicibus I. cl., Dominica Palmarum, vigiliis Nativitatis D. N. et Pentecostes, feria quinta in Coena Domini et Sabbato sancto,* atque in *votivis solemnibus* (quia celebrantur sub ritu I. cl.); in duplicibus vero II. cl. ad libitum celebrantis *legi* vel *omitti potest in Missis privatis;* in *conventuali* autem et in *solemni debet omitti: (D. auth. n. 2597 ad 3).* S. Sedes tamen aliquando imperatam Orationem praescribit etiam pro festis duplicibus non solum II. cl. sed etiam I. cl.; atque etiam Ordinarii id praescribere possunt, ut diebus illis, quibus Missa votiva solemnis pro causa gravi non

---

1) Si plures Orationes imperantur, dicendae sunt non ordine temporis, quo praescribuntur, sed ordine dignitatis, et, si sumuntur ex Missis votivis vel ex *Orationibus ad diversa,* eo ordine, quo in fine Missalis ponuntur.

2) Collecta imperata pro eligendo Episcopo continuari debet usque ad diem Consistorii secreti *(D. auth. n. 2672 ad 3).*

permittitur, oratio addatur in Missa occurrente, eaque sub una conclusione cum oratione Missae, si nulla alia occurrit commemoratio facienda.[1])

q) Diebus anniversariis electionis et consecrationis vel coronationis Summi Pontificis Collecta in Missa adiungenda pro eodem est de praecepto pro clero saeculari et regulari *(D. auth. n. 2740 ad 10, n. 3078 ad IV et V).* Haec igitur collecta pro Summo Pontifice diebus illis (exceptis festis I. cl., vigiliis Nativit. D. N. J. Ch., Pentecostes, Dominica Palmarum, Missis votivis solemnibus et Missis de Requie), dici *debet*, et quidem sub unica conclusione in duplicibus II. cl. *(D. auth. n. 2837)*, nisi alia commemoratio sub distincta conclusione sit facienda, cui in casu adiungitur. Diebus autem inferioris ritus semper dicitur sub distincta conclusione et post Orationes de praecepto, sed ante Orationes votivas. Idem dicendum de Oratione pro Episcopo quoad ipsius dioecesim. Occurrente anniversario consecrationis Episcopi eadem die, qua agi debet de anniversario electionis vel consecrationis ipsius Romani Pontificis, anniversarium Episcopi agendum est sequenti die *(D. auth. n. 3132).* Quando in Missa imperata est de mandato Episcopi Collecta ordinaria pro Papa: eo die, quo occurrit anniversarium consecrationis Episcopi dioecesani, omittenda est illa Collecta pro Papa.

r) S. R. C. interrogata „an commemoratio omnium Apostolorum die 29. Junii et omnium Martyrum die 26. Decembris . . . sit facienda immediate post orationem festi diei, vel potius suo loco v. g. post Dominicae commemorationem, si occurrat

---

[1]) Dominica XXII. post Pentecosten Orationi *Deus, refugium*, si a Superiore imperata fuerit, substituitur altera, quae eandem sequitur (in numero 13), *Ne despicias.*

die 29. Junii, et octavae Nativitatis die 26. Decembris? respondit *(D. auth. n. 3157 ad XII)*: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam."

s) Concurrente Secreta et Postcommunione S. Irenaei Episcopi et Martyris cum Secreta et Postcommunione e Missa *ad petendam pacem* desumpta ex praecepto Ordinarii, cum eaedem sint, excepto nomine Sancti, omittenda est Collecta pro pace *(D. auth. n. 3164)*. Et sic in similibus.

In conclusione Orationum [1]) hic modus servatur: 1. Si Oratio dirigitur ad Patrem et in ea nulla fiat mentio Filii, sic concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum;* 2. si in principio aut medio Orationis mentio fit Filii, sic concluditur: *Per eumdem Dominum nostrum etc. (S. R. C. 11. Mart. 1820 in Mazarien. ad 5 cum nota);* 3. sin in fine: *Qui tecum vivit et regnat etc.;* 4. si Oratio dirigitur ad Filium, neque in ea fit mentio Patris: *Qui vivis et regnas cum Deo Patri in unitate etc.;* 5. si autem fit mentio Patris, concluditur: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre etc.;* 6. si facta

---

[1]) Extra Missam et horas canonicas Orationes concludendae sunt brevi conclusione *(S. R. C. 20. Dec. 1864 in una Burgi S. Sepulchri ad II);* quae, si Oratio dirigitur ad Patrem, est: *per Christum Dominum nostrum;* si fit mentio Filii: *Per eumdem Christum Dominum nostrum;* si dirigitur ad Filium: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.* — Oratio de SS. Sacramento in laudibus vespertinis terminanda est brevi conclusione: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum (D. auth. n. 2986 ad 6)*. Quodsi plures Orationes post dictam de Venerabili cantantur, conclusio debet esse brevis et concordare cum ultima Oratione iuxta rubricas *(D. auth. n. 3134)*.

est mentio Spiritus sancti, in conclusione dicitur: — *in unitate eiusdem Spiritus sancti etc.;* 7. si plures Orationes sub unica conclusione dicendae sunt, adhibenda est ea conclusio, quae ultimae convenit *(S. R. C. 15. Sept. 1736 in Toletana ad 6)*, ideoque dicitur: *Per eumdem D. N.* vel *in unitate eiusdem Spiritus s*, quando in ultima Oratione nominatur Filius aut Spiritus s.; si vero non in ultima, sed in aliqua ex praecedentibus tantum nominatur Filius aut Spiritus s., non ideo mutatur conclusio: *cf. D. auth. n. 2724.*

5. *Graduale* dicitur in omni Missa, exceptis sabbato sancto et toto tempore paschali, incipiendo a sabbato in albis inclusive usque ad festum SS. Trinitatis exclusive; tunc enim illius loco dicuntur duo *Versus* et quatuor *Alleluia.* Graduali iungitur *Tractus* omnibus Dominicis a Septuagesima usque ad Pascha; item omnibus feriis II., IV. et VI. Quadragesimae; sicut et in omnibus Missis festivis et votivis a Septuagesima usque ad Pascha.

6. *Sequentia* seu *Prosa* dicitur infra octavas Paschae, Pentecostes et Corporis Christi, quando Missa celebratur de octava, et in Missa septem dolorum B. M. V. festiva, *non in votiva*: *(D. auth. n. 1490 ad 2).* Semper autem in Missa solemni tam festi, quam de Requie, dum *Sequentia* cantatur in choro, eadem submissa voce recitari debet a solo celebrante, non alternatim a celebrante et sacris ministris *(D. auth. n. 2956 ad 7).*

7. *Credo* [1]) dicitur a) in omnibus festis Domini,

---

1) An sit toleranda consuetudo, ut Symbolum sub organo alternatim moduletur? *Resp.* Abusum huiusmodi minime tolerandum, sed omnino per Episcopum provideri, ut integre intelligibili voce Symbolum decantetur, ita ut a populo distincte audiri valeat *(D. auth. n. 1023 ad 3).* Sacerdos, qui celebrat Missam (conventualem), in qua chorus

inter quae etiam computatur anniversarium dedicationis ecclesiae propriae, cathedralis, Salvatoris et SS. Apostolorum Petri et Pauli; omnesque dies Dominici, ita ut die Dominico Credo dicatur, etiamsi aliud festum eo die celebratur, aut Missa votiva solemnis, etiam in paramentis violaceis; b) in festis B. Mariae V., SS. Angelorum, in festis S. Josephi Sponsi B. M. V. *(Pius IX. Const. „Inclytum Patriarcham" 7. Julii 1871)* et in festis Evangelistarum et Apostolorum; c) in festis Doctorum Ecclesiae ac Patroni principalioris loci, dioeceseos, regni, et tituli ecclesiae et oratorii publici consecrati vel s o l e m n i t e r benedicti cui clerus strictim est adscriptus *(D. auth. n. 3471 et n. 4025)*, non vero in Missis patronorum minus principalium *(D. auth. n. 2378 ad 9)*; d) in festo Omnium Sanctorum et S. Mariae Magdalenae; e) in festis, quae cadunt infra octavas festorum *Credo* habentium; f) in festis Sanctorum, de quibus habetur insignis [1]) reliquia in ea ipsa ecclesia, ubi celebratur [2]) *(Rubric. gen. Missae et S. R. C. decreto*

---

tenetur cantare Symbolum, non potest eam prosequi eo tempore, quo a choro cantatur Symbolum: *(D. auth. n. 1936)*.

[1]) Insignes reliquiae sunt „caput, brachium, crus, aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinario approbata": *(Decr. U. et O. sub Urb. VIII. promulg., D. auth. n. 555)*. Praeterea *ut reliquiae insignes* declaratae sunt decr. U. et O. (D. auth. n. 4041): 1) antebrachium seu brachii pars anterior; 2) brachii pars posterior; 3) cor, lingua, manus, si ex miraculo intactae conserventur. — Ossa femoris alicuius Sancti non sunt reliquia insignis *(Decr. auth. S. C. Indulg. n. 251)*. — Ante sacras reliquias expositas super altare saltem ardeant duo lumina; alias reliquiae non exponantur *(D. auth. n. 2067 ad 9)*.

[2]) Attende tamen, Officium et Missam fieri non posse, nisi agatur de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis

gener. D. auth. n. 460 ad 2; ib. n. 1890 ad 5, n. 2802 ad 1); g) in festis Sanctorum principalium Ordinis proprii (et per eorum octavas), i. e. si sunt Fundatores Ord. titulares, vel patroni *(D. auth. n. 2964 ad 3)*; h) tandem Symbolum potest decantari in Missa solemni in illa ecclesia, ubi altare est erectum sub invocatione alicuius Sancti, ratione concursus populi. — Festa Martyrum, Virginum, Mulierum et Confessorum per se non habent Symbolum; unde adagium illud: *da* credit, *muc* non credit. — In Missa de Venerabili et de immaculata Conceptione *per annum* non dicitur *Credo.*

8. *Offertorio* infra totum tempus paschale additur unum Alleluia, nisi adsit iam in fine.

9. *Praefatio* propria semper legenda est, si Missa habet propriam; si autem Missae Praefatio propria assignata non sit, et celebretur infra octavam, quae propriam habet Praefationem, haec assumenda est; in Missa feriae quatuor temporum occurrentis in die octavae Nativitatis B. M. V. dicitur Praefatio ferialis *(D. auth. n. 428)*. Quod si extra eiusmodi octavam celebretur tempore quadragesimali, Passionis, aut paschali, legi debet, etiam diebus Dominicis horum temporum Praefatio, quadragesimalis, de Cruce, aut paschalis *(D. auth. num. 2515 ad 6)*. Alioquin dicitur communis; diebus tamen Dominicis loco communis sumenda est Praefatio de SS. Trinitate (Clemens XIII. *3. Jan. 1759)*. Insuper observandum est, in festo S. Joannis Apostoli et die octava S. Stephani legendam esse Praefationem de Nativitate Domini; porro in occurrentia duarum octavarum Praefationem de digniore assumendam esse. Praefatio

---

(D. gen. ab Innoc. XII. approb. et promulg., *inter D. auth. n. 1853)*.

de Nativitate D. N. J. C. dicitur usque ad Epiphaniam (praeterquam in die octava S. Joannis Apostoli) et in Purificatione B. M. V. et in festo Corporis Christi et per octavam, nisi in ea occurrat festum, quod propriam Praefationem habeat; item in Transfiguratione Domini et in festo SS. Nominis Jesu. In Missis, quae celebrantur coram SS. Sacramento, dicitur Praefatio Missae currentis, si habeat propriam; alias dicitur communis, non vero de Sacramento, nisi de eo celebretur.

10. *Communicantes* cum *Hanc igitur* retinetur per octavas etiam in Missis votivis solemnibus et aliis Missis, in quibus de octava nulla fit commemoratio et legitur Praefatio propria *(Decr. gen. in D. auth. n. 1333 ad 8).*

11. *Communioni* tempore paschali additur unum Alleluia, nisi iam adsit in fine.

12. *Ite, Missa est* semper dicitur, quando in Missa dicitur Hymnus angelicus; quando vero Hymnus omittitur, loco illius dicitur *Benedicamus Domino.*

13. In fine Missae semper legitur *Evangelium S. Joannis,* exceptis Dominicis, feriis maioribus et vigiliis, in quibus fit officium de Sancto; tunc enim loco illius sumitur proprium de Dominica, vel de feria, vel de vigilia. Si occurrunt simul feria maior et vigilia, quae commemorantur, ultimum Evangelium legitur de feria.

2. De Missa in aliena ecclesia, sive de conformitate Missae cum officio ecclesiae, in qua celebratur.

Regula, quae antea viguit, Missam debere quantum fieri possit, conformem esse officio celebrantis, si modo color ecclesiae, in qua celebretur, id permittat: Decreto S. R. C. d. d. 9. Decembris 1895 a SS. D. Leone XIII. approbato funditus immutata est.

1. Abrogatis enim suprema auctoritate quibuslibet decretis et rescriptis contrariis tam generalibus tam particularibus regula unica haec statuitur:

Missa, quae in *ecclesia* vel *oratorio publico* celebratur, semper debet esse conformis ecclesiae in qua celebretur. Hinc:

1) Si ecclesia illa habet officium duplex, Missa debet concordare cum officio ecclesiae, etsi sit Missa propria ex indulto concessa, non contenta in Missali Romano. Quae conformitas facienda est plene in Orationibus, Gloria, Credo, Praefatione etc., solummodo excluso peculiari ritu, si qui forte in celebrando certis ordinibus vel ecclesiis concessus sit a ritu Romano alienus.

2) Si ecclesia, in qua celebratur, habet officium ritu duplici inferius neque aliunde Missae votivae excluduntur, celebranti licet sumere Missam de Req., votivam vel de Feria, etiamsi ipse officium habet ritus dupl.[1])

In quo casu sane sumere ei licebit Missam suo officio conformem, eamque non more votivo in casu dicendam esse, sed *ut festivam*, declaratum est *(D. auth. n. 3892 ad V)*.

---

[1]) Decretum illud d. d. 9. Dec. 1895 hoc est *(D. auth. n. 3862)*: „Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, *Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent officio eiusdem ecclesiae vel oratorii conformes,* sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur, *exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis:*

„Si vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit, Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Rom. vel S. R. C. decreta prohibent."

2. In *oratoriis semi-publicis* debet eadem regula decreti 9. Dec. 1895 observari. Nam ad dubium: „Utrum post decretum generale, die 9. Dec. 1895 „editum, *de Missa conformi officio ecclesiae vel „oratorii publici,* calendario *loci* an vero *celebran- „tis* respondere debeant Missae, quae celebrantur „in *capellis Episcoporum, seminariorum, colle- „giorum, piarum communitatum, hospitalium et „carcerum?"* S. R. C. d. 22. Maii 1896 . . . re maturo examine perpensa, respondendum censuit: „Dummodo agatur de *capella principali, quae instar oratorii publici ad effectum decreti memorati habenda est, affirmative ad I, negative ad II"* (D. auth. n. 3910).

3. *In Oratorio* autem *privato* (quod in aedibus privatis, non habens aditum per viam communem, ex concessione Sedis Apostolicae sub certis clausulis et recognitione ac approbatione Ordinarii pro tempore ad Missam celebrandam est destinatum) Missa semper concordare debet cum officio celebrantis, etiam de Beato nondum canonizato, ut patet, excepto die festo patroni loci, vel parochiae, in qua situm est oratorium, de quo in oratorio Missa festiva celebranda est. Adeoque ibi celebrans potest legere votivam aut de *Requie,* quando suum officium permittit, licet in ecclesia parochiali, intra cuius districtum situm est oratorium, fiat de *duplici.*

3. De Missis votivis.

Missa *votiva stricte sumpta* est ea, quae extra ordinem officii de aliquo Mysterio vel Sancto, vel ratione alicuius necessitatis aut pietatis celebratur, quin a rubricis praescribatur. [1]) Non omnis enim

---

[1]) Sunt etiam aliae Missae votivae latius sumptae, eae, quae cum officiis (votivis) recitatis concordant secundum

Missa ab officio discordans votiva dici potest, ut patet in Missis feriarum et vigiliarum, quae occurrunt in octavis et festis; nam licet ab officio discordent, tamen a rubricis illis diebus praescribuntur. Nomen vero habet ex *voto* seu devotione sive celebrantis sive petentis aut iubentis.

De Missa votiva rubricae generales Missalis agunt Tit. IV, VI, VII n. 3, VIII n. 4, IX n. 14, 15, XI in fine, XII n. 4, XIII n. 2 in fine, XIV, XV n. 5, XVIII n. 2, 3, 5; dein Decr. gen., inter D. auth. n. 3922 d. d. 30. Jun. 1896.

Distinguitur: 1) Missa votiva *solemnis pro re gravi et publica* Ecclesiae causa.

2) Missa votiva *privata* vel *ex causa privata.*

3) Missa votiva *solemnis ex causa non publica.*

I. De Missa votiva solemni pro re gravi et publica Ecclesiae causa.

1. Haec Missa solemnis ea est, quae *ab Episcopo, vel de eius consensu pro qualibet vice obtinendo* solemniter celebratur cum interventu magistratus, vel saltem cleri et populi, et pro quadam spirituali vel temporali necessitate, quae communitatem ipsam afficiat, v. g. ad petendam pluviam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro principe infirmo et similibus.

---

varias Pontificum concessiones praecipue per Leonem XIII. decr. U. et O. d. d. 5. Junii 1883. De his id unum noto: Missae illae sequuntur regulas Missarum festivarum, ita tamen, ut dicantur quidem *Gloria*, orationes *tempori* congruentes, non ut infra octavam solemnitatis, ultimum *Evangelium Feriae* si quod habetur; nunquam vero dicatur *Credo (D. auth. n. 3922 sub N. I).* — Si quis autem *officium* recitaverit de Feria, Missam nihilominus ex illis votivis velit dicere, ille eam celebrare debet *more stricte votivo.* Qui e converso recitavit officium votivum, *potest*

2. Quae Missa celebrari potest qualibet die, *exceptis Dominicis I. cl., festis duplic. I. cl., Fer. IV cinerum, Feriis maioris hebd., Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini.* — Hisce diebus sola fieri potest *commemoratio* in Missa solemni de die, i. e. *per orationem Missae votivae post orationem festi sub unica conclusione,* etsi alia commemoratio deinde vi rubricarum fieri debeat. — Verum in ecclesiis, quae ad Missam conventualem tenentur, Missa votiva ne celebretur nisi post Missam conventualem de officio occurrente celebratam.

3. Missa votiva huiusmodi ex his desumenda est, quae ut votivae in Missali designantur. — Quodsi, occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, specialis Missa deficiat, dicatur Missa *pro quacunque necessitate;* et huius orationi sub unica conclusione superaddatur collecta, si quae sit, necessitati relativae propria [1]).

4. *Ceterum* in huiusmodi Missis votivis *unica* dicenda est oratio, etsi una tantum cantetur Missa, ut accidit in iis ecclesiis, ubi onus Missae conventualis non exsistit.

5. In huiusmodi Missis semper dici debet *Gloria* et *Credo;* nisi Missa celebretur in paramentis *violaceis,* quia *tunc non dicitur Gloria.* — Cum vero *Gloria et Credo* dicuntur, nunquam ad orationes genuflectitur.

6. Praefatio dicitur: 1) propria si habetur; 2) de

---

dicere Missam Feriae, sed cum commem. dicti officii *(D. auth. n. 3792 ad VII).*

[1]) Quo patet, Missas votivas solemnes abhinc indicendas valde restringi. Ut igitur alias Missas in aliis causis ad instar Missae votivae solemnis celebrare liceat, speciale indultum S. Sedis requiritur: quod indultum observari debet quoad orationes, ult. Evang. etc. in tali Missa sumenda.

tempore vel octava; 3) communis, sed in Dominica de Trinitate. — *Communicantes,* si infra octavam occurrit, semper dicitur.

II. Missa votiva privata ex privata causa.

1. Paucae nunc Missae sunt, quas sumere licet pro Missa votiva solemni publica; longe plures sumi licet pro Missis votivis privatis, scilicet:

1) omnes, quae in fine Missalis ut votivae notantur; 2) de iis mysteriis vel festis, in quorum Missis Missale notat, quomodo dicantur ut votivae per annum, v. g. de Sso. Corde Jesu, de Immaculata Conceptione etc.; 3) de quibuscumque Sanctis canonizatis et in Martyrologio Romano descriptis: „pro quibus adhibenda est Missa propria si habeatur, sive illa de Communi ad quam Oratio forte pertinet, sive altera pariter de Communi: desumptis quidem de Communi, quae in Missa propria forte desunt (vel tempori non conveniunt) [1])

---

[1]) Ad haec refer imprimis variationes pro tempore post Septuag. et pro tempore paschali. Si quando igitur pro illo tempore in Missali nihil invenitur quoad Missam, si quam velis dicere pro votiva, *Tractum* vel *Alleluia* debes sumere ex Missa *de Communi.*

Sed etiam *Introitus* Missae festivae aliquando minus convenire videtur Missis per annum votivis. In quo casu aliqui regulam dant, Introitum sumendum esse ex *Communi,* reliqua retinenda ex Missa propria, ita in Missis votivis de S. Agatha Introitum *Gaudeamus* commutandum cum Introitu de Communi *Loquebar,* in Missa votiva de S. Anna sumendum Introitum ex Missa *Cognovi,* in Missa votiva de Omnibus Sanctis ex Missa *Sapientiam* de Communi Martyrum. At haec non videntur satis fundata. Licebit sane *etiam in tali Introitu* sequi regulam supra in Decr. gen. datum, ut loco „*festum*“ dicatur „*memoriam*“, et loco „*solemnitate*“ dicatur „*commemoratione*“. In novis enim editionibus Missalis Missa de B. Maria V. sub titulo

omissisque verbis *annua, hodie* ac similibus, et mutatis *natalitia, solemnitas, festivitas* in *commemoratio, memoria*".

2. Missam votivam de Beato nondum canonizato celebrare non licet, nisi speciale S. Sedis indultum habeatur.

Neque Missa votiva de Dominica aliqua vel Feria, seu de tempore celebratur, cum hae Missae suis tantum temporibus convenire soleant. Verum ei, qui recitat officium votivum ex iis, quae feriis Quadragesimae, Quatt. tempor. aut Vigiliae concessa sunt, licet iis diebus celebrare Missam de occurrente Feria in colore violaceo: in qua commemorationem facere debet officii votivi, quod recitat: ita *D. auth. n. 3792 ad VII* d. d. 30. Aug. 1892.

3. Missae illae votivae, ad quas pertinent etiam lectae seu privatae pro re gravi, *prohibentur* in *quolibet festo dupl.*, etiam non de praecepto; in Dominicis; in vigiliis et per octavam Nativitatis et Epiphaniae Domini, Fer. V Cinerum, a Dominica Palmarum usque ad octavam Paschae, in

---

Boni consilii habetur cum suis mutationibus pro casu, quo ut *votiva* celebretur tempore paschali vel post Septuag., neque quidquam notatur de mutando Introitu *Gaudeamus:* unde concludo, illum etiam sumendum esse in Missa votiva, mutatis tamen secundum generalem regulam voces „*festum, solemnitate*" in „*memoriam, commemoratione*"; quod valet etiam de Missa vot. S. Joan. B., quae ceteroquin sumitur de Sancti Nativitate (De auth. n. 3539 ad I.).

Demum adverte, si quando in Missa festiva in *Introitu* vel *Offertorio* etc. notantur *Alleluia* sive propter tempus paschale, sive propter festivitatem: haec in Missis votivis extra tempus paschale omittuntur, sicut signate ordinatum est pro Missa votiva de SS. Corde (D. auth. n. 3137 ad V); tempore autem paschali adduntur, ubi desunt.

Semper vero, etiam tempore Passionis, dicitur Psalmus *Judica* et Gloria Patri ad *Lavabo*.

vigilia Pentecostes et per octavas Pentecostes et Corporis Christi.

4. Missae illae votivae fiant *sine Gloria et Credo.*

Gloria [1]) tamen dicitur: 1) in Missis *de Beata V.* in Sabbato; 2) in Missis de Angelis; 3) in Missis de Sanctis vel aliquo Mysterio, si forte celebrantur infra eorum octavam: immo si ita fit, Missa illa plane dicenda est more festivo [2]), i. e. cum Gloria, et etiam cum Credo si festum habet Credo: (cf. *D. auth. l. c. III, 3 et IV, 1),* ut occurrere potest v. g. in festo semidupl. occurrente infra octavas SSi. Cordis, B. M. V. etc.

5. *Orationes* dicantur [tres, vel quinque etc.] *diei* et *tempori* congruentes. Quodsi infra octavam dicatur, secunda erit de octava, dein *de tempore* [3]).

---

1) Quando *Gloria* dicendum est, dicitur etiam in fine Missae *Ite Missa est;* quando *Gloria* omittitur, dicitur *Benedicamus Domino.*

2) Quare infra octavas de Beata non licet aliam Missam votivam de Beata sumere, sed solam festivam de die infra octavam. Immo in vigiliis sola Missa de vigilia (D. auth. l. c. V, 1) dicenda est.

3) i. e. ea, quae in Missa de officio occurrente secundo loco dicenda esset. V. g. si infra octavam B. Mariae V. dicas Missam votivam de aliquo Sancto, 2da oratio erit de octava, 3ia de Spiritu So., nisi alia fieri debeat commemoratio: haec enim oratio, quae ratione octavae dicitur, *infra octavam* velut *de tempore* habetur; in aliis octavis, 3ia oratio est *Concede* de Beata.

Ceterum, si quae orationes speciales certis Missis votivis in Missali notatae sunt, hae sumi debent, non orationes aliae de tempore. Sic in Missis *de Beata,* nisi per commemorationes occurrentes numerus ternarius orationum completus fuerit, sumitur oratio *de Spiritu Sancto*

6. *Praefatio* dicitur ut supra in Missis votivis solemnibus pro re gravi; similiter *Communicantes*.
7. Ultimum evangelium semper erit *Initium S. Joannis*.

III. Missae votivae solemnes ex causa non publica.

1. Hae Missae in omnibus sequuntur Missas votivas privatas, ita ut *illis solis diebus* atque *eodem modo* (sine Gloria et Credo) celebranda sunt, sicut Missae votivae privatae.

Quoad orationes dicitur in decr. n. 3922: „In ecclesiis, quae ad Missam conventualem tenentur . . . haec non omittitur: tunc vero in M. votiva fieri non debet commemoratio festi . . . In ceteris ecclesiis, si de festo occurrente alia Missa celebrata non fuerit, in M. votiva *addatur tam oratio diei quam aliae occurrentes*". Sed, ut ex eod. decr. III, 3 patet, *numerus* orationum *semper* debet esse saltem *ternarius*, supplendus ex orr. *de temp. occurrente*.

2. Causa gravis seu publica *non habetur*, ut D. auth. expresse notat: 1) novemdialis vel similis devotio; 2) vestitio vel professio Monialium, vel electio Abatissae. Similiter vel a fortiori causae graves, ob quas liceat diebus illis prohibitis Missam votivam celebrare, non sunt; 3) ordinatio

---

(cf. D. auth. l. c. V, 2); in Missa votiva de SS. Petro et Paulo App., si ratione temporis dicenda esset oratio *A cunctis*, eius loco sumitur oratio *Concede* de B. Mar. V. (Rubr. Miss. gen. tit. IX, n. 15); in Missa votiva de *Patrono*, si oratio de tempore esset *A cunctis*, aut in hac oratione omittitur Patronus, aut eius loco oratio *Concede* non de Beata M. V. sed prima illa inter „orationes diversas" (D. auth. n. 2597 ad 3).

ad sacros ordines, 4) primitiae neo-presbyteri, 5) Missa pro iubilaeo aureo, 6) supplicatio vel processio ratione alicuius confraternitatis, 7) legatio vel fundatio (cf. D. auth. n. 321 et n. 954).

NB. Ex decretis modo laudatis aliisque saepius latis sequitur:

1. Diebus officii duplicis aliisque, quae Missam votivam ex causa non publica (sub N. I.) excludunt, non licere celebrare Missam votivam fundatam sive legendam sive cantandam; sed transferendam esse ad diem liberum, quo eiusmodi Missae votivae permittuntur; quod si fieri nequeat, substituendam esse Missam de festo vel die occurrente ad intentionem fundationis *(D. auth. n. 321, n. 1704 ad 6, n. 2427 ad 3—8).*

2. Obligationes novas ad votivas Missas celebrandas non esse accipiendas, nisi pro iis diebus, quibus eas celebrare liceat[1]) *(D. auth. n. 321).* Itaque si fideles Missam votivam in sensu *liturgico* postulant, *determinato* aliquo die, quo Missa votiva prohibetur, docendi sunt, eiusmodi postulationi satisfieri non posse, sed celebrandam esse Missam officii occurrentis ad petentium inten-

---

[1]) Graviter peccat sacerdos, si diu differt celebrare Missas, pro quibus stipendia accepit, nisi, qui dederit stipendia, consentiat. Dilatio certo dicenda est gravis, quae tres menses excedit. Probabilius non peccat *graviter* sacerdos, qui Missas pro vivis promissas intra duos menses celebrat; in Missis autem pro recenter defunctis celebrandis dilatio unius mensis gravis reputanda est. Certo peccat sacerdos, si petitam Missam pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro felici partu, pro evadendo periculo, pro lite vincenda, omittat celebrare intra tempus aptum. (Cfr. *S. Lig. lib. 6 num. 317* et decr. S. C. C. iussu Pii X d. d. 11 Maii 1904, quo dicitur, tempus utile ad implendas obligationes Missarum manualium pro una Missa, exceptis specialibus adiunctis, esse mensem.*)*

tionem [1]), nisi habeatur speciale S. R. C. Indultum [2]).

3. Diebus, quibus dici *possunt* Missae *votivae privatae,* sacerdos *ad illas obligatus* ratione fun-

---

[1]) Quando ritus non permittit celebrationem Missae votivae, non licet Orationem Missae votivae *addere* Missae diei (nisi tertia Oratio sit ad libitum Sacerdotis et petens Missam consentiat), ut satisfiat fidelibus, Missam votivam poscentibus *(D. auth n. 2981 ad 3).* Confer tamen supra pag. 5 not. 1. — Possunt adimpleri quaelibet fundationes sive in honorem Sanctorum, sive pro defunctorum liberatione, celebrando Missam de die, dummodo Missa Sanctorum pro adimplemento fundationis celebranda, seu etiam defunctorum, ab occurrente I. vel II. cl. solemnitate, aut festivo die quoad forum impediatur *(D. auth. n. 2365 ad 2).*

[2]) Rmus D. Ignatius de Senestrey, Episc. Ratisbon. S. R. Congregationi exposuerat, quod in sua Dioecesi oneribus Missarum, tum fundatarum tum adventitiarum, quae applicari debebant vel in honorem alicuius mysterii, vel in honorem B. M. V. vel Sanctorum, satisfiebat celebrando Missam iuxta calendarium, quia dies, quibus Missae votivae eisdem intentionibus convenientes celebrari permittuntur, non sufficiebant. S. R. C. die 28. Sept. 1872 rescripsit: Consulendum Sanctissimo pro *sanatione ad cautelam pro praeterito,* et *pro facultate* Rmo. Ordinario pro tempore praedictae dioeceseos, *quatenus ecclesiis illi subiectis concedere possit, accedente magno numero Missarum votivarum vel aliqua alia rationabili causa, ut Missis praedictis satisfieri valeat cum Missa de die, ipsarum valorem applicando intentioni fundatoris aut benefactoris.* Sanctitas sua in omnibus iuxta Rescriptum S. R. C. annuere dignata est die 3. Oct. 1872. — Attamen, ut patet ex decr. 2. Sept. 1741 *(D. auth. n. 2365 ad 2)* quoad Missas *fundatas,* quae propter inducta nova festa celebrari non poterant votivae, sanatio et dispensatio rigorose necessaria non fuit.

dationis vel etiam accepti manualis stipendii[1]) propriae obligationi non plene satisfacit dicendo Missam de die occurrente — nisi forte in Missis pro stipendiis manualibus celebrandis constet, Missam proprie votivam non postulari —; expressa enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri *(D. auth. n. 2461 ad 7).*

IV. Particularia circa certas Missas votivas indulta.

Supra iam dictum est, exsistere pro certis locis vel certis Missis ampliora indulta. Notanda sunt sequentia:

A. Missa ad instar votivae solemnis in translatione festi eiusve solemnitatis in Dominicam.

In compluribus scilicet locis per privilegium S. Sedis constanti lege non solum festa patronorum, sed etiam alia festa, quae quoad obligationem fori abrogata sunt, transferuntur quoad solemnitatem externam in Dominicam sequentem vel proximiorem. In iis igitur Dominicis celebratur una Missa solemnis, quae sequitur regulas supra datas, et dicitur **Missa ad instar votivarum**, i. e. „cum Gloria, una tantum Oratione, Credo et Evang. S. Joān. in fine: ubi tamen non adsit Missae conventualis obligatio, addatur sola comme-

---

1) De stipendiis Missarum leg. *de Berlendis*, de Oblationibus ad altare communibus et peculiaribus h. e. Missae stipendio integra secundum aetates expositio, Venetiis 1743; *S. Liguori* Theol. moral. lib. VI. tract. 3. num. 315 seq. et eiusdem Katechet. Anhang S. 258, Regensb. 1844; *Bened. XIV.* Bulla *Quanta cura* d. d. 20. Jan. 1741, de Syn. dioec. lib. 5, cap. 8 et 9, et Institutio 56 et 92; *D. Geier*, De Missarum stipendiis, Moguntiae 1864; et Münster. Pastoralblatt an. 1865, nn. 1, 2, 3, 4, 5 et 7.

moratio Dominicae sub distincta conclusione eiusque Evang. in fine". Ita S. R. C. decr. ex *D. auth.* n. 3754 d. d. 2. Dec. 1891. Praefatio, si propria non adest sive ipsius Missae, sive octavae, sive temporis, sumitur de Trinitate (D. auth. n. 3683).

In decr. n. 3754 porro notatur:

a) Si festum ipsum, cuius solemnitas alias transfertur, incidit in Dominicam I cl. (excepta Dom. Palmarum), Missa fit de Dom., et eius primae orationi adiungitur oratio de festo, neque amplius transfertur postea solemnitas; si vero incidit in Dom. Palmarum aut in festum aliquod ex solemnioribus universalis Eccl., nihil fit de festo alias transferendo, neque postea transfertur solemnitas.

b) Si solemnitas translata incidit in Dom. I cl. aut eiusmodi diem qui excludat festa I cl., fit de his posterioribus Missa, et solemnitas transferenda transfertur in proximiorem Domin. liberam.

c) Si solemnitas transferenda incidit in Dominicam, in qua occurrat aliud festum I cl., fit de solemnitate transferenda, si modo festum ad quod illa pertinet, sit dignius; si vero sit minus dignum vel etiam aequalis dignitatis, festum occurrens praevalet, et solemnitas transferenda transfertur, ut supra, in proximiorem Dominicam liberam.

d) Si duae solemnitates translatae in eandem Dominicam incidunt, fit de solemnitate digniori; minus digna iterum transfertur, ut supra.

In compluribus Germaniae dioecesibus in celebranda solemnitate Titularium ecclesiarum id indultum videtur esse, ut, si in Dominicam I Adventus vel Quadragesimae incidat, Missa quidem etiam solemnis sumenda sit de Dominica, liceat tamen addere orationem de s. Titulari sub una conclusione, omissis aliis collectis communibus (cf. Ordinatio Archiep. Colon. 8. Maii 1895 *in Octavario*

Colon.): in qua re *speciale* indultum attendendum est.

B. De Missis votivis SS. Cordis Jesu.

Singulare aliquod privilegium concessum est **Missis votivis SS. Cordis Jesu,** quando primis feriis VI. cuiuslibet mensis, approbante Ordinario, *peculiaria exercitia pietatis in honorem D. Cordis mane peraguntur*, quibus illa Missa sit pro additamento, scilicet:

1) Permittitur Missa votiva de SS. Corde sive cantata sive lecta, licet occurrat illo die festum etiam de praecepto. *Excipitur* tantum, quando occurrit: a) festum I. cl., b) quodcumque festum Domini, c) feria, vigilia, octava ex privilegiatis (i. e. Fer. VI in Parasc., vig. Epiph., Oct. Epiph., Pasch., Pentec., dies commemorationis OO. defunctorum). Cf. Decr. Leon. XIII. 28. Jun. 1889 et S. R. C. d. 10. Maii 1895 *(D. auth. n. 3712, n. 3855 ad II)*.

2) Haec Missa, etiamsi *lecta* fuerit, celebranda est cum *Gloria, Credo, unica Oratione (Decr. 20. Maii 1890 n. 3731 ad I)*.

C. De Missis votivis in expositione SS. Sacramenti XL horarum, et simili expositione.

V. infra Sect. III, sub VIII.

D. Missa *Rorate* per totum Adventum pro certis regionibus permittitur „etiam in diebus duplicibus, exceptis solemnioribus festivitatibus". Cf. D. auth. n. 2387 ad 7, n. 2417 ad 5.

Sed, ubicumque haec permittitur, tenor ipsius indulti inspici debet, ut sciatur, quid liceat.

E. Missa pro sponso et sponsa (secundum novum decr. gener. d. d. 30. Jun. 1896. D. auth. n. 3922, VI).

1. Benedictio sponsorum et Missa pro sponsis in sacra liturgia individuo nexu coniuncta sunt. Etsi enim nuptias celebrare absque Missa omnino liceat, *benedictionem* tamen sponsorum *extra Missam* facere non licet; neque licet Missam votivam pro sponsis dicere, *nisi in eadem* benedictio sponsorum fiat. [1])

2. Missa pro sponso et sponsa in Missali assignata dici potest omnibus diebus, exceptis omnibus Dominicis et festis in foro observandis, necnon duplicibus I. et II. classis, item exceptis tota octava Epiphaniae et vigilia octavaque Pentecostes, die octava Corporis Christi aliisque diebus duplicia secundae classis excludentibus; die vero Commemorationis omnium fidelium defunctorum legi potest.

3. Prohibetur omnino Missa pro sponso et sponsa tempore clauso, quo tum benedictio, tum commemoratio nuptiarum in Missa diei fieri nequit.

Nec dici potest Missa pro sponsis, nec fieri commemoratio in Missa diei, si infra eandem non fit benedictio, sed ritus benedictionis ab ea abstrahitur *(S. R. C. 23. Jun. 1853 in Coll. Gard. n. 5191 et 14. Aug. 1858 D. auth. n. 3079);* privilegia enim huic Missae concessa sunt propter benedictionem infra eandem faciendam. At, petentibus coniugibus,

---

1) Missa votiva pro sponso et sponsa dici et in ea benedictio nuptialis fieri potest etiam in casu, ubi sponsi infra hanc Missam S. Communionem non percipiunt (ut monet expresse nov. decr. d. 30. Junii 1896 D. auth. n. 3922, VI); curent tamen parochi et animarum rectores adhortari fideles nupturos, ut in Missa, in qua benedictiones nuptiales impertiuntur, communicent.

post tempus clausum benedictio danda est simul cum Missa pro sponso et sponsa.

Si mulier sit vidua et alias benedicta fuerit, tam benedictio quam Missa propria pro sponso et sponsa debet omitti; pariter commemoratio ex illa Missa omittenda est.

4. Missa pro sponsis, sive celebratur *cum cantu et solemnitate, sive lecta tantum,* ritum semper retinet Missae votivae privatae, in colore albo, sine *Gloria* et *Credo,* cum tribus saltem Orationibus et omnibus commemorationibus, quae in Missa diei forent dicendae; ideo Oratio prima pro sponsis, secunda diei vel festi, de quo fit officium, tertia, si commemoratio non occurrat, ea, quae alias in festo semiduplici dicenda esset secundo loco; et in fine dicitur *Benedicamus Domino* et ultimum Evang. *S. Joannis.*

5. Omnibus diebus supra assignatis, quibus Missa pro sponso et sponsa dici nequit, dicitur Missa diei currentis cum *Gloria, Credo, Ite Missa est* et *ultimo Evangelio,* prout diei conveniunt, et fit, etiam in festis I. cl., commemoratio ex Missa pro sponso et sponsa (cum omnibus Orationibus, quae in eadem Missa pro benedictione nuptiarum habentur) *post* omnes alias Orationes in Missa diei a rubricis praescriptas, sed *ante imperatas, semper* vero *sub distincta conclusione,* i. e. etiam si Missa alioquin unam tantum haberet orationem.

F. De Missa a sacerdote caecutiente et caeco celebranda.

1. Sacerdos caecutiens, seu tali debilitate visus laborans, ut legere non valeat, a Summo Pontifice seu S. Congregatione Concilii vel ab Episcopo facultate Apostolica munito dispensationem seu privilegium obtinere potest, *„celebrandi diebus festis et duplicibus Missam votivam B. M. V.,*

diebus vero ferialibus Missam defunctorum." (Cf. tamen infra n. 3.)

2. Per „dies *festos* et *duplicia*" intelliguntur etiam Dominicae privilegiatae et duplicia I. et II. classis, aliique dies privilegiati, ita ut Missa votiva B. M. V. semper permittatur, nulla die, quantumvis solemni excepta, etiam in festis B. M. V.: *(D. auth. n. 3146 ad I)*.

3. Per „dies *feriales*" intelliguntur omnes et soli dies, in quibus licet celebrare Missas *privatas* de Requie. Missa defunctorum, quam dispensatus his diebus dicere potest, est *quotidiana* cum Orationibus assignatis. Attamen non *tenetur* dispensatus dictis diebus hanc Missam de Requie dicere, sed potest pro arbitrio etiam Missam votivam B. M. V. celebrare; immo id *debet* in feriis maioribus et vigiliis privilegiatis, in quibus prohibentur Missae privatae defunctorum.

4. Per „Missam votivam B. M. V." intelligitur illa, quae in Missali assignatur a Pentecoste usque ad Adventum, vel (dummodo facile fieri possit) assignata secundum tempus.

5. Haec Missa votiva semper, etiam in Dominicis et festis de praecepto, celebranda est in *colore albo,* et sine *Gloria* et *Credo*, idque etiam in festis solemnioribus, sive privatim sive publice celebretur. Etiam diebus Dominicis I. et II. classis omittendum est Symbolum. In solis Sabbatis dicitur *Gloria.* In fine Missae semper dicitur *Benedicamus Domino*, praeterquam in Sabbatis. (Cf. Decr. gen. n. 3922, V, 2.)

6. In hac Missa votiva non est facienda commemoratio Officii diei, neque Dominicae, Octavae, Feriae, Vigiliae aut Simplicis; neque dicenda est Collecta ab Ordinario praescripta; sed secunda Oratio semper est dicenda de Spiritu sancto, et

tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa (D. auth. n. 3146 ad IV et V).*

7. Cum haec omnia sint privilegia, et liberum sit privilegiis uti, caecutiens, si commode potest, ordinem Missae, ut in Calendario et iuxta rubricas, laudabiliter observat; in illis autem, ad quae privilegia non extenduntur, rubricas servare *debet.* Missale et omnia requisita adhibere debet, etsi usui esse nequeant.

8. In festo Nativitatis Domini dispensatus non tres, sed *unam tantum* Missam votivam B. M. V. celebrare potest: *(D. auth. n. 3146 ad VI).* Potest tamen in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, *ubi adest indultum,* tres Missas celebrare, scil. quotidianas de Requie.

9. Conditiones dispensationi vel privilegio appositae *non sunt merae ritualitatis et stili, sed obligatoriae in conscientia.*

10. Si quis caecutiens dispensatus omnino caecus fiat, non potest licite perseverare in celebratione absque novo indulto, quum ita sit tenor dispensationis.

11. Sacerdos caecutiens adhibere debet sacerdotem assistentem, quatenus eo indigeat, vel haec obligatio in indulto apposita sit; sacerdos autem omnino caecus sub gravi tenetur uti assistentia alterius sacerdotis, quamvis haec obligatio in indulto apposita non sit (12. April. 1823 in Panormit.), nisi forte ex specialissima causa *expresse* datum sit privilegium latius patens.

12. Sacerdos assistens in hac Missa omnia facere potest, quae alias in Missa solemni per assistentem et diaconum fieri solent; item pedem calicis tenere ad crucis signationes, et similia, initia Orationum dicere et praecipue diligenter attendere, ne reliquiae S. Hostiae in corporali et patena relinquantur.

NB. De Missis Neosacerdotum, quae in ordinatione iniunguntur haec pauca notanda sunt.

1. Tres Missae, una de Spiritu sancto, altera de B. M. V., tertia pro defunctis, quae ab Episcopo ordinante neomystis imponuntur, sequuntur regulas Missarum votivarum, et debent dici, quando iuxta rubricas licet Missas votivas celebrare *(D. auth. n. 2802 ad 4)*.

2. Missa autem pro defunctis erit quotidiana cum consuetis tribus Orationibus.

3. Sola Missae qualitas, non sacrificii applicatio praecipitur *(S. Alph. lib. 6. n. 828)*.

4. De Missis defunctorum.

I. **Diversae formulae Missalis.** Prima Missa pro defunctis in Missali assignata dicitur die Commemorationis omnium fidelium defunctorum [1]), nec non in exsequiis, die tertio, septimo, trigesimo et anniversario Summi Pontificis, Cardinalium, Episcoporum et Sacerdotum [2]); secunda Missa, quae inscripta est *in die obitus seu depositionis,* dicitur in exsequiis aliorum clericorum et laicorum, et

---

1) In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Missae in omnibus altaribus sunt privilegiatae ex indulto Clementis XIII. d. d. 19. Maii 1761; omnes Missae privatae dicendae sunt de Requie *S. R. C. in D. auth. n. 2014)*; sacrificia possunt a celebrantibus applicari ad libitum vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquibus tantum, etiam accepta eleemosyna *(D. auth. n. 1275 ad 9)*. Beneficiatus ad quotidianam applicationem obligatus consuetam applicationem facere debet, nullo accepto stipendio.

2) In sepultura vel anniversario sacerdotis dici potest tam prima Missa, quae est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium fidelium, quam secunda, quae est in die obitus seu depositionis, dummodo Oratio pro

tertia in horum die *anniversaria;* quarta quae nominatur *quotidiana,* dicitur, dum per annum exigitur Missa pro defunctis.

II. **Missa exsequialis.** 1. Missa una exsequialis *praesente corpore* i. e. corpore in ecclesia sub Missa in feretro exposito, *cantari* potest omni die, exceptis: festis dupl. I. classis solemnioribus, seu universalis Ecclesiae seu ecclesiarum particularium ex praecepto Rubricarum recolendis: quibus in festis [in quibus non licet cantare Missam exsequialem] comprehenduntur etiam pro universali Ecclesia ultimum triduum majoris hebdomadae, *non autem Fer. II et III Paschae et Pentecostes;* pro particularibus vero ecclesiis dies Dominica, in quam solemnitas festi infra hebdomadam occurrentis transfertur, modo celebretur a populo, necnon ubi et donec SS. Eucharistia solemniter exposita habetur. Sed in Dominicis et festis de praecepto non omittenda est Missa diei seu functio publica pro populo, neque Missa Rogationum vel Vig. Pentecostes (*D. auth. n. 3755*).

2. Corpore propter leges civiles non praesente, vel iam sepulto, *si Missa non differtur ultra biduum* ab obitu, decretum est a S. R. C. d. 13. Febr. 1892 *(D. auth. n. 3767 ad XXVI)*: „Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest, ac si foret physice praesens, ita ut Missa exsequialis in casu

---

eo designanda, *Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes,* omnino adhibeatur *(D. auth. n. 2417 ad 8).* De cetero in quibuslibet Missis defunctorum proprie praescriptae sunt *solae orationes,* si quidem ex ipsa Rubrica Missalis concessum est Epistolam et Evangelium unius Missae in aliam transferre, reliqua vero in omnium Missarum formulis eadem sunt.

cantari licite valeat, quoties praesente cadavere permittitur."

3. Decr. U. et O. d. 19. Maii 1896, a Leone XIII. d. 8. Jun. confirm. *(D. auth. n. 3903):* in quolibet *sacello sepulcreti* Missae quaelibet possunt esse de Req., exceptis Fest. I. et II. cl., Dominicis, festis de praec., Feriis ac Vig. octavisq. privilegiatis. Ex eodem decr. in *quibuslibet ecclesiis et oratoriis* Missae *privatae de Req.*, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, fieri possunt die vel pro die obitus aut depositionis sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus Missa solemnis de Req.[1]), exceptis duplicibus I. cl. et festis de praecepto vel Dominicis atque diebus qui festum I. cl. excludunt *(D. auth. n. 3944 ad V)*.

4. Cum primum accipitur nuntius de obitu alicuius in loco dissito, Missa de Requie primo die non impedito, etsi occurrat *festum duplicis maioris vel minoris* ritus, non tamen de praecepto in foro feriandum, insuper quoque in *vigilia Epiphaniae*, minime vero infra octavas privilegiatas (vel in feriis aliisque vigiliis privilegiatis, sc. fer. IV. cinerum, hebdomada sancta, vigil. Nativitatis Dom. et Pentecostes) *solemniter* celebrari potest. Haec Missa non potest transferri ad triduum, sed ad primam diem non impeditam: aliter eligenda esset dies semiduplex *(S. R. C. 4. Maii 1686 et 27. Mart. 1779)*, quae decreta Collectio nova non amplius exhibet.

5. „Pro *paupere* defuncto, cuius familia impar est solvendo expensas Missae exsequialis cum cantu", S. R. C. *(D. auth. n. 4024)* d. 9. Maii 1899, confirmante Leone XIII. respondit: „per-

---

[1]) Requiritur in ecclesiis oratoriisve publicis, ut eo die funus agatur *(D. auth. n. 3944 ad III)*.

mitti posse Missam exsequialem lectam loco Missae cum cantu, *dummodo in Dominicis aliisque Festis de praecepto non omittatur Missa officio diei respondens*“: alioquin igitur quandocumque permittitur Missa exsequialis cantata, ut supra ad 1 notatum est.

III. **Anniversaria** etc. celebrari possunt ex decr. gener. d. d. 2. Dec. 1891 *(D. auth. n. 3753)* sequenti modo:

1. Missa anniversaria 1) voluntate testatoris vel a consanguineis amicisve fundata et *diei certo* assignata, 2) etiam sine fundatione, sed ipso die anniversario vel obitus vel depositionis recurrente postulata, *cantari* potest diebus etiam duplicibus, probibetur tantum sequentibus diebus: in duplicibus I. et II. classis; in Dominicis et festis de praecepto; infra octavas Nativitatis Dni, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SSi Sacramenti: in Fer. IV Cinerum, maiori hebdomada, vigiliis Nativitatis et Pentecostes; in respectivis ecclesiis tempore solemnis expositionis SSae Eucharistiae. (Permittitur igitur in vigil. Epiphaniae.)

2. In die *tertio, septimo, trigesimo,* sive ab obitu sive a sepultura numerando, *cantari* licet Missam, ut modo de anniversariis dictum est.

3. Quodsi hae Missae n. 1 et 2 notatae propter diem prohibitionis incidentem *liturgice* impediuntur, licet eas cum eodem privilegio transferre in diem proxime antecedentem vel subsequentem *liturgice* non impeditam (i. e. licebit eas celebrare diebus iisdem, quibus licet anniversaria non translata). Missae hucusque enumeratae celebrari igitur possunt etiam in diebus *ritus dupl. maioris.*

4. Diebus dupl., sed *minoribus* tantum atque exceptis etiam diebus supra memoratis, celebrari etiam permittuntur anniversaria, quamvis a die obitus non sint, 1) quae a religiosis communita-

tibus, a canonicorum collegiis, a confraternitatibus aut aliis quibuscumque piis sodalitatibus pro confratribus defunctis semel in anno fieri solent; 2) necnon illa, quae pro fidelium pietate infra octavam omnium fidelium defunctorum locum habent.

IV. **De Missis defunctorum non privilegiatis.** 1. Praeter Missas modo enumeratas aliae cantari nequeunt, minus etiam legi, diebus duplicibus, etsi postulantur pro anniversariis, nisi speciale habetur indultum. [1])

2. Missae privatae seu lectae pro defunctis, si excipis, quae dicta sunt supra de Missa exsequiali sub n. 3 et 5, celebrari nequeunt, nisi iis diebus, quibus Missae votivae privatae permittuntur; possunt tamen, si habetur officium *duplex ad libitum (D. auth. n. 1858, n. 3792 ad VI)*, ideoque diebus Sabb., quando ex privilegio celebratur officium votivum de Immaculata Conc. sub ritu duplici.

3. Praestat autem Missas pro defunctis postulatas, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, in aliam diem non transferre, sed celebrare de festo currenti cum applicatione sacrificii iuxta mentem benefactorum (*D. auth. n. 1238*); tali Missa haberi potest indulgentia plenaria altaris privilegiati (Decr. gen. inter *D. auth. n. 1343*).

4. Sacerdos ex oblato manuali stipendio ad Missam privatam pro uno vel pro pluribus defunctis

---

1) Missae de Requie tum ex piis fundatorum dispositionibus, tum ex fidelium quotidianis oblationibus cum cantu celebrandae in ecclesiis parochialibus Archidioecesis Coloniensis vi indulti a S. P. Pio IX. die 15. April. 1858 concessi celebrari possunt — speciali licentia super hoc ab Ordinariatu petita — in duplicibus, non vero I. et II. classis festis de praecepto servandis, feriis, vigiliis et octavis privilegiatis.

obligatus, satisfacit quidem obligationi celebrando Missam officio suo conformem diebus, quibus per rubricas licet celebrare Missam de Requie, dummodo fideles expresse non rogaverint ut dicatur Missa de Requie *(S. C. Indulg. 11. April. 1840 Decr. auth. S. Indulg. C. n. 281)*, congruentius tamen in hoc casu dicitur Missa de Requie: ad lucrandam vero indulgentiam altaris privilegiati sive personalis sive localis debet legi Missa de Requie iis diebus, quibus Missas privatas de Requie celebrare licet et decet *(D. auth. n. 2743 ad 5; n. 2962; S. I C. decr. U. et O., 11. April. in Decr. auth. n. 404).* [1])

5. Celebrans ad intentionem dantis eleemosynam et *prorsus ignorans, quaenam illius sit intentio, pro defunctis necne,* potest dicere Missam de Requie. Celebrans de Requie satisfacit obligationi, quam suscepit celebrandi pro vivis, *dummodo ne expresse diverse praescripserit,* qui dedit eleemosynam (De Herdt I. n. 67 et Revue cathol. fol. 560. Cf. Nouv. Rev. théol. t. 20 p. 663).

6. In altari, ubi expositum est SS. Sacramentum, licet in pyxide tantum, Missae de Requie celebrari nunquam possunt, neque solemnes, neque privatae. Si SS. Sacramentum expositum est *ob publicam causam,* Missae de Requie prohibentur

---

[1]) Utile erit ultimum decr. S. I. C. communicare. Ad *dubium* „Utrum sacerdos celebrans in altari privilegiato legendo Missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, sive ratione expositionis SS. Sacr., sive stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis, aut ex rationabili motivo, fruatur privilegio, ac si legeret Missam de Req. per rubricam eo die permissam?“ *Resp.* Affirmative, deletis tamen verbis *aut ex rationabili motivo,* et facto verbo cum Sanctissimo.

in omnibus altaribus eiusdem ecclesiae. Si autem expositum non est pro publica causa, Missae privatae de Requie in aliis altaribus non prohibentur (cf. *D. auth. n. 2671)*. Quando vero dies Commemorationis omnium fidelium defunctorum in tempus orationes XL horarum inciderit, Missae de Requie celebrantur, at in violaceis nec in altari expositionis *(D. auth. n. 3177 decr. gen.)*.

Orationes diversarum Missarum de Requie. 1. *Una tantum oratio* dicitur 1) in die commem. O O def.; 2) in die vel pro die obitus; 3) in Missis diei III, VII, XXX, anniversar.; 4) in qualibet Missa pro defunctis *solemniter* celebrata [i. e. cum diacono et subdiacono] post acceptum nuntium obitus, vel in anniversariis late sumptis.

2. *Tres orationes* dicendae in Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu: quarum *prima* est pro defuncto vel defunctis certis designatis, *secunda* ad libitum, *ultima* pro omnibus defunctis; si vero celebratur pro defunctis in genere, orationes dicuntur idque eodem ordine quo in Missali pro Missa quotidiana prostant.

3. In Missis *lectis,* quando tres orationes praescribuntur, licebit alias addere, ita tamen ut omnes orationes simul sumptae semper sint *numero impari,* et ut oratio pro omnibus defunctis sit *ultima.*

4. *Sequentia* illa *„Dies irae“* [1]) dicenda est 1) in quibusvis Missis *cantatis*, 2) in Missis *lectis privilegiatis* quae unicam habent orationem. — In

---

1) In Missis cantatis vel omnia canenda esse, quae precationem suffragii respiciunt, etiam Sequentia *Dies irae*, vel tales Missas non esse celebrandas, S. R. C. decrevit *(D. auth. n. 2959 ad 2).* Unde non licet praetermittere *cantum* Introitus, Sequentiae, Offertorii, Communionis.

reliquis Missis lectis dicitur vel omittitur ad libitum celebrantis. Ita in omnibus *Decr. gen. d. d. 30. Junii 1896 n. 3920.*

Missae Gregorianae. Aliquando postulantur ad levamen animarum in purgatorio detentarum Missae Gregorianae. Quae, quatenus ab Ecclesia admittuntur, quid sint et quid valeant, breviter accipe:

1) *Intelliguntur* non Missae specialis alicuius formulae, neque votivae de S. Gregorio; sed triginta Missae, i. e. per triginta dies continentes seu sine interpolatione sibi succendentes celebrandae in quovis altari, applicandae pro defuncto vel defunctis, igitur Missae de Req. si per rubricas permittuntur, alioquin de diebus occurrentibus.

2) *Quoad valorem* communico, quod dicitur in decreto S. C. Indulg. d. 15. Martii 1884 a Leone XIII. approbato (Act. S. Sed. v. 16 p. 409):

„Utrum fiducia, qua fideles retinent celebrationem triginta Missarum, quae vulgo Gregorianae dicuntur, ut specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae a purgatorii poenis liberationem, pia sit et laudabilis, atque praxis easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia probata?" *R.* „Affirmative."

Ex Sequentia „*Dies irae*" cantores *aliquas strophas* omittere posse, S. R. C. declaraverat 12. Aug. 1854 (in ed. 3 Gard. n. 5208 ad 12). Verum haec in nova collectione auth. n. 3029 expuncta sunt, ideoque standum est laudato *decr. auth.* n. 2959.

Conspectus eorum, quae in Missis votivis (privatis) et de Requie servanda sunt.

Missae Votiv.	Color.	Missa.	Gloria.	Orationes.	Praefatio.	Bened. Domin. vel al.
De Ss. Trinit.	A.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	Prop.	Benedic.
De Spiritu S.	R.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	Prop.	Benedic.
De Ss. Sacr.	A.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	De Nativ.	Benedic.
De Pass, Dom.	V. (g.)	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	De Cruce	Benedic.
De S. Cruce	R.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	De Cruce	Benedic.
De Ss. CordeJesu	A.	Miserebitur (i)	Omitt.	Ut infra (a)	De Cruce	Benedic.
De B. M. V.	A. (k)	Prop.	Omitt. nisi in Sabb. (l)	Ut infra (b)	Prop.	Benedic., sed in Sabb. Ite M. (l)
De Angel.	A.	Prop.	Semp. dicitur	Ut infra (a)	Ut infra (e)	Ite Missa est.
De Apost.	R.	Prop.	Omitt.	Ut infra (c)	Prop.	Benedic.
De Sanctis canoniz.	Ut in festo	Prop. vel de Commun.	Omitt. (l)	Ut infra (a)	Prop. si adsit, vel ut infra (e)	Benedic. (l)
Pro quac. necess.	V.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	Ut inira (e)	Bénedic.
Pro infirmis.	V.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	Ut infra (e)	Benedic.
Pro spons. praes.	A.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	Ut infra (e)	Benedic.
Pro fid. propag.	V.	Prop.	Omitt.	Ut infra (a)	Ut infra (e)	Benedic.
Pro defunctis	N. (f)	Una ex prim.vel Quotid.	Omitt.	Ut infra (d)	Communis semper	Requiescant in pace

(a) Prima Oratio Missae votivae, secunda vero officii currentis (etiam de officio votivo recitato ex privilegio [1]), tertia autem quae aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de officio, nempe vel octavae vel feriae maioris (si incidat in tale tempus), vel vigiliae, vel simplicis occurrentis, vel *A cunctis,* aut alia de B. M. V. pro tempore respectivo.

(b) Prima et secunda Oratio ut supra ad (a), tertia vero de Spiritu sancto. (Vide supra pag. 26 et 35.)

(c) In Missis votivis Apostolorum omnes Orationes dicuntur ut supra ad (a); sed in votiva de SS. Apostolis Petro et Paulo, quo tempore dicitur Oratio *A cunctis* loco eius dicitur Oratio de B. M. V. *Concede nos.*

(d) In tribus primis Missis unica Oratio; in quotidiana tres Orationes in Missali positae aut plures, sed numero impares. (Vide supra pag. 43.)

(e) De octava currente vel de tempore, alioquin communis. (Vide supra pag. 23 sq. et 27.)

(f) Viol. in solo casu, quo die 2. Novembris SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni expositione quadraginta horarum. Decr. auth. n. 3177.

(g) Ubi feriis sextis *conformiter cum Officio* celebrari solet Missa de Passione Dni, utendum est colore rubro, quod etiam valet de M. votivis decr. 8. Jul. 1883 permissis, alias violaceo; *(D. auth. n. 3922, IV, 2).*

(i) Cfr. p. 25 not. et 32.

(k) In Missa votiva de B. M. *semper* adhibendus est color *albus*; non color *caeruleus*, nisi ex privilegio: Decr. gen. d. 30. Jun. 1896 n. 3922, V, 2 in fine.

(l) Dicitur etiam *Gloria* et *Ite M. est* in ipso Sancti (simpl.) festo, vel infra oct. (cf. p. 26 cum n. 2); verum si infra octavam illius Sancti, potius dicitur Missa festiva cum *Gloria* atque etiam cum *Credo,* si festum habet Credo.

---

[1]) Si autem Missa votiva est de aliquo mysterio Domini, officium occurrens de *alio* Domini mysterio, oratio officii currentis omittitur et sumuntur orationes alioquin occurrentes et de tempore, v. g. si recitaveris officium de Ss. Sacramento, de Passione, sed dicere vis Missam de Ss. Corde, de cruce: *S. R. C. 6. Febr. 1892 (D. auth. n. 3764 ad XI).*

II. Conspectus caeremoniarum Missae privatae.

I. Signa crucis facit celebrans:

A. super se ipsum ad verba:
1) *In nomine Patris* etc. initio Missae.
2) *Adiutorium nostrum* etc.
3) *Indulgentiam* etc.
4) *Ad introitum* (in Missa vero de Requie super librum).
5) *In gloria Dei Patris* in fine *Gloria.*
6) *Sequentia sancti Evangelii* etc. prius super librum; dein super se, at *ter* crucem parvam.
7) *Et vitam venturi* etc. in fine *Credo.*
8) *Benedictus, qui* etc in fine Praefationis.
9) *Omni benedictione* etc. in Canone.
10) *Da propitius* etc., cum patena.
11) *Corpus D. N. J. C.* etc. cum hostia
12) *Sanguinis D. N. J. C.* etc. cum calice.
13) *Initium sancti Evangelii* etc. in fine, ut ad 6).

B. super hostiam et calicem, vel alterutrum[1]), ad verba:
1) *Benedic,* in Oratione *Veni sanctificator* (semel)
2) *Haec dona* etc. (ter).
3) *Benedictam* etc. (ter).
4) *Ut nobis Corpus* etc. (bis).
5) *Benedixit* ante utramque Consecrationem (bis).
6) *Hostiam puram* etc. (quinquies).
7) *Corpus et Sanguinem* etc. (bis).
8) *Sanctificas* etc. (ter).

C. cum S. hostia ad verba:
1) *Per ipsum* etc. super calicem (ter).
2) *Patri omnipotenti* etc. inter calicem et pectus (bis).
3) *Pax Domini* etc. super calicem (ter).

---

[1]) Cruces, quae fiunt super oblata, fieri debent manu recta *(D. auth. n. 1275 ad 4).*

II. Inclinationes fiunt:

A. Inclinatio simplex, seu capitis[1]) erga crucem, quae non quasi solo nutu capitis fit, sed iuxta Caeremoniale Episcoporum et omnes rubricistas tanta esse debet, quanta citra humerorum attractionem fieri potest:

1) Ad *crucifixum* in sacristia.

2) *Aperto Missali,* in medium reversus, antequam descendit.

3) Ad *Gloria Patri,* quoties occurrit.

4) Inter *Gloria* ad verba: *Deo — Adoramus te — Gratias agimus tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe.*

5) Ad *Oremus*, quoties dicitur.

6) Ad nomen *Jesu*, et convenienter ad nomen *SS. Trinitatis* [extra[2]) Evangelium].

7) Inter *Credo* ad verba: *Deum — Jesum Christum — simul adoratur.*

8) Ad verba *Deo nostro* ante Praefationem.

9) Ad utrumque *Memento,* dum facit commemorationem.

10) Ad verba *Tibi gratias agens* etc. ante utramque Consecrationem.

---

[1]) Inclinatio capitis profunda correspondet cultui latriae, media cultui hyperduliae et parva cultui duliae.

[2]) Intra Evangelium capitis inclinatio fit versus librum. Item ad nomen Mariae et Sanctorum, de quibus dicitur Missa aut fit commemoratio, (necnon ad nomen Papae) fit capitis inclinatio versus librum, nisi in loco principali altaris habeatur simularum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam caput inclinatur (Ritus Miss. tit. 5 n. 2). Juxta Caeremoniale Episcoporum quidem ad nomen *Jesu* maxima, ad nomen *Mariae* minor, ad nomen *Sanctorum* et *Papae* minima.

11) Ad verba *per eundem Christum D. N.* ante verba *Nobis quoque peccatoribus.*

12) Inter *Agnus Dei* (Ritus Miss. tit. 10 n. 2 in fine).

13) Seipsum signans cum hostia et calice consecratis ante sumptionem SS. Sacramenti ad verba *Jesu Christi* (versus SS.). *(D. auth. n. 2850 ad 1,* „iuxta rubricas".)

14) Inter *Placeat* etc. (Ritus Miss. tit. 12 n. 1).

15) Ad *Deus* post *Benedicat vos* etc.

16) In fine, antequam de altari descendit.

17) Ante discessum ab altari, ante infimum gradum eiusdem[1]), capite semper aperto: (Ritus Miss. tit. 12 n. 6).

18) Ad crucifixum in sacristia (ex analogia ad Ritum Miss. tit. 2 n. 1); dein minima erga celebrantem sequentem paratum[2]).

B. Inclinatio corporis media i. e. capitis cum magna humerorum attractione, sed absque profunda corporis depressione, fit:

1) Ad verba *Deus, tu conversus* usque ad *Oremus* inclusive, sed non ad *Aufer a nobis* etc.

2) Ad verba *Oramus te* usque ad *quorum reliquiae.*

3) Ad verba *In spiritu humilitatis* etc.

4) Ad verba *Suscipe S. Trinitas* etc.

5) Ad verba *Sanctus* usque ad *Benedictus* exclusive.

---

[1]) Altare supponitur, in quo SS. Sacramentum in tabernaculo praesens non est.

[2]) Num ulterius inclinandum sit caput, quoties sacerdos vel ad medium altaris accedit vel ab eo discedit, v. g. quando celebrans calice deposito transit ad librum aperiendum, non una est sententia: communius negatur, quum rubricae de ea nihil habeant. S. C. R. de hac re consulta 12. Nov. 1831 respondit: „Serventur rubricae".

6) Ad utramque Consecrationem (cubitis super altare positis).

7) Ad tres Orationes ante Communionem.

8) Ad verba *Domine, non sum dignus.*

9) Ad Communionem S. hostiae.

C. Inclinatio corporis profunda i. e. tanta, ut manus pendulae genua attingere possint, fit:

1) In accessu ad altare, post datum biretum ministro, nisi adsit SS. Sacramentum in altaris tabernaculo.

2) Antequam Missa incipitur, ante infimum gradum, nisi adsit in tabernaculo SS. Sacramentum.

3) Inter *Confiteor*, usque ad *Amen* post *Misereatur.*

4) Inter *Munda cor meum — Jube Domine benedicere — Dominus sit in* etc.

5) Ad *Te igitur,* initio Canonis usque ad *petimus* inclusive.

6) Inter *Supplices te rogamus* etc. usque ad *quotquot* inclusive.

III. Genuflexio fit:

1) In plano in *accessu ad altare* et in *recessu ab eodem*, et quidem unico genu, si SS. Sacramentum[1]) sit reconditum; utroque genu, si sit expositum: *(S. R. C. 12. Nov. 1831 n. 4669 ad 51 et 53).*

2) *Super primum gradum* unico genu, postquam celebrans descendit de altari ad Missam incipiendam; sive SS. Sacramentum in altari sit inclusum, sive sit expositum *(S. R. C. ibid.).*

---

1) Quando Missa celebratur coram ligno sacrae Crucis palam exposito, genuflectendum est solummodo in accessu et recessu et quoties *transitur* ante medium altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione *(D. auth. n. 2721 ad 1, n. 2854).*

3) In suppedaneo:

a) Quotiescumque in *Epistola, Tractu, Evangelio* imperatur genuflexio. [1])

b) In *Credo* ad verba *incarnatus est* usque ad *homo factus est* inclusive.

c) Ante et post *Elevationem* hostiae et calicis.

d) Quoties *post Elevationem* celebrans movet hostiam et calicem, scilicet ante et post motum.

e) Ad verba ultimi Evangelii *Verbum caro factum est.*

f) Ad *Flectamus genua.* [2])

IV. Manuum positiones.

A. Manus prius iunctae extenduntur, elevantur usque ad humeros et non ultra (Ritus Miss. tit. 4 n. 3) et iunctae ante pectus demittuntur:

1) Ad *Gloria in excelsis Deo* (extendens elevansque).

2) Ad *Credo in unum Deum* (elevans et extendens).

3) Ad verba *Veni Sanctificator* (cfr. Ritus Miss. tit. 7 n. 5).

4) Ante vel inter verba *Te igitur.*

5) Ad *Memento* mortuorum — usque ad faciem. (Vide Ritus Miss. tit. 9 n. 2.)

---

1) Pro Missa solemni (Pontificali): Cum subdiaconus in Epistola pronuntiabit verba illa „*ut in nomine Jesu* etc.“, Episcopus et omnes usque ad terram genuflectunt et permanent genuflexi usque ad illa verba *et infernorum* inclusive *(Caerem. Episc. lib. II, cap. 21, num. 13).*

2) Si in altari, ubi expositum est SS. Sacramentum, dicitur *Flectamus genua,* celebrans non debet genuflectere versus SS. Sacramentum, sed modo consueto *(D. auth. n. 2859);* aliae genuflexiones fiunt versus SS. Sacramentum *(Mem. Rituum).*

6) Ad *Benedicat vos* etc. in fine Missae et ad *Benedictio Dei omnipotentis* in fine distributionis SS. Eucharistiae.

B. Manus (prius non iunctae) extensae elevantur et iunguntur ante pectus (Cfr. Ritus Miss. tit. 7 n. 8 et seq.):

1) Ad verba *Sursum corda*, usque ad pectus elevando et iungendo tantum ad *Gratias agamus.*

2) Ad verba *fiat dilectissimi Filii tui D. N. J. C.*

3) Ad *Memento* vivorum — usque ad faciem. (Vide Ritus Miss. tit. 8 n. 3.)

C. Manus prius iunctae (non elevando) ante pectus extenduntur ab initio verborum et iunguntur ad eorum finem (Ritus Miss. tit. 5 n. 1):

1) Ad *Oremus;* ante *Pater noster* tamen ad *Oremus* simpliciter iunguntur, extenduntur ad *Pater.*

2) Ad *Dominus vobiscum* — versus populum.

3) Ad *Orate fratres.*

D. Manus prius extensae (non elevando) ante pectus iunguntur (Ritus Miss. tit. 5 n. 1):

1) Post orationes, ad verba *Per D. N. J. C.* vel in alia conclusione *in unitate.*

2) Post Praef. ad *Sanctus* usque ad *Benedictus.*

3) Post *Communicantes*, ad verba *Per eundem.*

4) Post *Hanc igitur*, ad verba *Per Christum D. N.*

5) Post Orationes *Supplices* — *Memento* — *Nobis quoque peccatoribus.* (Cfr. Ordo M. et Ritus Miss. tit. 9 n. 1 in fine.)

E. Manus extensae tenentur ante pectus, scil. ita, ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat (Ritus Miss. tit. 5 n. 1):

1) Infra *Orationes omnes* scil. Collectas, Secretas, Postcommuniones usque ad *Per D. N.*, si nomen

Jesu occurrit; vel usque ad *in unitate,* si nomen *Jesu* non occurrit in clausula.

2) Per totam *Praefationem.*

3) Inter Canonem fere semper, nisi exceptio exprimatur.

F. Manus extensae super altare ponuntur (Cfr. Ritus Miss. tit. 4 n. 1 et tit. 9. n. 1):

1) Quoties *celebrans osculatur altare.*

2) Quoties *flectit genu ad altare,* excepta genuflexione immediate ante hostiae elevationem.

3) Ad verba Praefationis *per omnia — Dominus vobiscum.*

4) Ante *Pater noster* ad *Per omnia* etc.

5) Inter *Epistolam, Graduale* et *Sequentiam* manus poni possunt super altare vel librum (Ritus Miss. tit. 6 n. 1).

G. Manus sinistra super altare ponitur, sive intra sive extra corporale poni debet (cfr. Ritus Miss. tit. 9 n. 3 et seq.):

1) Inter *signum crucis* ad Introitum in Missa de Requie *(D. auth. n. 2572 ad 25).*

2) Ad verba *Nobis quoque peccatoribus.*

3) Inter *Libera nos* etc., usque ad *da propitius* etc.

4) Ad *Miserere nobis* post primum *Agnus Dei* usque ad finem, exceptis Missis de Requie.

5) *Patenam tenens inter signum crucis* cum calice ante Communionem.

6) *Patenam tenens,* dum porrigit calicem ad infundendum vinum.

7) Dum *facit signum crucis super* altare ad ultimum Evangelium S. Joannis.

H. Manus sinistra infra pectus[1]) ponitur

[1]) Sinistra ponitur a) super librum, quando signatur Evangelium (etiam ultimum) in libro *(D. auth. n. 2572 ad 11);* b) super calicis pedem, dum calix tegitur vel detegitur.

et quidem post Consecrationem ita, ut parvus tantum digitus vestem tangat (Ritus Miss. tit. 3 n. 5):

1) Quotiescumque *celebrans seipsum signat*[1]).

2) Dum *percutit pectus* ad *Confiteor.*

3) In fine Missae *benedicens populum.*

4) Quotiescumque dextra sola occupata est, et sinistra poni nequit super altare.

J. Manus ambae iunctae super oram altaris ponuntur, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulae seu mensae altaris tangant, residuo manuum a celebrante inter se et altare retento, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito. (Ritus Miss. tit. 4 n. 1):

1) Ad verba: *Oramus te* usque ad verbum *reliquiae* exclusive.

2) Ad verba: *In spiritu humilitatis.*

3) Ad verba: *Suscipe, sancta Trinitas.*

4) Ad verba: *Te igitur* usque ad *uti accepta habeas.*

5) Ad verba: *Supplices te rogamus* usque ad *ex hac altaris participatione* (D. auth. n. 2572 ad 21).

6) Inter *tres Orationes ante Communionem.*

7) Ad verba *Placeat tibi, S. Trinitas* etc.

K. Manus iunctae ante pectus ita componuntur, ut extensis et iunctis pariter digitis, pollex dexter super sinistrum ponatur in modum crucis; a Consecratione vero usque ad Communionem pollex cum suo indice iungitur. (Ritus Miss. tit. 3 n. 1):

Ubicunque alia positio supra praescripta non est: hinc 1) ad *Introibo. — Kyrie. — Gloria.*

---

[1]) Super cingulum et extra spatium, in quo efformandum est crucis signum.

2) Ante et post *Dominus vobiscum.*

3) Ante et post *Oremus,* antequam manus extenduntur pro Oratione dicenda.

4) Ad verba *Munda cor meum* etc., quin altare tangatur, item ad *Evangelium — Credo — Offertorium.*

5) Sub Psalmo *Lavabo,* postquam celebrans manus lavit.

6) Sub utroque *Memento* et post Communionem sacrae hostiae, ubi manus elevatae tenentur usque ad faciem.

7) Ante *Pater noster.*

8) Ad primum *Agnus Dei,* et in Missa de Requie inter tria *Agnus Dei.*

9) Inter Versiculum, qui dicitur *Communio.*

10) Inter *ultimum Evangelium.*

11) Demum *ante omnem benedictionem.*

V. Oculorum elevationes ad crucem[1]**, quae quidem aspicienda est** (S. R. C. 22. Jul. 1848 n. 2960 ad 3); **at si SS. Sacramentum sit expositum, versus illud.**

A. Oculi elevantur et statim demittuntur: (Cfr. Ritus Miss. tit. 6 n. 2 et seq.):

1) Ante verba *Munda cor meum.*

---

[1]) Parva crux cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum, nisi adsit in altari magna statua crucifixi *(D. auth. n. 1270 ad 1 et 2);* et ita proëminere debet, ut sacerdos celebrans ac populus sacrificio assistens eundem Crucifixum facile et commode intueri possint *(Bened. XIV.* Constit. pro ditione eccl. *Accepimus* d. d. 16. Julii 1746). Abusum collocandi parvam crucem vix visibilem vel supra tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam in medio altaris sitam, reprobavit *S. R. C. decr. gen. 17. Sept. 1822* a Pio VII. confirm. *(D. auth. n. 2617 ad 7).* — Exposito SS. Sacramento, crux apponi sive non apponi potest *(D. auth. n. 2365 ad 1).*

2) Ad verba *Suscipe, sancte Pater.*
3) Ad verba *Veni, Sanctificator.*
4) Ante verba *Suscipe, sancta Trinitas.*
5) Ad verba *Deo nostro,* sub initio Praefationis.
6) Ante verba *Te igitur.*
7) Ad verba *elevatis oculis,* ante Consecrationem.
8) Ad verba *Benedicat vos,* in fine Missae.

B. Oculi elevantur continuate (Ritus Miss. tit. 7 n. 5 seq.):

1) Ad crucem, inter *oblationem calicis.*

2) In SS. Sacramentum, inter *elevationem hostiae et calicis.*

C. Oculi intenduntur in SS. Sacramentum (Ritus Miss. tit. 9 n. 2 seq.):

1) Toto *Memento defunctorum,* dum sacerdos privatim orat.

2) Per totam *Orationem Dominicam,* incipiendo a *Pater noster.*

3) Inter *tres Orationes ante Communionem*: unde legi e Missali non debent, nisi memoria fallatur.

NB. Praeter hos tres casus haec oculorum intentio non est praescripta; licet fieri conveniat, praesertim ad *Supplices, Agnus Dei, Domine non sum dignus* etc.

VI. Oscula fiunt in medio altari, manibus extensis aequaliter hinc inde super eo positis.

(Ritus Miss. tit. 4 n. 1; 5, 1; 7, 7; 8, 1; 9, 1; 12, 1.)

1) Ad verba: *quorum reliquiae.*
2) Ante *Dominus vobiscum.*
3) Ante *Orate fratres.*
4) Inter *uti accepta habeas* etc.
5) Inter *ex hac altaris participatione.*
6) Post *Placeat,* etiamsi non detur benedictio.[1]

---

[1]) Osculandum praeterea: *amictus, manipulus, stola* tum induenda (Ritus Miss. tit. 1 n. 3) tum etiam exuenda; item prima verba Evangelii, et quidem verba *textus sacri,* di-

VII. Prolatio verborum.

A. Voce alta, i. e. clara[1]) et intelligibili, ita tamen moderata, ut celebrantes in aliis altaribus non turbentur (Rubr. Miss. gen. tit. 16 n. 2):

1) *Introibo* — *Introitus* — *Kyrie* — *Gloria.*

2) *Dominus vobiscum* — *Oremus* — *Collectae* — *Epistolae* — *Graduale* — *Sequentia.*

3) *Evangelium, Symbolum, Offertorium, Praefatio.*

4) *Per omnia* etc. — *Praeceptis* — *Pater noster.*

5) *Per omnia* — *Pax Domini* etc. — *Agnus Dei.*

6) Versiculus *Communio* — *Postcommunio.*

7) *Ite missa est* (versus populum) — *Benedicamus,* item *Requiescant* (versus altare).

8) *Benedicat vos* — *Evangelium.*

B. Voce media, i. e. *aliquantulum, parum etc. elata,* ut aiunt rubricae mox citandae:

1) *Orate fratres* (Rubr. ex Ordo Miss.).

2) *Sanctus* usque ad *Benedictus* inclusive (Rubr. Miss. tit. 7 num. 8).

3) *Nobis quoque peccatoribus* (Ordo Miss.).

4) *Domine, non sum dignus* (Ordo Miss.).

C. Voce submissa seu secreta, i. e. ut sacerdos ipsemet se audiat et a circumstantibus non audiatur (Rubr. gen. Miss. tit. 16 n. 2). Hac voce pronuntiantur verba omnia, quae nec clara, me

---

cendo: *Per evangelica dicta* (Rubr. Miss. tit. 6 n. 2); patena congruentius in extremitate, seu ora patenae ad verba *da propitius pacem in diebus nostris (D. auth. n. 1711 ad 5).*

[1]) Quae in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni (nisi canenda sint), a celebrante dicuntur submissa voce *(Rub. gen. tit. 16 n. 3)*; omnia verba ab „In nomine Patris“ usque ad Introitum; insuper „Orate fratres“, „Sanctus“, „Nobis quoque peccatoribus“ et „Domine, non sum dignus“ dici debent submissa voce, dummodo intelligantur a ministris.

mediocri voce dicenda sunt, praecipue vero verba Consecrationis.

D. Memoriter dicenda sunt:
Omnia, quae legi e libro vel e tabella decenter non possunt, e. g. quae dicenda sunt cum profunda vel etiam media corporis inclinatione, e. g. *Munda cor — Sanctus — Supplices —*; item, quae dicenda sunt elevatis vel in Sacramentum intentis oculis, e. g. *Offerimus, Pater noster*, tres Orationes ante Communionem.

III. De altari eiusque exsecratione et nova consecratione.

1. Altare, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum et ab Episcopo, sive Abbate facultatem a Sede Apostolica habente, consecratum; vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo, vel Abbate, ut supra, consecrata, quae tam ampla sit, ut hostiam et maiorem partem calicis capiat *(Rubr. gen. Miss. tit. 20)*.

2. Si de regulis circa consecrationem et exsecrationem altarium quaeritur, altare *fixum* sive *portatile* sumitur sensu *liturgico.* [1]) Videlicet altare *fixum* est lapis altaris superficiem tegens, qui structurae inferiori coniungitur, et cum eadem unum

---

1) Aliter distiguitur altare fixum et portatile sensu *canonico*, quando scilicet de concedendis gratiis et privilegiis, vel de aliis legibus agitur. Nam hoc sensu omnia illa altaria dicuntur fixa, quae secundum structuram suam in loco suo consistant neque pro libitu moveri seu transferri possint, etiamsi non tota altaris tabula sit consecrata, sed solum lapis consecratus (quem sensu liturgico dicimus altare portatile) in media tabula insertus *(S. R. C. Indulg. 26. Martii 1867, Rescripta auth. n. 405)*.

totum efficit. — Altare *portatile* (viaticum) illud dicitur, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena saltem quoad maiorem partem capere possit, atque potest de uno in alium locum transferri: *(S. C. Indulg. 20. Mart. 1846 decr. authent. n. 334.)* Reliquiae altaris portatilis recondendae sunt in sepulchro intra lapidem effosso, at claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto *(D. auth. n. 3162 ad II).*

3. Altaria sive fixa sive portatilia exsecrantur 1⁰ per enormem seu notabilem fracturam (S. R. C. 6. Octob. 1837 in Instructione ad Episcopum Rhedon. a Gregor. XVI approbata seu *D. auth. n. 2777).* — Quae notabilis fractura certissime aderit, si altare in duas vel plures partes confractum sit ita, ut nulla pars amplius capiat hostiam et maiorem partem calicis; immo Gardellini in nota ad decr. S. R. C. 3. Martii 1821 et cum eo alii enormem fracturam etiam eam censent, qua una ex crucibus lateralibus speciali unctione in consecratione inunctis a reliquo lapide separata sit.[1]) 2⁰ Ad enormem fracturam revoca — id quod de altari portatili expresse declaratum est, ex paritate causae autem altari etiam fixo applicari debet, *si* in eo occurrere potest — „quando altare tenui scissura laborat, quae per medium integrum lapidem decurrit ad instar fili" *(D. auth. n. 3162 ad III).* Nam revera tum habes totum lapidem in duas partes confractum. 3⁰ Notabilis fractura semper est in qualibet laesione sepulchri, in quo reliquiae recon-

---

1) Novum altare ante consecrationem enormiter fractum sed firmiter caementatum valide consecrari, S. R. C. d. 20. Martii 1869 *(Coll. Gardell. ed. 3 n. 5437)* dixerat, sed postea decreto a Leone XIII. conf. negavit *(D. auth. n. 3907 ad III).*

ditae sunt, nimirum: per huius sepulchri fractionem, vel reliquiarum amissionem *(D. auth. n. 2880)*; per operculi seu lapilli illius, quo sepulchrum claudi debet (lapillus ille vocatur *sigillum*; v. Gardellini not. ad decr. S. R. C. 3. Mart. 1821), fractionem vel solam amotionem *(D. auth. n. 3106, n. 3162 ad V, maxime n. 2991 a Pio IX. expresse approb.)*. [1]) — 4° Exsecratio, seu potius defectus consecrationis habetur etiam per quamlibet reliquiarum carentiam, eo quod reliquiae forte nunquam appositae fuerint *(D. auth. n. 2880)*.

4. Altare *fixum* insuper amittit suam consecrationem, quando mensa superior consecrata ab inferiori structura seu basi dissolvitur. Scilicet altare stricto sensu fixum sic consecratur, ut consecratio non solam mensam, sed totam structuram afficiat. — Quare si mensa avellitur, etsi reliquiae Sanctorum omnino integrae maneant, mensa illa loco altaris portatilis haberi nequit; sed vel nova consecratione, vel sanatione ex parte S. Pontificis opus est *(D. auth. n. 2599, n. 3198)*.

5. Altare *portatile* debet ad normam altaris fixi habere sepulchrum reliquiarum *lapillo clausum*: pro exsecratis habuit S. R. C. altaria, quorum sepulchrum ligno clauditur *(D. auth. n. 3162 ad II)*. Similiter fere, si gypso seu lythocollo vel sola cera sigillari. (Cf. *Revue des sciences eccles. 1882*

---

[1]) Altare fixum defectu laborabat, quo lapis sepulchralis, propter calcem qua conglutinabatur solutam, sepulchro amplius non haerebat. Episcopus, ut rem melius exploraret, lapidem sua manu movit, sublevavit, reposuit, reliquiis nullo modo tactis: S. R. C. *(D. auth. n. 3106)* dixit, altare indigere nova consecratione. — Similiter altare fixum, cuius sepulchrum a parocho apertum, et post reliquias repertas iterum clausum est, pro exsecrato haberi debet *(D. auth. n. 3162 ad V)*.

pag. 480.) Circa materiam altaris attende etiam hoc responsum: „Arae seu altaria portatilia, quae constant ex vero lapide duro et compacto, etsi non marmoreo, idonea haberi debent; quae autem confecta sunt ex lapide pumiceo, sive ex gypso aut alia simili materia, illicita prorsus sunt. Quoad vero altaria, quorum sepulchrum sive confessio non in medio lapidis, sed in eius fronte fuit effossum, ea non sunt admittenda, utpote Pontificalis Romani praescriptionibus haud conformia": ita S. R. C. de 4. Nov. 1885; eiusmodi tamen altaria non censentur plane inepta seu interdicta, sed ea usui esse posse, usque dum data occasione emendata fuerint, subsequentes declarationes Rom. explicaverunt *(D. auth. n. 4032.)*

6. Polluta vel violata ecclesia, polluitur etiam vel violatur altare in ea fixum [1]): exsecrato autem altari fixo, non exsecratur ecclesia. Exsecrata ecclesia, non exsecratur altare portatile (*Ferraris l. c. n. 27 et 31).*

7. Nota insuper quaedam de consecratione non amissa:

1⁰ Altaria antiquitus consecrata, a quibus alio translati sunt tituli et imagines, non amota tamen mensa iam con-

---

[1]) In ecclesia tantum benedicta potest consecrari altare, quin prius ipsa ecclesia consecretur *(S. R. C. 12. Sept. 1857 n. 3059 ad XV).* — In ecclesiarum consecratione omnino debet consecrari altare *(S. R. C. 3. Mart. 1866 n. 3142 ad I).* — Dummodo adsit in ecclesia solummodo benedicta saltem unum altare ad modum fixi, quod potest esse ex muro confectum cum ara lapidea, quae portatilis vocatur, reliqua altaria, maiori non excluso, possunt quidem esse ex ligno cum ara portatili, idque esse potest etiam in ecclesia parochiali. Si vero nullum altare ex muro saltem confectum reperitur, convenit, ut unum saltem hoc modo erigatur, ipsumque etiam convenit ut sit altare principale *(S. R. C. 31. Aug. 1867 n. 3162 ad. I).*

secrata (i. e. altaris fixi) a primaevo loco, „non indigent nova consecratione, quum altaria non Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum consecrentur" *(D. auth. n. 2450).*

2⁰ Non exsecratur altare fixum, si aliqui tantum lapides structurae dimoventur, neque si tota mensa cum structura, cui inhaeret, alio transfertur *(Gardell. nota ad decr. S. R. C. 15. Mai 1819).*

3⁰ Altaria fixa cum tabula ex lapide, ubi nec de ecclesiae ipsius, nec de altaris consecratione ulla exstat hominum memoria, nec in scriptis aliquid invenitur, ab antiquo tamen tempore Missa celebrata semper fuit, possunt haberi pro consecratis *(D. auth. n. 3162 ad IV).*

4⁰ Altare portatile, cui appositum est sigillum episcopale cero sigillari impressum, quod exterius appareat, non propterea amittit suam consecrationem, quod *hoc* sigillum frangatur, si modo lapis consecratus integer est.[1] Si quando autem propter episcopale sigillum deletum moveri debet dubium de integritate altaris, seu de identitate et authenticitate reliquiarum, altare censetur exsecratum. Ceterum decreta, quae dicunt altaria exsecrata „propter laesum sigillum", sigillum intelligunt illud operculum lapideum, quo sepulchrum reliquiarum clauditur.

IV. Ritus celebrandi Missam privatam,

ex rubricis Missalis, tum generalibus, tum Ordinis et Canonis, ex praescriptis Caeremonialis Episcoporum, ex rubricis feriae V in Coena Domini et feriae VI Parasceves, ex praeceptis Memorialis Rituum, et ex S. R. C. decretis compositus.

NB. Quae in contextu leguntur, verbotenus desumpta sunt ex *„Ritu celebrandi Missam"*, qui exhibetur in Missali post *„Rubricas generales"*; quae posita sunt in parenthesibus, etiam fere verbotenus desumpta sunt ex rubricis Ordinis et Canonis Missae, quando alii fontes non indicantur; in notis, quae ad calcem paginarum inveniuntur, collecta sunt ex auctoribus probatis ea, quae spectant vel ad cla-

---

1) Neque est consuetudo Romana, hoc modo sigillum apponere.

riorem nonnullorum rituum expositionem vel ad particulares Missas vel caeremonias.

1. De praeparatione sacerdotis celebraturi. Sacerdos celebraturus Missam, praevia Confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet et orationes supra (P. I, pag. 90 sqq) positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in sacristia vel alibi praeparatum, ubi paramenta aliaque ad celebrationem necessaria habentur, accipit Missale, perquirit Missam [1]), perlegit et signacula ordinat ad ea, quae dicturus est. Postea lavat manus, dicens orationem supra (P. I. pag. 111) positam. Deinde praeparat calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam et simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus), super eius os ponit purificatorium mundum et super illud patenam cum hostia [2]) integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla [3]) linea,

---

1) Ex eodem Communi, ubi sunt plures Missae, non est liberum cuique recitare Missam, quam maluerit, nec Epistolam aut Evangelium ex alia Missa sumere, sed debet legi Missa assignata in *Proprio* Missalis *(D. auth. n. 2839 ad 1 et 2)*.

2) Servetur consuetudo circa usum imprimendi imaginem Crucifixi in hostiis *(D. auth. n. 2714)*.

3) An non obstantibus decretis a S. R. C. editis liceat uti palla a parte superiori panno serico cooperta et auro contexta? *R.* Permitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, et pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa *(S. R. C. 10. Jan. 1852*, in *Analect. Jur. Pontif. Ser. I, col. 1429 et 1430)*. — Sine speciali indulto Apostolicae Sedis ablutio corporalium, purificatoriorum et pallarum spectat ad clericos, qui saltem subdiaconi sint (S. C. Episc. et Regul. 9. Junii 1860).

tum velo serico; super velo ponit bursam [1]) coloris paramentorum, intus habentem corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album et ab Episcopo, vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum.

Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quae non debent esse lacera aut scissa, sed integra, et decenter munda ac pulchra et ab Episcopo itidem vel alio facultatem habente benedicta [2]); ubi calceatus [3]) pedibus et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit Praelatus saecularis super rochettum, si sit Praelatus regularis, vel alius sacerdos saecularis supra superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas orationes supra (P. I, pag. 111) positas.

Ac primum accipiens amictum circa extremitates et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est crux, et ponit super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum ante pectus reducit et ligat. Tum alba induitur, caput submittens, deinde manicam dextram brachio dextro et sinistram sinistro imponens.

---

1) Non licet deferre supra calicem manutergium, et ex pari ratione nec perspicilla, nec quidquam aliud, tam eundo, quam redeundo ab altari *(D. auth. n. 2118).*

2) Non censentur eo ipso benedicta, quod sacerdos bona fide cum paramentis nondum benedictis celebraverit, sed debent revera benedici *(D. auth. n. 3162 ad VII).*

3) Clericos et sacerdotes in sacris praesertim functionibus adhibere debere caligas seu calceamenta, quibus publice uti solent clerici loci seu dioeceseos, respondit S. R. C. 31. Aug. 1872 *(D. auth. n. 3268 ad III).*

Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante et a lateribus hinc inde, et cingulo [1]) per ministrum a tergo sibi porrecto se cingit. Minister elevat albam [2]) circumcirca, ut honeste dependeat et tegat vestes; ac eius fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti vel circiter supra terram aequaliter fluat. Sacerdos accipit manipulum, osculatur crucem in medio et imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens stolam, simili modo deosculatur et imponit medium eius collo, ac transversando eam ante pectus in modum crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dextram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem stolae extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo coniungit. Postremo sacerdos accipit planetam.

2. De ingressu sacerdotis ad altare. Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra calicem ut supra praeparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextra super calice tenens et facta reverentia [3]) cruci, vel imagini illi, quae in sacristia erit, capite cooperto [4])

---

[1]) Quod potest esse sericum, sed congruentius lineum *(D. auth. n. 2067 ad 7)*; potest esse coloris paramentorum *(D. auth. n. 2194 ad 3)*; nihil obstat, quominus cingula ex lana adhiberi possint *(D. auth. n. 3118)*.

[2]) Alba, amictus, mappulae, corporale, purificatorium et palla ex praxi et praecepto Ecclesiae debent esse ex lino vel cannabe: *(S. R. C. 15. Maii 1819* decret. gener. a Pio VII. confirmatum et promulgatum: *D. auth. n. 2600)*. — Tolerari potest ut fundus *coloratus* supponatur textili denticulato vel operi phrygio *in manicis et fimbriis albarum;* in *manicis rochetti* tamen quoad colorem ipsum observandum est, ut sit eiusdem coloris, qui sit color vestis talaris respectivae dignitatis *D. auth. n. 3780 ad V)*.

[3]) Profunda capitis inclinatione.

[4]) S. R. C. 14. Junii 1845 ed. 3 Gard. n. 5018.

accedit ad altare,[1]) ministro cum Missali et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint praeparata) praecedente superpelliceo induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante altare maius, capite cooperto faciat ad illud reverentiam; si ante locum Sacramenti, genuflectat;[2]) si ante altare, ubi celebretur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat[3]) et detecto capite illud adoret, nec ante surget, quam celebrans deposuerit calicem super corporale.[4])

---

1) Quando sacristia sita est post altare, „e parte Evangelii egrediendum, et a parte Epistolae ad illam accedendum“: ita *S. R. C. 12. Aug. 1854 (D. auth. n. 3029 ad 12).* Potest celebrans ad ianuam sacristiae, si commode queat, accipere aquam benedictam; sin minus, se abstineat *(D. auth. n. 2514 ad 4).*

2) Unico genu et capite cooperto.

3) Utroque genu procumbens.

4) Et ipse resumpserit biretum: non vero debet remanere genuflexus donec et quousque terminetur Communio populi *(D. auth. n. 2002 ad 14)*; si deferens calicem transit ante SS. Sacramentum publice expositum etiam in pyxide, utroque genu flectit, detecto capite adorat et surgens caput cooperit *(ita S. R. C. d. 7. Maii 1746: D. auth. n. 2390 ad 4)*; quapropter non laudendi sed potius redarguendi sunt illi, qui ad maiorem reverentiam, ut ipsi dicunt, capite *aperto* abeunt, donec sint extra conspectum altaris *(Gardellini Comment. ad Instruct. Clement. n. 10 ad § VII)*; si vero calicem non defert, caput non tegat, nisi postquam e conspectu Sacramenti se subtraxerit: *(Gardell. l. c. n. 12).* Transiens ante altaria minora, ubi Missa celebratur a Consecratione ad Communionem, genuflectit unico genu: *(Gavant. et Merati).* Si sacerdos celebraturus eundo per ecclesiam advertit, in pluribus altaribus minoribus esse SS. Sacramentum ob Missam, quae

Cum perveniret ad altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit,[1]) biretum ministro porrigit et altari seu imagini crucifixi desuper

---

inibi celebratur, post Consecrationem, videtur nimis incommodum esse, genuflectere ad omnia altaria, cum deberet se vertere modo ab hanc, modo ad illam partem; solum igitur quando transeat immediate ante altare, cui magis particulariter appropinquat, tum debet genuflectere unico genu, deinde caput aperire, et postea prius caput tegere et deinde surgere; vel potest etiam genuflectere unico genu, absque eo quod caput detegat: quia cum Sacramentum sit absconditum ob sacerdotem celebrantem, est in illo altari, quasi esset in tabernaculo; et sic communiter Romae fit *(Merati)*. Ante reliquiam S. Crucis in loco principali expositam sacerdos unico genu flectere debet; si vero talis reliquia recondita est in custodia, solummodo caput inclinat: *(D. auth. n. 2390 ad 7)*. Si Missa fiat ad altare, ubi patenter exposita est talis reliquia, observa, quae supra dicta sunt pag. 50 not. 1. — Si obviet sacerdoti SS. Sacramentum deferenti, detecto capite utroque genu flectere debet, donec ille e conspectu vel quasi e conspectu transierit *(Cav. et Gardellini l. c. n. 13)*. Sacerdos, qui vadit ad altare, debet salutare sacerdotem redeuntem ab altari, sive in sacristia, sive in ecclesia obvia veniat, hicque debet illum resalutare. Alioquin sacerdos, etiam salutatus, neminem, quisquis sit, resalutat, nisi transeat ante Praelatos, aut Principes, quibus, modo SS. Sacramentum non sit expositum, caput coopertum plus minusve inclinat pro eorum dignitate *(Auctores)*.

[1]) ,,Nemo audeat uti pileolo (Käppchen) in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine": *Decretum S. R. C. ab Urbano VIII. approbatum et Missali Romano praefixum.* Quod de pileolo, valet etiam de coma fictitia (Perücke): dispensatio eandem deferendi *infra* Missam spectat ad Summum Pontificem, *extra* Missam in sacris functionibus ad Episcopum. (Cfr. *Bened. XIV. Instit. 97 et de Synod. dioec. lib. 11, cap. 9.)*

positae profunde inclinat.[1] Si autem in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectens unico genu in plano presbyterii ante infimum gradum altaris, debitam facit reverentiam;[2] si SS. Sacramentum expositum est, utroque genu flexo pariter in plano ante infimum gradum altaris caput profunde inclinat *(D. auth. n. 2682 ad 49; cfr. Caerem. Episc. I, 12, 9)*. Tunc ascendit in medium altaris; ibi in cornu Evangelii sistit calicem [si SS. Sacramentum est expositum, genuflectit unico genu[3] et sine capitis inclinatione *(Gardellini)*], extrahit corporale de bursa, quod extendit in medio altaris et super illud calicem velo coopertum collocat, bursam autem ad cornu Evangelii. Si in altari paramenta accepit, quod extra casum necessitatis minime licet neque e medio neque e cornu altaris (cf. *D. auth. n. 1480)*, hoc idem facit antequam descendat ab altari, ut Missam inchoet.

Collocato calice in altari,[4] accedit,[5] ad cornu Epistolae, Missale super cussino aperit,[6] reperit Missam, et signacula suis locis accommodat. Deinde

---

[1]) Cfr. pag. 50.

[2]) Absque capitis inclinatione post genuflexionem.

[3]) Minister in Missa privata iusta de causa celebrata ad altare, ubi SS. Sacramentum est expositum, in accessu et recessu utroque genu, *intra* Missam unico genu genuflectere debet (*D. auth. n. 3426 ad VI)*.

[4]) SS. Sacramento in altari exposito, celebrans genuflectit sine capitis inclinatione, quandocumque accedit vel recedit a medio altaris, vel transit ante Sacramentum *(Rubr. gen. Miss. tit. 17 n 1 et Rubr. Miss. feriae V in Coena Domini)*.

[5]) Manibus iunctis *(Auctores)*. De cetero cfr. pag. 49, not. 2.

[6]) In Missa privata non licet ministro aperire Missale *(D. auth. n. 2572 ad 5)*.

rediens ad medium altaris, facta primum cruci reverentia, vertens se[1]) ad cornu Epistolae descendit post infimum gradum altaris, ut ibi faciat confessionem.

3. De principio Missae et confessione facienda sacerdos, cum primum descenderit sub infimum gradum altaris[2]) convertit se ad ipsum altare, ubi stans in medio, iunctis manibus ante pectus, extensis et iunctis pariter digitis, et pollice dextro super sinistrum posito in modum crucis, quod semper servatur, quando iunguntur manus, praeterquam post Consecrationem, detecto capite, facta prius cruci vel altari profunda reverentia — i. e. profunda capitis et corporis inclinatione — vel si in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione — [etiamsi SS. Sacramentum est expositum, unico genu flectit in infimo gradu altaris, *D. auth. n. 2682 ad 49 et Gardellini Comment. in Instruct. Clement.* § *30 n. 26*] — erectus incipit Missam. Stans igitur celebrans ante infimum gradum altaris (ut supra) producens manu dextra a fronte ad pectus signum crucis, dicit intelligibili (clara) voce:

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Quod idem observatur in Missa solemni et simul etiam a ministris.

Cum seipsum signat, semper sinistram ponit

---

1) Statim absque ulla mora *(Merati et Gardellini)*, aliquantulum de medio altaris recedens *(Merati)*.

2) Si altare habet plures gradus, non debet necessario descendere usque ad planitiem, sed satis est, ut a predella descendat *(D. auth. n. 1265 ad 4)*.

infra pectus; in aliis benedictionibus, *cum est ad altare,* et benedicit *oblata, vel aliquid aliud,* ponit eam super altare, nisi aliter notetur. *Seipsum* benedicens vertit ad se palmam manus dextrae, et omnibus illius digitis iunctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum signum crucis format. Si vero *alios* vel *rem aliquam* benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis et extensis, quod in omni benedictione observatur.

Postquam dixerit: *In nomine Patris et Filii etc.* ut supra, iungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam:

Introibo ad altare Dei.

Minister [1]) vero post eum ad sinistram genuflexus prosequitur:

Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

Deinde sacerdos eodem modo stans incipit et prosequitur cum ministro alternatim Psalmum *Judica me, Deus,* usque ad finem, cum *Gloria Patri:* quod cum dicit, caput cruci inclinat. Quo finito repetit Antiphonam *Introibo,* cum ministris ut supra.

---

1) Satagendum quidem est, ut minister sit debite versatus in omni officio suo, praesertim in responsis, quae ipsi obveniunt, faciendis; ceterum „celebrans non faciat sibi scrupulum, si minister male pronuntiet, nec facile inter celebrandum corrigat errores, ne turbet se vel circumstantes, sed (monet Lacroix) suppleat omissa a ministrante" *(Scavini III, 611).* Urgente necessitate potest sacerdos (etiam ex sola devotione celebraturus, ut probabiliter complures sentiunt) uti *ministerio mulieris tantum pro responsis,* omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulier inserviat altari: *D. auth. n. 2745 ad 8).*

Repetita Antiphona *Introibo,* dextra manu producens signum crucis a fronte ad pectus dicit *V. Adiutorium nostrum in nomine Domine. R. Qui fecit coelum et terram.*

Deinde altari se profunde inclinans iunctis manibus dicit *Confiteor.*[1] *Deo omnipotenti* etc. ut in Ordine Missae, et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a ministro vel ministris dictum sit *Misereatur etc.* Cum incipitur a ministris *Confiteor,* se erigit. Cum dicit *mea culpa,* ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita.

Facta a circumstantibus confessione, celebrans stans (iunctis manibus) respondet: *Misereatur vestri etc.* Deinde producens manu dextra a fronte ad pectus signum crucis dicit: *Indulgentiam, absolutionem etc.*

Et stans inclinatus iunctis manibus prosequitur: *Deus, tu conversus etc.* et quae sequuntur in Ordine Missae, clara voce usque ad Orationem *Aufer a nobis etc.*; et cum dicit (clara voce) *Oremus,* extendit et iungit manus.

4. De Introitu, Kyrie eleison et Gloria in excelsis. Dum dicit *Aufer a nobis etc.* celebrans[2] iunctis manibus ascendit ad medium altaris et ibi inclinatus [si SS. Sacramentum expositum est, genuflectitur, *Mem. Rit.*] manibusque item iunctis super eo positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabu-

---

1) *Confiteor* in Missa dicendum est pure et simpliciter prout habetur in Missali Romano, absque additione alicuius Sancti, etiam Patroni, nisi adsit speciale indultum Apostolicae Sedis *(D. auth. n. 1332, 5; n. 2142).*

2) Finita confessione celebrans, exposito SS. Sacramento, ascendit ad altare sine genuflexione, quam aliqui perperam faciunt *(Gardellini).*

lae tangant, residuo manuum inter altare et se retento, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito, quae omnia semper observantur, cum manus iunctae super altare ponuntur, secreto dicit *Oramus te, Domine etc.* et cum dicit *quorum reliquiae hic sunt*, osculatur altare in medio, manibus extensis aequaliter hinc inde super eo positis, quod semper servatur, quando osculatur altare, sed post Consecrationem pollices ab indicibus non disiunguntur. In omni etiam deosculatione sive altaris, sive libri, sive alterius rei non producitur signum crucis pollice vel manu super id, quod osculandum est. Osculato altari [si SS. Sacramentum expositum est, iterum genuflectitur, *Mem. Rit.*] accedit ad cornu eius sinistrum i. e. Epistolae [1]) ubi stans versus altare et producens a fronte ad pectus signum crucis [2]) incipit intelligibili voce Introitum Missae et prosequitur iunctis manibus. Cum dicit *Gloria Patri* tenens iunctas manus, caput inclinat versus crucem. Cum repetit Introitum, non signat se, ut prius, et eo repetito, iunctis manibus ante pectus accedit ad medium altaris, ubi [si SS. est expositum, genuflectit et] stans versus illud similiter manibus iunctis dicit eadem voce alternatim cum ministro *Kyrie eleison* etc. Si minister, vel qui intersunt, celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.

---

[1]) Olim haec pars altaris dextera appellabatur ex manu dextera sacerdotis ad altare conversi; sed anno 1485 statutum fuit in Pontificali Romano, ut dextera et sinistra altaris pars diceretur respectu habito ad crucifixum, ita ut pars Evangelii sit dextera, sinistra pars Epistolae.

[2]) In Missa de Requie non signat se, sed manu dextra extensa facit signum crucis super librum — sinistra super altare posita *(D. auth. n. 2572 ad 25)*; — non dicitur *Gloria Patri*, sed statim repetitur *Requiem aeternam.*

Dicto ultimo *Kyrie eleison* sacerdos stans in medio altaris et manus extendens, elevansque usque ad humeros, quod in omni manuum elevatione observatur, voce praedicta incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis.* Cum dicit *Deo*, iungens manus, caput cruci (aliquantulum) inclinat; quo erecto stans iunctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit *Adoramus te, gratias agimus tibi, Jesu Christe, suscipe deprecationem nostram,* et iterum *Jesu Christe,* caput cruci inclinat. Cum dicit in fine *cum sancto Spiritu*, seipsum a fronte ad pectus signat,[1]) interim absolvens, *in Gloria Dei Patris. Amen.*

6. De Oratione. Dicto Hymno *Gloria in excelsis,* vel, si non sit dicendus, eo omisso, celebrans osculatur altare[2]) in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis [si SS. Sacramentum expositum est, genuflectit, *Mem. Rit.*], tum illis ante pectus iunctis, et demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est per eam partem, quae respicit cornu Epistolae, et extendens ac iungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce praedicta *Dominus vobiscum,* et iunctis, ut prius, manibus [si SS. Sacr. expositum est, iterum genuflectit, *Mem. Rit.*],

---

[1]) Aliqui rubricarum expositores dicunt, post signum crucis, quod fit in fine *Gloria in excelsis*, *Credo* et *Sanctus*, manus esse iungendas, etiamsi nihil eiusmodi praescribat rubrica, Rectene? Resp. Serventur Rubricae: *(D. auth. n. 2682 ad 29).* Rubrica autem praescribit, ut sub cruce verba ista proferantur.

[2]) Ratio osculandi altare exposito SS. Sacramento haec est, ,,ut, quoties sacerdos iam est in medio altaris, prius illud osculari debeat, et postea genuflectere; quando vero non est in medio, sed venit ab aliquo altaris latere, prius genuflectat et postea osculetur altare'' *(Gardellini Comment. in Instr Clement. § 50).*

revertitur per eandem viam ad librum, ubi eas extendens et iungens ante pectus, caputque cruci inclinans, dicit *Oremus;* tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus dicit Orationem. Cum dicit *Per Dominum nostrum,* iungit manus easque iunctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio, *Qui tecum,* vel *Qui vivis,* cum dicit *in unitate*, iungit manus.

Cum nominatur nomen *Jesus*, caput versus crucem inclinat, quod etiam facit, cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen beatae Mariae, [1]) vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio, item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus crucem: nisi in loco principali altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam caput inclinatur.

Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis in voce, in extensione manuum et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

In Quatuor Temporibus vel alias, quando dicendae sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie eleison* in medio altaris, revertitur ad cornu Epistolae, ubis stans ante librum, extensis et iunctis ante pectus manibus, et caput cruci inclinans dicit: *Oremus: flectamus genua;* et illico manibus super altare extensis, ut se ipsum ad altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eadem voce ministro respondente *Levate,* manibus extensis dicit Orationem, ut supra, et in conclusione eas iungit.

---

1) Sed in festo Assumpt. B. M. V. ad verba „*Optimam partem elegit sibi Maria*", caput non inclinandum est, quia sermo non est de B. M. V. *(D. auth. n. 3872 ad VI).*

Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum vel altare positas, ut mox dicetur de Epistola.

6. De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium. Dictis Orationibus celebrans, positis super librum vel super altare manibus, ita ut palmae librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce, et respondetur a ministro *Deo gratias*; et similiter stans eodem modo prosequitur Graduale, Alleluia, et Tractum ac Sequentiam, si dicenda sint.

Quibus dictis sacerdos, si privatim celebret, ipsemet, seu minister portat librum Missalis ad alteram partem altaris in cornu Evangelii, et dum transit ante medium altaris, caput cruci inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris, et non ad parietem, sive ad partem eius contra se directam. Locato Missali in altari, celebrans redit ad medium altaris, ibique [si SS. est expositum genuflectit et] stans iunctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis (crucem aspiciendo, *D. auth. n. 2960 ad 3)* et statim demissis, tum profunde inclinatus dicit secreto: *Munda cor meum* et (nisi celebret pro defunctis) *Jube Domine benedicere; Dominus sit etc.* Quibus dictis [si SS. est expositum, iterum genuflectit] vadit ad librum Missalis, ubi, stans versus illum iunctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce: *Dominus vobiscum:* deinde (sinistra super Missale posita: D. auth. n. 2572 ad 11) pollice dextrae manus signo crucis signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore et pectore, dicens: *Sequentia* vel *Initium sancti Evangelii etc.*

Tum iunctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem; quo finito, sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii dicens: *Per evangelica*

dicta etc., praeterquam in Missis defunctorum[1]) et nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali et Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum residentiis, quo casu defertur cuilibet praedictorum osculandus liber, et celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit: *Per evangelica dicta* etc. Cum autem nominatur *Jesus*, celebrans caput versus librum inclinat; et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum. [Si SS. Sacramentum in altari publice sit expositum, genuflexio infra Evangelium et proinde etiam inclinatio ad SS. nomen Jesu versus SS. Sacramentum faciendae sunt. *Memoriale Rituum in Coena Domini, cap. 2*, § *1, n. 21.*]

Dicto Evangelio, stans in medio altaris [si SS. est expositum, genuflectit et] versus crucem elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo.*[2]) Cum dicit *in unum Deum*, iungit manus et caput cruci inclinat; quo erecto, stans ibidem iunctis ante pectus manibus, ut prius prosequitur usque in finem. Cum dicit *Jesum Christum*, caput cruci inclinat. Cum dicit *et incarnatus est*, usque ad *et homo factus est* inclusive, genuflectit (unico genu). Cum dicit *simul adoratur*, caput cruci inclinat. Cum dicit *et vitam venturi saeculi. Amen*, producit sibi manu dextra signum crucis a fronte ad pectus.[3])

7. De Offertorio et aliis usque ad Cano-

---

1) In Missis defunctorum sacerdos nec osculatur Evangelium nec dicit „*Per evangelica dicta etc.*", ut ex *ipsa Rubr. Missalis patet.*

2) Si autem sit praedicandum, concionator finito Evangelio praedicet, et sermone sive concione expleta, dicatur *Credo,* vel, si non sit dicendum, *Offertorium (Rit. celebr. Miss. VI, 6).*

3) Vide notam 1 supra pag. 73 positam.

nem. Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium celebrans osculatur altare in medio [si SS. est expositum, genuflectit] et iunctis manibus ante pectus ibidem a manu sinistra ad dextram, ut dictum est supra, vertit se ad populum, et extendens ac iungens manus, dicit *Dominus vobiscum,* et iunctis manibus revertitur per eandem viam ad medium altaris, ubi [coram SS. exposito iterum genuflectit et] extendens et iungens manus, caputque cruci inclinans dicit *Oremus;* tum iunctis, ut prius, manibus dicit Offertorium; et omnia, quae usque ad finem Missae in medio altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad altare, nisi ubi aliter ordinatur.

Dicto offertorio discooperit calicem et ad cornu Epistolae sistit, et manu dextra amovet parvam pallam desuper hostiam, accipit patenam [1]) cum hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis et statim

---

[1]) Si fuerint aliae hostiae non super patenam, sed super corporale vel in alio calice seu vase pro Communione populi consecrandae, calicem illum, seu vas dextra discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens dicit: *Suscipe, sancte Pater hanc immaculatam hostiam* etc. (NB. semper in numero singulari), et oblatione facta vas seu calicem alia patena vel palla cooperit *(Rit. celebr. Miss. VII, 3).* Si *multae* sunt particulae consecrandae, satius est, eos ponere in pyxide; si *paucae,* poni possunt in alia patena, nunquam vero in alio corporali complicato. — Hostia maior pro ostensorio ponitur in patena, et post oblationem inter calicem et hostiam sacrificii (si desit spatium, ponatur in latere Evangelii iuxta hostiam sacrificii in corporali), vel, quum difficile aptari possit in lunula, potest in ipsa lunula antea collocata poni in corporali et sic consecrari. Offerens hostiam sacrificii intentionem suam etiam ad hanc maiorem pro ostensorio dirigere debet.

demissis, dicit: *Suscipe, sancte Pater* etc. Quo dicto patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum crucis super corporale et deponit hostiam circa medium anterioris partis corporalis ante se, et patenam ad manum dextram aliquantulum subtus corporale, quam exterso calice, ut dicetur, cooperit purificatorio.

Deinde [coram exposito SS. genuflectit] in cornu Epistolae accipit calicem, purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum celebrantis) et ponit vinum in calicem.[1]) Deinde eodem modo tenens calicem, producit (nisi celebret pro defunctis) signum crucis super ampullam aquae, et dicit: *Deus, qui humanae substantiae*[2]) et infundens parum aquae in calicem, prosequitur: *da nobis* etc. Imposita aqua in calice, eundem valde laudabiliter extergit purificatorio *(D. auth. n. 2572 ad 14)*, et finita Oratione praedicta, accipit manu dextra calicem discoopertum, et stans ante medium altaris [ubi exposito SS. genuflectit], ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert dicens: *Offerimus tibi Domine* etc., qua Oratione dicta, facit signum crucis cum calice super corporale et ipsum in medio post

---

1) Usus parvi cochlearis non est prohibitus *(D. auth. n. 3064 ad IV)*. — Relinquitur sacerdotis arbitrio, utrum purificatorium ponere velit super pedem calicis, dum praeparatur, an potius super patenam *(D. auth. n. 2572 ad 15)*.

2) Haec Oratio incipienda est a sacerdote eodem momento, quo benedicit aquam, non vero prius aqua benedicitur nihil dicendo, atque tunc demum illa Oratio incipitur.

hostiam collocat et palla cooperit. Deinde iunctis manibus super altare positis, aliquantulum inclinatus, dicit secreto: *In spiritu humilitatis* etc. Postea erectus elevans oculos (statimque demittens), manusque expandens et (in altum porrectas) statim iungens ante pectus, quod semper facit, quando aliquid est benedicturus, dicit: *Veni, Sanctificator* etc.; cum dicit: *et benedic,* signat manu dextra — (non transversa sed recta, quotiescumque crucem format super oblata: *D. auth. n. 1275 ad 4)* — communiter super hostiam et calicem, sinistra posita super altare.

Tunc [exposito SS. genuflexus] iunctis ante pectus manibus accedit ad cornu Epistolae, ubi stans [SS. Sacramento exposito, ibidem sive loco ordinario, sive in plano, prout fert consuetudo, si modo terga non vertat SS. Sacramento, *D. auth. n. 2682 ad 48*] ministro aquam fundente, lavat manus, i. e. extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psalmum *Lavabo inter innocentes,* cum *Gloria Patri* etc., sub quo congruit caput versus crucem inclinare; qui versus *Gloria Patri* praetermittitur in Missis defunctorum et in Missis de tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum sanctum exclusive.

Celebrans lotis manibus eas tergit, et illis ante pectus iunctis revertitur ad medium altaris, ubi [exposito SS. genuflectit et] stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus iunctis super altare, aliquantulum inclinatus, dicit secreto Orationem *Suscipe, sancta Trinitas* etc. Qua dicta, manibus hinc inde extensis et super altare positis, osculatur illud in medio [et si SS. Sacram. expositum est, genuflectit, *Mem. Rit.*]; tum iunctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum, et versus eum extendens et iungens manus, dicit

voce aliquantulum (paululum) elata: *Orate fratres*, et secreto prosequens *ut meum ac vestrum sacrificium* etc. perficit circulum revertens iunctis manibus ante pectus a manu dextra ad medium altaris [si SS. Sacr. expositum est, circulum non perficit sed eadem via revertitur et iterum genuflectit [1]): ita *Mem. Rit. Rubr. Miss. feria 6 maioris hebd.*]. Et responso a ministro vel a circumstantibus [2]) *Suscipiat Dominus* etc. ipse celebrans submissa voce dicit: *Amen*, et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio altaris versus librum dicit absolute, sine *Oremus* et sine alia interpositione, Orationem vel Orationes Secretas. Cum dicit *Per Dominum*, iungit manus; cum dicit *Jesum Christum* caput inclinat, quod facit in prima Oratione et in ultima, si plures sint dicendae. Ubi autem pervenit in conclusione ultimae Secretae ad verba illa *Per omnia saecula saeculorum* exclusive, sacerdos stans in medio altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili (clara) voce Praefationem.

Cum dicit *Sursum corda*, elevat manus hinc inde extensas (aliquantulum) usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit *Gratias agamus Domino*, iungit manus (ante pectus), cum dicit *Deo nostro*, oculos elevat, et statim cruci caput inclinat. Responso *Dignum et iustum est*, elevatis et extensis, ut prius, manibus (disiungit manus et disiunctas tenet usque ad finem Praefationis), prosequitur Praefationem propriam vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit *Sanctus*, iunctis ante pectus manibus et inclinatus voce mediocri prosequitur, ministro interim parvam cam-

---

1) *Gavanti* part, II, tit. 14 n. 19.

2) Alioquin ipse sacerdos respondet dicens... *sacrificium de manibus meis* etc.

panulam pulsante. Cum dicit *Benedictus qui venit in nomine Domini* etc., erigit se, et signum crucis sibi producit a fronte ad pectus.

8. De Canone Missae usque ad Consecrationem. Finita Praefatione sacerdos stans ante medium altaris versus ad illud, aliquantulum elevat manus [extendens et iungens manus], oculisque elevatis ad Deum et sine mora devote demissis ac manibus iunctis et supra altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem [1]) secreto dicens: *Te igitur* etc. Cum dicit *uti accepta habeas et benedicas,* prius osculatur altare in medio, deinde erigit se, et stat iunctis manibus ante pectus. Cum dicit *haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia illibata,* dextra signat ter communiter super hostiam et calicem. Deinde, extensis manibus ante pectus, prosequitur *imprimis quae tibi offerimus* etc. Ubi dicit *una cum famulo tuo, Papa nostro N.* exprimit nomen Papae et caput versus librum aliquantulum inclinat; sede autem vacante praedicta omittuntur. Ubi dicitur et *Antistite nostro N.* [2]) specificatur nomen Patriarchae, Archiepiscopi vel Episcopi Ordinarii in propria dioecesi et non alterius Superioris, etiamsi celebrans sit omnino exemptus [3]) vel sub alterius Episcopi iurisdictione. Si vero Episcopus Ordinarius illius loci,

---

1) Incepto Canone non debet sacerdos Missam interrumpere et genuflectere, quando tabernaculum aperitur; sed solummodo parum e medio recedere *(De Herdt I, 230).*

2) Et quidem a die captae possessionis vel per Episcopum ipsum, vel per suum procuratorem *(D. auth. n. 3500 ad II).* — Exprimendum est nomen illius Episcopi (Ordinarii), in cuius dioecesi celebratur; quod si ignoratur, dicitur solummodo *Antistite nostro.*

3) Non sunt nominandi Superiores Regularium nomine Antistitis *(Decr. gener. inter D. auth. n. 1333, 9).*

in quo Missa celebratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur: quae etiam omittuntur ab iis, qui Romae celebrant.[1])

Cum dicit *Memento, Domine*, elevans et iungens manus usque ad faciem vel pectus, sic iunctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite (orat aliquantulum pro quibus orare intendit), faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret; non tamen necesse est, ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

Commemoratione vivorum facta, demissis et extensis ut prius manibus, continuat: *et omnium circumstantium* etc. Similiter stans prosequitur *Communicantes.* Cum dicit *Jesu Christi*, caput cruci inclinat; in conclusione, quando dicit *per eundem*, iungit manus. Cum dicit *Hanc igitur oblationem*, expandit manus simul super oblata, ita ut palmae sint apertae versus ac supra calicem et hostiam (pollex dexter ponatur supra sinistrum in modum crucis, ita ut uterque sit supra, non infra manus, *D. auth. n. 1275 ad 5)*, quas sic tenet (expansas) usque ad illa verba *per Christum Dominum nostrum.* Tunc enim iungit manus et sic prosequitur: *Quam oblationem tu, Deus, in*

---

[1]) Ut licite in Canone addi queat nomen Principis ditionis, in qua Missa peragitur, speciale requiritur S. Sedis indultum.

omnibus, quaesumus; et cum dicit *bene†dictam, adscrip†tam, ra†tam,* communiter signat (manu recta, *ibid. ad 4)* ter super hostiam et calicem simul, deinde cum dicit *ut nobis Corpus,* separatim signat semel super hostiam tantum; et cum dicit *et Sanguis,* semel super calicem tantum;[1]) deinde elevans et iungens manus ante pectus, prosequitur: *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi,* et inclinans caput cruci, extergit, si opus fuerit, pollices et indices super corporale et dicit secreto: *Qui pridie quam pateretur,* et accipiens pollice et indice dextrae manus hostiam, et eam cum illis ac indice et pollice sinistrae manus tenens, stans erectus ante medium altaris dicit: *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* elevansque ad caelum oculos et statim demittens dicit: *et elevatis oculis in caelum ad te, Deum, Patrem suum omnipotentem,* caputque aliquantulum inclinans dicit: *tibi gratias agens,* et tenens[2]) hostiam inter pollicem et indicem sinistrae manus, dextra producit signum crucis super eam dicens *bene†dixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: accipite et manducate ex hoc omnes.* Deinde cubitis super altare positis, stans capite inclinato, distincte, reverenter et secreto (et attente) profert verba Consecrationis[3]) super hostiam et simul super

---

[1]) Hae cruces aequali altitudine formandae sunt. Cfr. de Herdt I, n. 133.

[2]) Si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis, antequam accipiat hostiam, discooperit manu dextra calicem seu vas aliarum hostiarum *(Rit. celebr. Miss. VIII, 5),* et intentionem suam ad eas extendit, proferendo verba consecrationis super hostiam suam et simul super omnes, quae sunt consecrandae; nullas vero caeremonias super species minores facit.

[3]) Verba consecrationis proferenda sunt *continuate* i. e. uno contextu, nulla mora inter singula verba interposita;

omnes particulas, si plures sint consecrandae, et hostiam suam pollicibus et indicibus tantum tenens dicit: *Hoc est enim Corpus meum.* Quibus prolatis, (statim) celebrans tenens hostiam inter pollices et indices praedictos super altare, reliquis manuum digitis extensis et simul iunctis, et hostiis, si plures sint consecratae in loco, in quo a principio Missae positae sunt, super corporale vel in alio vase aut calice dimissis, genuflexus eam adorat, tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum hostiam et intentis in eam oculis, quod et in elevatione calicis facit, populo reverenter ostendit adorandam, et mox sola manu dextra ipsam reverenter reponit super corporale [1]) in eodem loco, unde eam levavit (iterum adorat), et deinceps pollices et indices non disiungit, nisi quando hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem.

Celebrans adorato Sacramento surgit et disco-

---

naturaliter, i. e. uti inter homines propositio aliqua enuntiari solet, ut verba phrasim et sensum efforment; *reverenter,* absque magno conatu aut aspiratione, absque capitis motu aut contorsione; non solum narrative seu historice, sed *assertive,* cum intentione efficiendi quod significant; *secreto,* i. e. voce ita demissa, ut sacerdos possit, non ut circumstantes possint audire; *semel* tantum, quia Sacramentorum formas, et a fortiori tam sancta consecrationis verba, sine gravi causa repetere non licet.

1) Si adsit vas aliarum hostiarum, patena vel palla cooperit *(Rit. celebr. Miss. VIII, 6)* et saltem non ante sumptionem SS. Hostiae, meditatione peracta, antequam discooperiatur calix, facta prius genuflexione, in tabernaculum inferri possunt; melius post sumptum ss. sanguinem. Ita etiam hostiae minores super corporale consecratae ibidem relinquntur usque dum celebrans communicavit. (Cfr. de Herdt I, 277 et hic infra pag. 90 not. 2.)

operit calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhaereat, et stans erectus dicit: *Simili modo postquam coenatum est,* et ambabus manibus accipiens calicem iuxta nodum infra cuppam, et aliquantulum illum elevans, ac statim deponens, dicit: *accipiens et hunc praeclarum calicem* etc. Cum dicit: *item tibi gratias agens,* caput inclinat; cum dicit: *benedixit,* sinistra calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum et prosequens: *deditque discipulis suis* etc. et ambabus manibus tenens calicem (parum elevatum), videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super altare positis et capite inclinato profert attente, continuate et secreto, ut supra, verba Consecrationis Sanguinis: *Hic est enim calix* etc. Quibus dictis reponit calicem super corporale, et dicens secreto: *Haec quotiescumque feceritis* etc. genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tunc se erigit, et accipiens calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius, elevat eum, et erectum, quantum commode potest, ostendit populo adorandum; mox ipsum reverenter reponit super corporale in locum pristinum, et manu dextra palla cooperit ac genuflexus Sacramentum veneratur (iterum adorat).

9. De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam. Reposito calice et adorato, sacerdos stans ante altare extensis manibus ante pectus dicit secreto: *Unde et memores* etc. Cum dicit *de tuis donis ac datis,* iungit manus ante pectus; et cum dicit *hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam,* manu sinistra posita super altare intra corporale, dextra signat ter communiter super hostiam et calicem, et semel super hostiam tantum et semel super calicem tantum dicens: *panem † sanctum vitae*

aeternae, et calicem † salutis perpetuae; deinde stans, ut prius, extensis manibus prosequitur: *Supra quae propitio* etc. Cum dicit *Supplices te rogamus* etc., inclinat se (profunde inclinatus) ante medium altaris, manibus iunctis super illo positis (non intra corporale) (*D. auth. n. 2572 ad 21); cum* dicit *ex hac altaris participatione,* osculatur altare, manibus hinc inde super corporale positis; cum dicit *sacrosanctum Filii tui,* iungit manus, et dextra signans semel super hostiam tantum, et semel super calicem, sinistra super corporale posita, dicit *Cor†pus et San†guinem sumpserimus*, et cum dicit *omni benedictione † coelesti,* seipsum signat a fronte ad pectus signo crucis, sinistra posita infra pectus, et prosequitur: *et gratia repleamur;* cum dicit *Per eundem,* iungit manus.

Cum dicit *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum* etc., extensis et iunctis manibus ante pectus et usque ad faciem elevatis et intentis oculis ad Sacramentum super altare, facit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur (orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit), eodem modo, ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius extensis manibus prosequitur: *Ipsis, Domine, et omnibus in Christo* etc. et in fine ad *Per eundem* iungit manus et caput inclinat.

Cum dicit *Nobis quoque peccatoribus,*[1]) vocem aliquantulum elevat (elata parum voce) et dextra manu pectus sibi percutit, sinistra posita super corporale, et prosequitur secreto *famulis tuis* etc., stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit *Per*

---

[1]) S. Joannes, qui hic nominatur, est S. Joannes Baptista; S. Petrus est ille exorcista, qui anno 304 capite truncatus est, et cuius festum celebratur 2. Junii *(Act. Sanct. Junii tom. I, pag. 171).*

Christum Dominum nostrum, per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, iungit manus ante pectus, deinde manu dextra ter signans communiter (simul) super hostiam et calicem, dicit: *san†ctificas, vivi†ficas, bene†dicis et praestas nobis.* Postea discooperit manu dextra calicem et genuflexus Sacramentum adorat; tum se erigit et reverenter accipit hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum ea super calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium (calicis) dicens: *per † ipsum et cum † ipso et in † ipso.* Similiter cum hostia signat bis inter calicem et pectus, incipiens a labio calicis et dicit: *est tibi, Deo, Pa†tri omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti;* deinde tenens manu dextra hostiam super calicem, sinistra calicem, elevat eum aliquantulum (parum) simul cum hostia, dicens: *omnis honor et gloria,* et statim utrumque deponens, hostiam collocat super corporale, et si opus sit, digitos extergit, ut supra, ac pollices et indices ut prius iungens, calicem palla cooperit, genuflexus Sacramentum adorat.

10. De Oratione Dominica et aliis usque ad factam Communionem. Celebrans, cooperto calice adoratoque Sacramento, erigit se, et manibus extensis hinc inde super altare intra corporale positis, dicit intelligibili voce: *Per omnia saecula saeculorum;* et cum dicit *Oremus,* iungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit *Pater noster,* extendit manus et stans, oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso a ministro: *Sed libera nos a malo*, et a celebrante submissa voce (secreto) *Amen,* manu dextra, pollice et indice non disiunctis, patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem et medium digitos, quam tenens super altare erectam, sinistra super corporale posita,

dicit secreto *Libera nos, quaesumus* etc. Antequam celebrans dicat *da propitius pacem,* elevat manu dextra patenam de altari et seipsum cum ea signat signo crucis a fronte ad pectus, dicens *da propitius pacem in diebus nostris.* Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus; deinde patenam ipsam osculatur (congruentius in extremitate, seu ora patenae *D. auth. n. 1711 ad 5)* et prosequens: *ut ope misericordiae tuae* etc. submittit patenam hostiae, quam indice sinistro accommodat super patenam,[1]) discooperit calicem, et genuflexus Sacramentum adorat; tum se erigens, accipit hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus et cum illis, ac pollice et indice sinistrae manus eam super calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens: *per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,* et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextrae manus tenet, ponit super patenam; de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dextrae manus particulam (et quidem ex inferiori parte, *D. auth. n. 1275 ad 6)* prosequens *qui tecum vivit et regnat,* et eam inter ipsos dextrae manus pollicem et indicem retinens, partem maiorem, quam sinistra tenet, adiungit mediae super patenam positae, interim dicens *in unitate Spiritus sancti Deus,* et particulam hostiae, quam manu dextra retinuit, tenens super calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit: *Per omnia saecula saeculorum.* R. *Amen*; et cum ipsa particula signans ter a

---

[1]) Alii volunt, patenam parum e medio corporalis removendam esse versus cornu sive Epistolae sive Evangelii, alii volunt eam in medio corporalis esse collocandam: quare unicuique liberum manet id eligere, quo melius consulere putet reverentiae SS. Sacramenti.

labio ad labium calicis dicit: *Pax † Domini sit † semper vobis†cum.* Responso per ministrum: *Et cum spiritu tuo,* particulam, quam dextra manu tenet, immittit in calicem, dicens secreto: *Haec commixtio* etc. Deinde pollices et indices super calicem aliquantulum tergit, et iungit, calicem palla cooperit et genuflexus Sacramentum adorat, surgit et stans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum (inclinatus Sacramento), dicit intelligibili voce: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,* et dextra percutiens sibi pectus, sinistra super corporale posita, dicit: *miserere nobis*, et deinde non iungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo: *miserere nobis,* quod et tertio facit, cum dicit: *dona nobis pacem.*

Tunc manibus iunctis super altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto: *Domine Jesu Christe* etc. Qua Oratione finita, si est daturus pacem, osculatur altare in medio et instrumentum pacis [1]) ei porrectum a ministro iuxta ipsum ad dexteram, hoc est in cornu Epistolae, genuflexo, et dicit *Pax tecum;* minister respondet *Et cum spiritu tuo.* Si non adsit, qui huiusmodi instrumento pacem recipiat a celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missae conveniat; nec osculatur altare, sed dicta praemissa Oratione statim subiungit alias Orationes, ut in Ordine Missae.

Si vero celebret pro defunctis, non percutit pectus ad *Agnus Dei,* quia dicit *dona eis requiem,* nec dicit primam Orationem *Domine Jesu Christe* etc., et non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes Orationes.

Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secreto: *Panem*

---

1) De hoc lege *Caerem. Episcoporum* lib. I, cap. 24 et 30.

coelestem accipiam etc., quo dicto dextra manu accipit de patena reverenter ambas partes hostiae et collocat inter pollicem et indicem sinistrae manus, quibus patenam inter eundem indicem et medium digitos supponit, et eadem manu sinistra tenens partes huiusmodi supra patenam inter pectus et calicem parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata (devote et humiliter): *Domine, non sum dignus* [1]) et secreto prosequitur: *ut intres* etc. Quibus tertio dictis ex sinistra accipit ambas partes praedictas hostiae inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum illa supra patenam signat seipsum signo crucis, ita tamen, ut hostia non egrediatur limites patenae, dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Christi* (inclinat caput (*D. auth. n. 2850 ad 1*) *custodiat animam meam* etc. et se inclinans, cubitis super altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit; quibus sumptis deponit patenam super corporale, et erigens se, iunctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit et aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti.[2])

---

[1]) Ex consuetudine pulsatur ter campanula a ministro.

[2]) Sumpta SS. Hostia et meditatione peracta, antequam discooperiatur calix, potest pyxis, in qua minores hostiae consecratae sunt, si nemo communicandus neque ciborium purificandum sit, in tabernaculo poni, facta genuflexione postquam tabernaculum apertum est, et antequam denuo clauditur: melius etiam pyxis reponitur post sumptum S. Sanguinem. Si vero SS. Communio distribuenda est, sumpta S. Hostia, particulas, si sint super corporali consecratae, in ciborio (vel patena) ponit et in medio corporalis collocat, et sumpto SS. Sanguine pro Communione distribuuntur. „Si vero adsint hostiae consecratae super corporale positae pro alio tempore conservandae, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit, ne aliquod fragmentum quantumcumque minimum remaneat supra corporale; quodsi fuerit, accurate reponit in calicem.“ *(Rit. celebr. Miss. X, 5.)*

Deinde depositis manibus dicit secreto: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi;* et interim discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quae sint in eo, patenam quoque diligenter cum pollice et indice dextrae manus super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat. Post extersi-

---

Si in altari laterali, in quo non habetur tabernaculum, hostiae minores sunt consecratae, tunc ciborium cum hostiis in medio super extensum corporale relinquitur usque ad finem Missae, et celebrans se gerit ut coram SS. Sacramento exposito. Calix post eiusdem extersionem collocatur velatus a latere Evangelii. Missa finita sacerdos SS. Sacramentum cum lumine ad tabernaculum portat, et deinde redux ad altare plicat corporale, in bursam immittit, et calicem portans more solito in sacristiam redit. — Si alia pyxis purificanda est, celebrans reliquias sacrarum specierum indice mittit in calicem ante vel post sumptionem S. Sanguinis, et cum S. Sanguine vel ablutione sumit. Deinde primam purificationem accipit in pyxide, circumagit vinum intra pyxidem, et vinum ex pyxide in calicem infundit et sumit. Si novae species consecratae mox in pyxidem ponendae non sint, alteram digitorum ablutionem ad maiorem cautelam etiam in pyxide accipit, quo casu ad primam purificationem, vel etiam ad hanc alteram ablutionem pyxidem circumcirca abluit, et tandem ablutionem in calicem infundit et sumit. Si vero in eadem pyxide hostiae consecratae mox poni debeant, sacerdos eamdem semel tantum purificat et abluit, et postquam ablutionem pyxidis in calicem infundit, statim eamdem exsiccat purificatorio, et novas species consecratas imponit.

Sacerdos renovans S. hostiam in ostensorio positam, ex duabus, quas simul consecravit, hostiis maioribus unam (hostiam Missae) sumat et dein, meditatione peracta, antequam discooperiatur calix, alteram in lunula aut ostensorio ponit. Hostiam, quam ex ostensorio desumpsit, post sumptionem SS. Sanguinis sumat; nec licet eam frangere et pro Communione fidelium distribuere. (Cfr. *Gardellini, Commentarius ad Instructionem Clement. n. 24 ad § 31.)*

Hanc renovationem vel solam consumptionem SS. Sacramenti etiam in Missis defunctorum fieri posse, extra dubium est. (Cfr. infra de Sacram. administr., Ordo min. s. C. *Intra Missam;* et Manuale eccl. Rom. 1841, pag. 51 n. 145.)

onem patenae,[1]) iunctis pollicibus et indicibus, calicem dextra manu infra nodum cuppae accipit, sinistra patenam, dicens: *Calicem salutaris* etc. et signans se signo crucis cum calice dicit: *Sanguis Domini nostri* (cum dicit: *Jesu Christi* caput inclinat, *D. auth. n. 2850 ad 1*); et manu sinistra supponens patenam calici, stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in calice posita. Quibus sumptis (si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet; postea) dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* etc. et super altare porrigit calicem ministro in cornu Epistolae, quo vinum fundente se purificat: deinde vino et aqua[2]) abluit pollices et indices super calicem (in cornu Epistolae), quos abstergit purificatorio, interim dicens *Corpus tuum, Domine* etc. [SS° exposito, genuflectit et antequam ad cornu Epistolae accedit et cum reversus stat iterum in medio altaris, ubi] ablutionem sumit et extergit os et calicem purificatorio; quo facto purificatorium extendit super calicem, et desuper patenam, ac super patenam parvam pallam, et plicato corporali, quod reponit in bursam,[3]) cooperit calicem velo,[4]) et bursam desuper ponit et collocat[5]) in medio altaris, ut in principio

---

[1]) Ex rubrica Canonis sub collectione particularum et extersione patenae dicit: *Quid retribuam* etc.

[2]) Haec ablutio non debet sola aqua, aut solo vino fieri sine dispensatione Pontificia, quia in utraque ablutione materia per rubricas positive est praecepta, in quo solus Pontifex dispensare potest *(de Herdt I, n. 83, XIV)*.

[3]) Non licet retinere corporale extensum super altare toto tempore, quo Missae celebrantur et donec ab ultimo in eo celebrante reportetur ad sacristiam; nec licet corporale extra bursam deferre *(D. auth. n. 2146)*.

[4]) Tam in principio Missae, quam post Communionem calix velatus esse debet totus in parte anteriori *(D. auth n. 1379)*.

[5]) Ideoque calix, antequam cooperiatur, vel in cornu Epistolae, vel in cornu Evangelii ponendus est; perperam igitur agunt ii, qui eundem cooperiunt in medio altaris.

Missae (extergit os et calicem, quem operit, et plicato corporali collocat in altari, ut prius).

11. De Communione et Orationibus post Communionem dicendis. Celebrante purificato, dum calicem collocat in altari, liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolae et collocatur ut in Introitu. Deinde celebrans [si SS. est expositum, genuflectit et] se conferens ad cornu Epistolae stans iunctis manibus legit Antiphonam, quae dicitur Communio; qua lecta, iunctis item manibus ante pectus, vadit ad medium altaris, et eo [post genuflexionem, si SS. est expositum] osculato vertit se ad populum a manu sinistra ad dextram et dicit: *Dominus vobiscum,* et per eandem viam [post alteram genuflexionem, si SS. est expositum] redit ad librum, dicit Orationes post Communionem eisdem modo, numero et ordine, ut supra dictae sunt Collectae. Quibus finitis, claudit librum, et iungens manus ante pectus, revertitur ad medium altaris, ubi, eo [post genuflexionem, si SS. est expositum] osculato vertit se ad populum et dicit, ut supra: *Dominus vobiscum.* Quo dicto stans iunctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est: *Ite, Missa est,* et per eandem viam revertitur ad altare [et si SS. Sacramentum expositum est, iterum genuflectitur. *Mem. Rit.*]. Si vero non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum,* revertitur eodem modo per eandem viam ad medium altaris et stans versus ad illud, iunctis ante pectus manibus dicit: *Benedicamus Domino;* in Missis autem defunctorum eodem modo stans versus altare dicit: *Requiescant in pace.* (Tempore paschali, hoc est a Missa Sabbati sancti usque ad Sabbatum in Albis inclusive: *Ite, Missa est, Alleluia, Alleluia.)*

In Quadragesima autem a feria IV. Cinerum

usque ad feriam IV. maioris hebdomadae, in feriali officio, postquam celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat: *Dominus vobiscum,* stans in eodem loco ante librum, dicit: *Oremus, humiliate capita vestra Deo,*[1]) caput inclinans, extensis manibus subiungit eadem voce Orationem super populum ibidem positam; qua finita osculatur altare et vertens se ad populum dicit: *Dominus vobiscum* et alia ut supra.

12. De benedictione in fine Missae et Evangelio S. Joannis. Dicto *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* ut supra celebrans ante medium altaris stans, iunctis manibus super eo, et capite inclinato (sacerdos inclinat se), dicit secreto: *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc., quo dicto extensis manibus hinc inde super altare positis, ipsum in medio osculatur; tum erigens se,[2]) adhuc stans versus illud, elevat ad coelum oculos et manus, quas extendit (elevat), et iungit, caputque cruci inclinans, dicit voce intelligibili: *Benedicat vos omnipotens Deus,* et iunctis manibus ac demissis in terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, iunctisque digitis et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo dicens: *Pater et Filius † et*

---

[1]) S. R. C. interrogata „*utrum inclinandum sit caput dicendo tantum* **Oremus**, *vel etiam subiungendo:* **Humiliate capita vestra Deo**, *ut satis obvium est ex verbis ipsis rubricae Missalis tit. XI, n. 27*", die 12. Dec. 1879 respondit: „*Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*"; atque ita rescripsit ac servari mandavit.

[2]) Si autem celebravit Missam de Req., dicto *Placeat tibi* etc. et osculato altari, accedit ad cornu Evangelii et dicit Evangelium S. Joannis, praetermissa benedictione, quae in Missis defunctorum non datur *(Rit. celebr. Miss. XII, 4).*

Spiritus sanctus. R. *Amen:* et circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii [SS. Sacramento exposito, celebrans dicto *Placeat etc.* osculatur altare, dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus* sine capitis inclinatione, mox genuflectit, vertit se ad populum, benedictionem more solito impertitur, non perficit circulum, non accedit ad medium altaris, non genuflectit, sed ad altare conversus, progreditur ad cornu Evangelii *(Gardellini)*], ubi dicto *Dominus vobiscum* et R. *Et cum spiritu tuo,* pollice dextro signans primo signo crucis altare [si SS. Sacramentum in ipsa mensa altaris est positum, non signat altare, sed vel tabellam, vel librum si inde ultimum Evangelium sit dicendum, vel seipsum tantum ut notant *Rubr. Miss. fer. V. in Coena Domini et Mem. Rit. in Coena Domini*], seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os et pectus, dicit: *Initium sancti Evangelii secundum Joannem,* vel *Sequentia sancti Evangelii* etc. et R. *Gloria tibi Domine,* iunctis manibus legit Evangelium *In principio* vel aliud, ut convenit. Cum dicit *Et Verbum caro factum est,* genuflectit versus cornu Evangelii [SS. Sacramento exposito versus illud, *Mem. Rit.*] et surgens prosequitur, ut prius.[1]) Quibus omnibus absolutis, sacerdos accipit sinistra calicem, dextram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante

---

[1]) Preces, quae iussu Leonis XIII. post Missas privatas dici debent, dicendae sunt immediate post ultimum Evang., nulla alia actione interposita *(D. auth. n. 3682).* — In die Nativitatis Dni sacerdos, qui continenter dicit omnes tres Missas, non debet ter, sed semel tantum illas preces dicere; aliter, si interrumpit *(D. auth. n. 3705).* — Post Missam *conventualem,* etsi lectam, et similes, v. g. Missam Ordinationis, preces illae omittuntur *(D. auth. n. 3697 ad VII).*

infimum gradum altaris et ibi in medio, vertens se ad illud, caput inclinat (capite discooperto, *D. auth. n. 1333, 7 decr. gener.)* vel si in eo est tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectit idque in plano [et si SS. Sacramentum expositum est, utroque genu pariter in plano: *D. auth. n. 2682 ad 49*], et facta reverentia accipit biretum a ministro, caput cooperit, et praecedente eodem ministro, eodem modo quo venerat, redit in sacristiam, interim dicens Antiphonam trium puerorum et Canticum *Benedicite.* [1])

V. Ritus celebrandi Missam solemnem. [2])

(Ex fontibus pag. 62 citatis.)

De ingressu ad altare. Celebrans procedit cum diacono et subdiacono, qui capite cooperto simul cum eo tenent manus iunctas ante pectus, acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quae deinde collocantur super credentia; [3]) et cum pervenerit ante infimum gra-

---

1) Magistratui non est exhibendus honor qui reservatur Episcopis. (Cfr. *D. auth. n. 959.)*

2) Decreta, quae vetant plures Missas cantare eodem die de eodem Sancto vel Mysterio in eadem ecclesia, intelligenda sunt de Missa conventuali vel ea quae cum officio chorali coniungitur seu relationem habet. „Quapropter praefatas Missas sive ad petitionem viventium sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale officium ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas“ d. d. 30. Junii 1896 *(D. auth. n. 3921).*

3) Credentia in plano presbyterii a latere Epistolae paranda est, si loci dispositio patiatur . . . lineo mantili mundo superstrato, usque ad terram circumcirca pendente contegetur... In ipsius medio (ponetur) calix cum patena, palla, purificatorio, et bursa corporalia continens, tectus serico velo eiusdem coloris, quo cetera paramenta. Item

dum altaris,[1]) ibi medius inter diaconum a dextris et subdiaconum a sinistris,[2]) antequam ascendat ad altare,[3]) facit cum ipsis confessionem, ut supra (p. 69).

---

liber Evangeliorum et Epistolarum, et quaedam alia pro celebrationis necessitate et usu. Eaque omnia cooperiantur velo pulchriori, quo uti debebit subdiaconus, cum patenam tenebit. Neque crux, neque Sanctorum imagines in ea ponendae sunt *(Rubr. gen. Miss. tit. XX, et Caerem. Episc. lib. I, 12 n. 19—23).*

1) Cantores non possunt in choro incipere Introitum Missae, priusquam sacerdos ad altare pervenit *(D. auth. n. 2424 ad 7).*

2) Sacerdos assistens in Missa solemni debetur Episcopis aliisque praelatis Episcopo inferioribus, dum actu Pontificalia exercent *(Caerem. Episc. I, 7 et D. auth. n. 1131 ad 7 Decr. gen.).* Canonicis et Dignitatibus non permittitur nisi forte ex privilegio et antiquissima consuetudine; minus etiam simplicibus sacerdotibus permittitur *(D. auth. n. 2271, 2867 ad 2 S. R. C. id pro abusu prohibendo habuit),* excepta Missa solemni neosacerdotis. Sacerdos solemniter assistens neosacerdoti non potest subtus pluviale stolam gestare ac fidelibus cum patena ministrare, quoties Communio distribuitur; nec potest incensare celebrantem, quia hoc spectat ad diaconum. — Prohibetur usus rochetti, exceptis tamen quibus de iure competit, et praeter hoc statuitur et declaratur, nemini licere inservire aut assistere in celebratione Missarum aut divinorum officiorum cum rochetto neque cum cotta habente manicas angustas ad instar rochetti; et idem servandum est in concionibus *(Decretum S. R. C. ab Urbano VIII. approbatum).* — Diaconus et subdiaconus non debent adiuvare celebraturum, dum sacras vestes induit, i. e. non tenentur, sed possunt et licet, nisi sint Canonici: debent vero, si adsit consuetudo *(S. R. C. 23. April. 1875 Gardell. n. 5605).* — Possunt et debent indui paramentis sacris in eadem mensa, in qua planeta vel pluviali se induit celebrans, etiam si hic sit Canonicus et Dignitas *(D. auth n. 2703).*

3) In ingressu celebrantis et ministrorum ad altare, in

De incensatione.[1]) Sacerdos facta confessione ascendit cum ministris ad medium altaris, ubi dicto *Oramus te, Domine,* et osculato altari, ponit incensum in thuribulum,[2]) ministrante diacono[3]) naviculum[4]) et thuriferario thuribulum. [SS. Sacramento exposito, hoc non fit in medio altaris, sed tantillum conversis humeris ad cornu Evangelii, facie vero ad cornu Epistolae versa:

---

quo expositum est SS. Sacramentum, omnes debent genuflectere in plano capellae utroque genu et simul caput profunde inclinare. Facta vero confessione absque ulla genuflexione ascendunt ad altare, ubi deinceps genuflectunt unico genu, ut expeditiores sint *(Gardellini et Gav. part. II, tit. 14 n. 5)*. — Insuper pro hoc casu nota, quod habet *Gardell. Comment. in Instruct. Clement. § VII, 12:* „Sacerdos Missam solemnem celebraturus, vel Missam privatam celebraturus calice in antecessum ad altare iam praeparato, cum impedimentum non habeat, simulac detegit seu conspicit SS. Sacramentum, caput debet aperire; postquam vero surrexit, non statim birretum capiti imponit, sed postquam e conspectu Sacramenti se substraxit." Idemque in reditu est observandum.

1) In Missa, quae cum cantu sed sine ministris celebratur, nisi habetur speciale privilegium, incensationes omnes omittendae sunt: si vero, dum haec Missa cantatur, SS. Sacramentum super altare est expositum, incensationes in Missa pariter omittendae sunt, et SS. Sacramentum incensatur tantum, postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponatur *(D. auth. n. 2067 ad 11, n. 2515 ad 8)*.

2) Ecclesia regulariter uno tantum utitur thuribulo: in aliquibus tamen permittuntur duo *(D. auth. n. 1322 ad 9)*.

3) Quotiescunque thurificatur *altare*, diaconus incensum ministrare tenetur *(D. auth. n. 915 ad 4)*.

4) In hac rubrica non dicitur, cochlear vacuum de navicula acceptum celebranti esse tradendum, sed solummodo naviculam esse ministrandam i. e. *offerendam esse naviculam et cochlear in eadem existens.*

Gardellini.] Diaconus parum inclinatus versus celebrantem dicit: *Benedicite, pater reverende* [1]) et osculatur [2]) cochlear et manus celebrantis ante et post.[3]) Celebrans ter incensum ponit in thuribulum, dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. Amen,* et deposito cochleari producens manu dextra signum crucis super thus in thuribulo, illud benedicit. Postea diaconus, dimissa navicula, accipit thuribulum et dat celebranti, osculata prius catenularum summitate et manu illius dextra; qui, facta cruci profunda reverentia, eam ter incensat, nihil dicens; et facta

---

1) Etiam si celebrans sit canonicus *(D. auth. n. 2027 ad 6).*

2) Etiam si diaconus sit canonicus *(D. auth. n. 2578 ad 5).* — Communiter tenetur, omittenda esse oscula manus, cochlearis et thuribuli, quando celebrans infra Missam coram exposito SS. Sacramento impositurus est incensum in thuribulum. Quamvis vero exposito Sacramento omitti debeant oscula manus et rerum, quae celebranti porriguntur, nihilominus subdiaconus, dicta Epistola osculabitur manus celebrantis more solito et ab ipso benedicitur: diaconus vero recipiet benedictionem ante Evangelium de more, et manum celebrantis osculabitur, sicut et ipse celebrans osculari debet librum Evangelii a subdiacono ipsi delatum. Rursus diaconus ad oblationem osculabitur patenam, calicem et manum celebrantis, tum in fine Orationis Dominicae eandem patenam et manum similiter osculabitur. Unde patet, illa tantum omitti debere oscula, quando faciendum aliquid est, quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa, quae ad ritum Missae solemnis proprie spectant. *Gardellini Comment. § 30 n. 14.*

3) Quoties in Missa solemni aliquid celebranti porrigunt, ministri osculantur primo rem, deinde manum celebrantis; quoties vero aliquid ab eo recipiunt, osculantur primo manum et deinde rem.

iterum cruci reverentia, incensat altare, ter ducens thuribulum aequali distantia, prout distribuuntur candelabra,[1]) a medio eius usque ad cornu Epistolae, ubi demissa manu thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto thuribulo et conversus ad altare elevans manum incensat eius planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium; ubi facta cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii; et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem elevat thuribulum et ter incensat superiorem tabulae partem versus medium altaris, ut fecit in cornu Epistolae; deinde manu aliquantum demissa incensat anteriorem eius partem seu frontem, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium altaris, et facta cruci reverentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolae, ubi reddito thuribulo ipsi diacono, ab eo ipse solus incensatur.[2])

---

[1]) Tempore Missae et officiorum diebus solemnibus non licet, candelabra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel tela vestita permanere; idem valet de cruce *(D. auth. n. 3059 ad XI)*. — Candelabra altaris aurata sive intra sive extra oblationem SS. Sacrificii velo cooperiri, potest tolerari, exceptis diebus solemnibus *(D. auth. n. 3137 ad II)*. — Non licet pro sex candelabris hinc et hinc in utroque altaris latere collocandis duo candelabra septiformia ad instar candelabri Mosaici ponere *(Ibid. ad IV)*.

[2]) Circa thurificationem servanda est forma Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 3 n. 11, 12; ut scilicet celebrans tantum triplici ductu thuribuli, dignitates et canonici duplici ductu, ceteri vero de choro unico ductu thuribuli thurificandi sint. In Missis (et Vesperis) solemnibus, quae celebrantur in ecclesiis parochialibus, ad quas insimul

Si vero in altari fuerint reliquiae, seu imagines Sanctorum,[1]) incensata cruce et facta ei reverentia, antequam discedat a medio altaris, primum incensat eas, quae a dextris sunt, id est a parte Evangelii prope crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quae sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolae; deinde prosequitur incensationem altaris ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures reliquiae vel imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.

Si in altari fuerit tabernaculum SS. Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod idem facit quotiescumque transit ante medium altaris.

[Si SS. Sacramentum in altari fuerit expositum, incenso absque osculis *(Caerem. Episc. lib. 2, cap. 23 n. 11 et cap. 33 n. 19)* imposito et benedicto, quia praeter Sacramentum adolendum est altare et sacerdos, diaconus a thuriferario accipit thuribulum; celebrans cum ministris, absque genuflexione, descendit ad secundum [2]) gradum altaris, aliquantulum oblique conversus, ita ut in descensu

---

conveniunt parochi aliarum ecclesiarum parochialium, celebranti triplex ductus, diacono et subdiacono et parochis, qui intersunt choro, duplex ductus debetur *(D. auth. n. 1643 ad 3)*. Seminarii episcopalis alumni immediate post beneficiatos thurificandi sunt tamquam de clero *(D. auth. n. 1165)*, sed per modum unius *(D. auth. n. 2791 ad 4)*.

[1]) Non est de necessitate in sculptis Sanctorum imaginibus in altari dispositis sacras includere reliquias ad hoc, ut incensata cruce valeant illae a celebrante thurificari *(D. auth. n. 2375 ad 3)*.

[2]) *Extra Missam* sacerdos genuflexus super *infimo* gradu altaris incensat SS. Sacramentum *(Gardellini Comment. § 30 n. 9)*.

tergum non vertat Sacramento, genuflectit in suppedaneo medius inter sacros ministros ibi pariter genuflexos, thuribulum accipit a diacono sine osculis, statimque praemissa cum ministris profunda inclinatione incensat Sacramentum[1]) triplici ductu, motu gravi, interposita brevissima morula unum inter alterumque ductum, et eo tempore ministri sacri aliquantulum elevant posteriorem partem planetae, interim omnibus circumstantibus manentibus genuflexis; repetit cum ministris profundam inclinationem, surgit et ascendit cum iisdem ad altare, ibi genuflectit et more solito incensat altare. Incensatione peracta, celebrans pro dispositione altaris et dioecesis consuetudine aut descendit in primum gradum altaris, aut omnino in planum ad cornu Epistolae, ibique facie ad populum conversa, triplici ductu incensatur a diacono, qui ita se sistit, ut tergum vertat populo *(Merati II, 14 n. 7 et 8; Baldeschi part. II, tit. 2, cap. 10*; *Gardellini* Comment. in Instruct. Clement. § 30).]

Diaconus et subdiaconus hinc inde assistunt celebranti dum incensat, et cum transeunt ante crucem, semper genuflectunt.[2])

De Introitu, Kyrie, Gloria et Oratione. Deinde celebrans, diacono a dextris eius, subdia-

---

1) Solum in feria VI Parasceves, incensato Sacramento, etiam crux incensatur *(Gardellini* l. h.).

2) De genuflexionibus, quae faciendae sunt a ministris tempore Missae solemnis, sequentia notanda sunt: „1) *quando ab uno latere in aliud transeunt* ex decr. auth. n. 4027 d. d. 9. Junii 1899: „diaconus et subdiaconus, *Sacramento non exstante super altari*, semper genuflectunt at tantum *in medio; Sacramento vero exstante super altari* [i. e. extra tabernaculum] semper genuflectunt at tantum *in utroque latere*. 2) Quando ab uno latere *pergunt in medium*, vel e *medio ascendunt ad altare* vel *vice versa*, Sacramento super altari exstante semper et tantum genuflectunt in

cono a dextris diaconi stantibus, in cornu Epistolae legit *Introitum* et *Kyrie eleison*. Cum vero intonat Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, diaconus et subdiaconus unus post alterum stant a tergo celebrantis; postea [1]) ascendunt ad altare et hinc inde, diaconus a dextris, subdiaconus a sinistris cum celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem [2]) (quod etiam servatur cum dicitur *Credo)*; et cum dicitur *Dominus vobiscum, Oratio, Praefatio, Pater noster* diaconus et subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo celebrantis. *Flectamus genua* dicitur a diacono, a subdiacono vero *Levate;* illo primum genuflectente, hoc primum surgente; celebrans vero non genuflectit.

De Epistola, Graduali et aliis [3]) usque ad Evangelium. Subdiaconus circa finem ulti-

---

loco e quo recedunt (excepto subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum); Sacramento non exstante super Altari nunquam genuflectunt, praeter subdiaconum, quando accepta patena vadit post celebrantem ante medium altaris, et facta genuflexione ibi stat.“

1) Facta ad verbum *Deo* inclinatione et deinde genuflexione. Idem valet de *Credo (Auctores)*.

2) Celebrans inter diaconum et subdiaconum sedere potest a cornu Epistolae (non Evangelii, seu in loco, ubi solet esse sedes Episcopi *[D. auth. n. 3104 ad III]*) iuxta altare, cum cantatur *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis* et *Credo (Rubr. gen. Miss. tit. 17 n. 6)*. — Romae etiam exposito SS. Sacramento e. g. in Missa repositionis post Orationem XL horarum, fit sessio, detecto tamen capite.

3) In Missa solemni tam de festo quam de Requie, dum *Sequentia* cantatur in choro, eadem submissa voce recitari debet a solo celebrante, non alternatim cum sacris ministris *(D. auth. n. 2956 ad 7)*; postea potest *sederi.*

mae Orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, et facta altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolae contra altare et cantat Epistolam, quam etiam celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi diacono a dextris, et item Graduale, Tractum [1]) etc. usque ad *Munda cor meum.* [2]) Epistola cantata, subdiaconus facit iterum genuflexionem altari in medio ac redit ad celebrantem, et genuflectens osculatur eius manum, et ab eo benedicitur, praeterquam in Missis defunctorum. Postea idem subdiaconus accipit Missale celebrantis, defert ad cornu Evangelii in altare, et ibi ministrat celebranti, qui, in medio altaris submissa voce dicto *Munda cor meum* etc., et deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per diaconum libro Evangeliorum ad altare, imponit incensum in thuribulum. Postea diaconus genuflexus ante altare dicit *Munda cor meum;* et accipiens librum Evangeliorum de altari, petit benedictionem a celebrante, similiter genuflexus in superiori gradu altaris, et osculata illius

---

1) Tractus integre canendus est, quum organum non pulsatur; Symbolum vero, etiamsi pulsatur (D. auth. n. 3108 ad XIV et XV). Quando autem organum pulsatur, cantus cum organo alternari potest non solum in *Tractu,* sed etiam in *Kyrie, Gloria, Agnus Dei:* curandum tamen, ut id, quod non cantatur, intelligibili voce ab aliquo de choro pronuntietur (Caerem. Ep. lib. 1 c. 28 n. 6 et 9). Immo, ut *Caeremoniale* ib. aít, „laudabile esset, ut aliquis cantor coniunctim cum organo voce clara idem cantaret". Hinc *sufficit,* ut id, quod per organum cantari figuratur, ab aliquo in choro recitetur, non privatim quidem et submissa voce, sed palam ita ut a choro percipi possit.

2) Non potest celebrans dicto „Munda cor meum" benedicere incensum et diaconum, et Evangelium legere, dum illud cantatur (*D. auth. n. 3104 ad I*).

manu, praecedentibus thuriferario et duobus acolythis cum candelabris accensis de credentia sumptis vadit cum subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra altare versus populum, ubi, subdiacono librum tenente [1]) medio inter duos acolythos, tenentes candelabra, dicit *Dominus vobiscum,* iunctis manibus. Cum dicit *Sequentia* etc. signat librum in principio Evangelii, frontem, os et pectus, postea ter librum incensat, hoc est, in medio, a dextris et a sinistris, et prosequitur Evangelium iunctis manibus. Interim celebrans post datam diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolae, ibi stat iunctis manibus. Et cum diaconus dicit *Sequentia sancti Evangelii,* sacerdos etiam signat se; et cum nominatur *Jesus,* caput inclinat versus altare. Finito Evangelio, sacerdos osculatur librum a subdiacono sibi delatum dicens: *Per evangelica dicta* etc., et a diacono ter incensatur.[2]) Si sit coram Praelato in sua residentia, liber defertur ad Praelatum, ut supra, et ille incensatur, ut in Caeremoniali. Postea stans in medio altaris versus crucem incipit, si dicendum sit, *Credo,*[3]) stantibus post eum diacono et subdiacono, deinde ad altare accedentibus et cum eo prosequentibus,[4]) ut dictum est ad *Gloria*

---

[1]) *(D. auth. n. 2425 ad 3.)* Si vero in ecclesia fuerint legilia, subdiaconus stabit post legile, illud amplectens et manibus hinc inde librum tangens *(Caerem. Episc. lib. 2 c. 8 n. 44 et 45).*

[2]) Presbyter Missam solemnem celebrans non potest benedicere concionatorem, qui post Evangelium praedicat *(D. auth. n. 3434 ad VIII).*

[3]) *Credo* in Missa solemni dicendum est post concionem, non ante, iuxta rubricas Missalis et consuetudinem Ecclesiae Romanae *(D. auth. n. 9 ad 8).*

[4]) Choro cantante: *qui propter nos* etc. omnes facta inclinatione descendunt ad primum a suppedaneo gradum, in

in excelsis. Cum vero in Symbolo cantatum fuerit *Et incarnatus est,*[1]) diaconus accepta bursa de credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium altaris, in quo explicat corporale et revertitur [2]) ad celebrantem. Cum non dicitur *Credo*, subdiaconus defert bursam simul cum calice, ut infra dicetur.

De Offertorio et aliis usque ad Canonem. Dicto *Oremus,* diaconus et subdiaconus accedunt ad altare in cornu Epistolae, diaconus amovet calicem, si est in altari, vel si est in credentia, ut magis decet, accipit eum de manu subdiaconi, qui illum cum patena et hostia coopertum palla et velo a collo sibi pendente manu sinistra tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de credentia detulit, comitatus ab acolytho ampullas vini et aquae portante; ipse diaconus calicem detegit et dat patenam cum hostia celebranti osculando eius manum; [3]) subdiaconus ex-

quo genuflectentes sub verbis: *et incarnatus est* etc. caput inclinant: quibus absolutis surgunt, et denuo ad altare ascendunt. Ita enim saepius S. R. C. declaravit, *stantes omnes qui sint de choro,* non excepto Episcopo, *genuflectere debere,* vel etiam si sedeant in festis Nativitatis Dni et Annuntiationis B. M. V.; neque discrimen statuitur, sive SSmum expositum est, sive non *(D. auth. n. 1421 ad 3, n. 1476 ad 1—5, n. 1594 ad 2).* — Si igitur extra festa Nat. D. et Annunt. fit sessio, ad verba *et incarnatus est* et *simul adoratur* caput detegunt et inclinant (S. R. C. *ibid.*); at etiam cum genuflexione, si fit, simul coniungi debet capitis inclinatio *(D. auth. n. 2915 ad 6).*

1) Non potest celebrans Missam prosequi statim ac a choro cantatus sit versiculus Symboli: „Et incarnatus est" *(D. auth. n. 3104 ad I).*

2) Supponitur sessio.

3) Etiam in Missa coram Episcopo cantata omnia oscula praestanda sunt. *(D. auth. n. 3059 ad II resp.* „servandum esse Caeremoniale Ep.")

tergit calicem purificatorio; diaconus, accepta ampulla vini de manu subdiaconi, imponit vinum in calice; subdiaconus interim ampullam aquae ostendens celebranti, dicit *Benedicite, pater reverende,* qui facto versus eam signo crucis, dicit Orationem *Deus, qui humanae* etc. Interim subdiaconus infundit paullulum aquae in calicem, diaconus illum celebranti dat, et pedem calicis tangens, seu brachium dexterum celebrantis sustentans, cum eo dicit *Offerimus tibi, Domine* etc. quem postea positum in altari, ut supra, palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolae ponit in dextera manu patenam, quam cooperit extremitate veli ab eius humeris pendentis; qui vadit post celebrantem ante medium altaris et facta genuflexione ibi stat sustinens [1]) eam elevatam usque ad finem Orationis

---

[1]) Ubi a subdiacono tenetur patena, haec observanda sunt: Apud credentiam ab acolytho humeris ipsius imponitur velum sericum oblongum ita, ut a latere dextero longius pendeat *(Caerem. episc. lib. 1, cap. 10 n. 5)*, et manu sinistra calicem, cuius velum in credentia relinquitur, ad nodum accipit una cum patena et hostia ac tectum palla; calicem dein longiori parte veli ad dextram dependentis cooperit, eumque dextra desuper posita ad cornu Epistolae defert, ubi a dextris diaconi omnia perficit, quae supra indicata sunt. Facta oblatione calicis, diaconus patenam abstergit purificatorio et dextrae subdiaconi immittit ita, ut pars eiusdem concava ad pectus subdiaconi vertatur, et extremitate veli ad dextrum subdiaconi latus dependentis eandem contegat. Subdiaconus patenam tenens ante pectus mox caput inclinat, descendit de altari et vadit retro post celebrantem, ubi genuflectit et erectus sustinet patenam ad faciem usque elevatam, sinistra sua vel ante pectus posita, vel brachium dextrum sustentante. Subdiaconus patenam tenens non inclinat caput, nec genuflectit infra incensationem cum diacono, neque transit cum celebrante de medio, nequidem ad lotionem manuum; inclinat

Dominicae, ut dicetur. In Missis autem defunctorum et in feria VI. Parasceves patena non tenetur a subdiacono.[1])

Dicto *Veni, Sanctificator* ut supra, celebrans, ministrante diacono naviculam et dicente *Benedicite, pater reverende,* ponit incensum in thuribulum, dicens: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis a dextris altaris incensi et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus*

---

tamen, cum ipse incensatur. Quotiescumque autem inclinat, uti porro facit ad verba *Deo nostro*, post *gratias agamus* et ad *Oremus* ante Orationem Dominicam, semper patenam supra pectus demittit. Sub finem Praefationis ascendit ad sinistram celebrantis *(Rit. celebr. Miss. VII, n. 11)*, ubi talis usus invaluit (S. R. C. D. auth. n. 2682 ad 30 dixit, ut serventur uniuscuiusque loci consuetudines), patenam ante pectus tenens, et inclinatus cum celebrante dicit *Sanctus*, erectus se non signat, neque ostendit *Canonem*, sed mox facta inclinatione vel genuflexione, ad planum retro post celebrantem revertitur. Dicente celebrante Orationem: *Quam oblationem*, cum diacono descendit ad suppedaneum, utrumque genu flectit in loco suo, tenens patenam ante pectus et caput inclinans, dum sacrae elevantur species. Peracta Consecratione, subdiaconus se erigit simul cum celebrante et diacono, atque elevata usque ad faciem patena, stat usque ad finem Orationis Dominicae; tum enim sub verbis: *et dimitte nobis*, patenam ante pectus demittens, flectit unum genu cum diacono, et ascendit ad cornu Epistolae, ubi a dextris diaconi eidem offert patenam nondum discoopertam, quam tunc discooperit diaconus et purificatorio extra corporale abstergit. Dimissa patena, acolythus aufert velum ab humeris subdiaconi, qui dein facta genuflexione retro post celebrantem in planum redit.

1) In 2 et 3 Missa cantata in die Nat. D. N. J. Chr. patena de more tenetur, licet prius superposita fuerit calici nondum purificato *(D. auth. n. 2956 ad 6)*.

benedicere et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen, ut in Ordine Missae. Deinde accepto thuribulo per manum diaconi, nullam tunc faciens cruci reverentiam, incensat oblata, ter ducens thuribulum super calicem et hostiam simul in modum crucis et ter circum calicem et hostiam scilicet bis a dextra ad sinistram, et semel a sinistra ad dextram (diacono interim pedem calicis tenente manu dextra), dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo: in prima incensatione: *incensum istud*, in secunda: *a te benedictum*, in tertia: *ascendat ad te, Domine*, in quarta: *et descendat super nos*, in quinta et sexta: *misericordia tua.* Deinde facta reverentia, incensat crucem et altare, ut dictum est supra, assistente eodem diacono, interim (cum incipit thurificari crucem, *ex D. auth. n. 3213 ad II)*, dicens: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis;* et cum incensatur crux, diaconus amovet calicem ad partem Epistolae, et incensata cruce reponit in loco suo. Cum reddit thuribulum diacono dicit: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae charitatis, Amen*, et incensatur ab eo; deinde diaconus incensat chorum [1]) et postremo subdiaconum tenentem patenam, et ipse diaconus incensatur a thuriferario, et thuriferarius postea incensat acolythos et populum. Celebrans postquam incensatus fuerit (ibidem, quin loco moveatur, *Gardellini)*, lavat

---

[1]) Duplici ductu thuribuli versus singulos canonicos; uterque ductus debet perfici duplici ictu *(D. auth. n. 3110 ad XX).*

manus, ministrantibus acolythis ampullam aquae cum pelvicula et manutergio.

Cum dicitur *Praefatio*,[1]) diaconus et subdiaconus stant retro post celebrantem, et paulo antequam dicatur *Sanctus*, accedunt ad altare, ubi cum celebrante hinc inde dicunt *Sanctus* et quae sequuntur usque ad *Canonem*.[2]) Deinde diaconus accedit ad sinistram celebrantis, ei assistens, dum dicitur *Canon*, nisi alius sacerdos assistat; quod si fit, ipse stare debet ad dextram aliquantulum post celebrantem. Subdiaconus vero tunc stat post celebrantem.

De Canone usque ad Consecrationem.[3]) Cum celebrans dicit *Quam oblationem* etc., diaconus accedit ad eius dexteram, et ibi in superiori gradu altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur,[4]) fimbrias planetae elevat, et quando opus est, se erigens, calicem discooperit et cooperit, et cum celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit

---

[1]) Brevitatis causa nihil est omittendum vel abbreviandum, sed Missa cantanda semper est prout iacet in Missali *(Conc. prov. Colon. pag. 100)*. Neque iis diebus, quibus habetur concio, cantus Praefationis et Orationis Dominicae omitti potest *(D. auth. n. 3104 ad I)*.

[2]) Post Praefationem permitti potest cantus rhythmi „Divinum mysterium", dummodo non omittatur solemne Trisagion.

[3]) Chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus, qui venit*, etc. exclusive; quo finito, et non prius elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus et cum aliis adorat. Organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia et gravitate pulsandum est. Elevato Sacramento, chorus prosequitur cantum *Benedictus, qui venit* etc. *(Caeremoniale episc. lib. 2, cap. 8 n. 70 et 71* et *D. auth. n. 2682 ad 31)*.

[4]) In elevatione SS. Sacramenti in Missis solemnibus cani potest *Tantum ergo* vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria *(D. auth. n. 2424 ad 6)*.

in loco suo; thuriferarius genuflexus in cornu Epistolae ter incensat hostiam, cum elevatur, et similiter calicem, posito incenso in thuribulum absque benedictione. Reposito calice, diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Ceteri surgunt et stant in locis suis.

De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam. Cum celebrans dicit *Per quem haec omnia* etc., diaconus, facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram celebrantis (retinebit duobus digitis dexterae manus pedem calicis *Caerem. Episc. l. 1 c. 9 n. 5)*, et quando opus est, discooperit calicem, et cum celebrante adorat, similiter cooperit et iterum genuflectit. Cum incipit *Pater noster*, idem vadit retro post celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dictur Oratio Dominica.

De oratione Dominica et aliis usque ad factam Communionem. Diaconus stans retro post celebrantem cum in Oratione Dominica dicitur *Et dimitte nobis debita nostra*, facta ibidem genuflexione, vadit ad dexteram celebrantis et subdiaconus circa finem Orationis Dominicae, facta ibidem genuflexione, revertitur ad altare, et stans in cornu Epistolae porrigit patenam diacono, qui eam discooperit et purificatorio abstergens dat celebranti, illius manum osculando, et quando opus est, discooperit et cooperit calicem, et cum celebrante adorat. Subdiaconus, reddita patena et deposito velo, quod ab humeris eius pendebat (ad manus caeremoniarii vel alicuius acolythi [*Caerem. Episc. lib. 2, c. 8, n. 74*]), genuflectit et descendit retro post celebrantem, et cum dicitur *Pax Domini*, iterum genuflectens accedit ad sinistram celebrantis, et simul dicunt *Agnus Dei*; deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus

exspectat pacem:[1]) et cum celebrans osculatur altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra corporale,[2]) et a celebrante dicente *Pax tecum* amplexum (et brachia sua brachiis celebrantis supponens: *D. auth. n. 2915 ad 7),* et pacem accipit sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet: *Et cum spiritu tuo.* Postea iterum Sacramento in altari adorato, vertit se ad subdiaconum retro post celebrantem, et similiter dat ei pacem. Subdiaconus, accepta pace a diacono et facta altari genuflexione [comitatus ab acolytho vadit ad chorum et dat pacem primo cuiusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis,[3]) et reversus ad altare, facta genuflexione, dat pacem acolytho, qui ipsum comitatus erat, qui et aliis acolythis circa altare dat pacem, deinde subdiaconus][4]) vadit ad dextram celebrantis (genuflectit), et quando opus est, discooperit calicem, accipit ampullam vini et infundit, quando celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem subdiacono (qui brachia sua supponit brachiis diaconi) vadit ad librum, et dum celebrans se communicat,

---

1) Exposito SS. Sacramento, *Pax* danda est, excepta feria V. in Coena Domini. Gardellini (Comment. § 30 n. 17) dicit: „facta (post *Orate fratres)* genuflexione, Missam prosequitur usque ad Communionem iuxta solitum". Idem docet *Baldeschi* (edit. Fawrel) pag. 198.

2) Manibus iunctis ante pectus, non vero super altare positis *(Baldeschi p. II, tit. II, cap. 10 n. 1).*

3) Et quidem non solum dignitatibus et canonicis, sed generatim omnibus in choro interessentibus; idque etiam quando contingit Missam solemnem celebrari in altari laterali et chorus tunc exsistit post altare maius *(D. auth. n. 3009 ad 7).*

4) Quae *hic* posita sunt in parenthesi [ ], locum habent tantum in ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

stant ipse et subdiaconus profunde inclinati versus altare.

De Communione[1]) et Orationibus post Communionem dicendis. Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolae; deinde vadit retro post celebrantem; subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii, ubi calicem mundat, aptat cum purificatorio, patena et palla cooperit, plicat corporale, reponit in bursa et illam ponit super calicem coopertum velo, quem collocat in altari, vel super credentia, ut prius (ad abacum reportat sine velo humerali per gradus anteriores altaris, facta illi reverentia [*Caerem. Episc. lib. 2 c. 8 n. 77*]); postea redit ad locum suum retro post diaconum, qui, cum dicit *Ite, Missa est*, [2]) cum celebrante vertit se ad

---

1) Si administranda est S. Communio, postquam celebrans (Canonicus vel alius sacerdos) SS. Sanguinem sumpserit, et antequam se purificaverit et digitos abluerit, cantata confessione per diaconum, communicabit primo diaconum et subdiaconum, si non sint sacerdotes, qui hoc die celebrent, deinde singulos canonicos beneficiatos seu mansionarios, clericos et cantores non presbyteros, ac etiam suo loco officiales et magistratus, si adsint, et communicare voluerint in hac Missa: (Caerem. Episc. l. 2 c. 30 n. 4). Ubi talis est consuetudo, dum celebrans sacram Communionem ministrat. licet patenam a diacono supponi sub mento communicantium. In Missa solemni a simplici presbytero celebrata dum administratur populo sacra Communio, potest servari laudabilis consuetudo, ut duo acolythi, si non sustineant mappam ante communicantes, comitentur celebrantem cum facibus (sine candelabris) *(Ritus celebrandi Missam tit. VIII, n. 8).* Priusquam Communionem adstantibus distribuat, sacerdos, postquam se communicaverit, potest ab altari et de consensu Ordinarii sermonem ad populum habere *(D. auth. n. 3059 ad X).*

2) *Ite, Missa est* a diacono tantum, non vero a celebrante dicitur, *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace* etiam

populum, et in quadragesima dicto per celebrantem *Oremus,* diaconus in cornu Epistolae vertens se ad populum, iunctis manibus dicit *Humiliate capita vestra Deo.* Quo dicto, vertit se versus altare a tergo celebrantis, et celebrans dicit Orationem super populum.

Celebrans eadem voce et modo, quo in Missis privatis, benedicit populo, et dicto Evangelio secundum Joannem, vel alio, ut supra ministrante subdiacono librum, si opus est, discedit cum ministris ordine et modo, quo venerat.

VI. De Missa Pontificali solemni, non praesente SS. Sacramento.

Quia tum in visitationibus parochiarum, tum in ecclesiarum consecrationibus aliisque occasionibus Episcopus aut solemnem Missam celebrat, aut solemni Missae assistit, sed non semper habentur libri, qui scitu necessaria suppeditant, hic ex *Caeremoniali Episcoporum* et S. R. C. decretis subiicio, quae in talibus occasionibus desiderari possunt.

Ad portam primariam ecclesiae Episcopo porrigitur aspersorium a digniore, seu rectore ecclesiae, etiamsi associatus esset ab uno vel pluribus Canonicis suae ecclesiae cathedralis *(D. auth. n. 2608).* Dignior ille ecclesiae non portat stolam *(D. auth. n. 3009 ad 9),* neque biretum: osculatur aspersorium et manus Episcopi. Episcopus detecto capite aspergit primo seipsum, deinde circumstantes; dignior ecclesiae, naviculam offert Episcopo, qui incensum imponit et statim stans cooperto capite incensatur a dignore ecclesiae.

---

a celebrante dicitur *(D. auth. n. 2572 ad 22).* Servari potest consuetudo pulsandi tantum organum ad respondendum, dum cantatur *Ite, Missa est (D. auth. n. 2951 ad 5).*

Deinde procedunt ad altare SS. Sacramenti, [1]) ubi genuflexus super pulvino, aut genuflexorio ibi parato orabit; sed ante dictam genuflexionem genuflectet prius in plano solo absque pulvino, et similiter, cum voluerit discedere ab oratione, ob reverentiam SS. Corporis Christi. Quo facto, ibit recta ad sacristiam, vel ad alium locum praeparatum intra ecclesiam, induturus paramenta pontificalia *(Caerem. Episc. lib. 1 cap. 15 n. 5—7).* Ubi diaconus, subdiaconus et reliqui sumpserunt paramenta, dempto manipulo, et in eundem locum cum reverentiis altari et Episcopo debitis ingressi sunt, subdiaconus affert ex credentia super bacili sandalia et caligas, alio velo cooperta, et ambabus manibus elevata ante Episcopum, illaque, adiuvantibus duobus Episcopi scutiferis, qui ad abacum solent assistere, genuflexus induit primo in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis. Extractis ei per assistentes diaconos annulis, Episcopus lavat manus. Presbyter assistens porrigit Episcopo mantile ad tergendum manus, quibus tersis reponuntur ei annuli ab eodem presbytero assistente. Statim lotis manibus adsint acolythi, qui afferant ex altari paramenta Episcopi per ordinem unus post alium; diaconus et subdiaconus capientes singula paramenta de manibus acolythorum, quisque eorum a latere suo adiuvat vestiendo Episcopum, sed principaliter diaconus omnia operatur, subdiaconus vero solummodo coadiuvat, ubi opus est. Pres-

---

[1]) Quodsi fuerit Archiepiscopus, vel alius utens cruce, ipsa crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem capellanum deferetur, imagine crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam et Archiepiscopum nullus omnino incedat; est enim insigne ipsius *(Caerem. Episc. l. 1 c. 15 n. 2).*

byter assistens imponit annulum Pontificalem annulari digito dexterae manus Episcopi, annulo prius et manu postea deosculatis. Episcopo parato, accedunt ad eum duo diaconi honorarii parati dalmaticis; diaconus vero et subdiaconus recedunt, et assumunt suos manipulos *(Caerem. Episc. lib. 2 cap. 8 n. 7—23).*

Ministrante presbytero assistente naviculam, Episcopus imponit et benedicit thus; tum surgit et recipit baculum pastoralem, factaque cum suis ministris reverentia cruci super altari in dicto sacello seu secretario existenti, processionali ritu procedunt ad altare, in quo Missa est celebranda hoc ordine:

Thuriferarius cum thuribulo, deinde ceroferarii cum candelis accensis medium habentes alterum subdiaconum paratum tunicella, crucem deferentem, deinde clerici et beneficiati ecclesiae cum suis cottis, bini et bini incipiendo a iunioribus, seu minus dignis. Hos sequitur reliquus clerus illius ecclesiae suo ordine, ita ut digniores semper sint posteriores in processione; Canonici vero, qui sunt parati, antecedent Episcopum immediate. Post Canonicos procedet subdiaconus Epistolam cantaturus, gerens librum Evangeliorum clausum ante pectus, in quo includitur manipulus Episcopi, deinde diaconus ad sinistram presbyteri assistentis pluviali induti, demum Episcopus cum baculo pastorali in manu sinistra, parte curva baculi ad populum versa, ac dextera aperta benedicens, medius inter diaconos assistentes paratos. Si autem Episcopus sumpsit paramenta in presbyterio apud sedem, vel in faldistorio, non fit huiusmodi processio, sed procedit Episcopus ad altare sine cruce, sine candelabris et sine thuriferario cum solis ministris paratis ut supra, et quibusdam aliis. Post Episcopum sequitur capellanus serviens de mitra, et alii ca-

pellani cum cottis, bini et bini incedentes. Si vero celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo maior, aut habens privilegium, ut crux ante se deferatur Archiepiscopalis, per subdiaconum paratum, de quo supra, defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero, imagine crucifixi ad ipsum versa.

Cum Episcopus pervenerit ante infimum altaris gradum, deponit baculum pastoralem ac mitram, facitque profundam reverentiam cruci super altari positae, simul cum suis ministris; habens autem a dextris presbyterum assistentem et a sinistris diaconum ac subdiaconum, et modicum retro diaconos assistentes, facit cum eis confessionem; chorus interea incipit Introitum.

Cum Episcopus dixerit *Indulgentiam, absolutionem* etc., subdiaconus sumit manipulum, qui fuerat inclusus in libro Evangeliorum, et a latere manipuli osculatur, deinde porrigit Episcopo osculandum, ubi est signum crucis, mox applicat Episcopo in sinistro brachio cum osculo manus, ipsumque stricte religat.

Finita confessione, Episcopus ascendit ad altare, illudque osculatur in medio; deinde ambabus manibus librum tangens sibi a subdiacono et presbytero assistente a sinistris stantibus oblatum, in folio Evangelii currentis, illum osculatur in principio Evangelii; tum imponit et benedicit incensum, et thurificat altare more solito.

Absoluta altaris thurificatione, reddit thuribulum diacono, et accepta mitra pretiosa a digniore diacono assistente, stans in cornu Epistolae manibus iunctis, incensatur a diacono Evangelii triplici ductu. Tum ex eodem loco facta cruci reverentia, acceptoque baculo in manu sinistra, medius inter diaconos assistentes, vadit ad sedem suam, ubi stans sine mitra legit Introitum ex libro, quem sustinet

capellanus, de eo serviens. Deinde dicit cum suis ministris alternatim respondentibus *Kyrie eleison.* Quo dicto sedet et accipit per primum diaconum assistentem [1]) mitram simplicem et gremiale; et pariter omnes sedent.

Cum cantatur a choro ultimum *Kyrie eleison,* aufertur Episcopo per assistentem a sinistris gremiale et mitra. Finito a choro cantu *Kyrie eleison,* surgit Episcopus, et facie versa ad altare, cantat ex libro, qui dicitur *Canon,* alta voce Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, quem prosequitur submissa voce cum suis ministris. Diaconus et subdiaconus, ac Praelati et Canonici in suis locis idem bini simul faciunt, et in fine sedet, accepta mitra simplici et gremiali. Finito Hymno surgit Episcopus, deposita mitra et gremiali, et stans versus populum cantat *Pax vobis;* aut, si *Gloria in excelsis* omissum fuit, *Dominus vobiscum;* deinde conversus ad altare Orationem.

Oratione finita sedet Episcopus, accipitque mitram et gremiale; subdiaconus factis debitis reverentiis altari et Episcopo, cantat Epistolam; qua finita, osculatur manum dexteram Episcopi, et ab eo accepta benedictione, redit ad locum suum ad altare.

Osculata manu Episcopi per subdiaconum, Episcopus sedet, legit ex libro Missali Epistolam et alia usque ad finem Evangelii, quod antequam incipiat, iunctis manibus dicit *Munda cor meum* etc., et *Jube, Domine*, etc.

Cum cantatur ultimus versus Gradualis etc., diaconus vadit ad Episcopum, cuius manum reverenter osculatur; tum reversus ad altare in eius inferiori

---

[1]) Regulariter cum Episcopus est apud altare, serviet ei diaconus Evangelii; cum vero est apud sedem, serviunt ibi assistentes *(Caerem. Episc. lib. 1 c. 8 n. 2 et 3).*

gradu genuflexus, dicit *Munda cor meum* etc., interim Episcopus imponit et benedicit incensum. Tum diaconus cum aliis ministris venit ante Episcopum, ubi inclinatus petit benedictionem, dicens *Jube domne benedicere,* cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo* etc., et facit super eum signum crucis. Tum diaconus facit Episcopo profundam reverentiam (ministri vero, qui cum eo sunt, permanent genuflexi, donec Episcopus benedixerit), et statim procedit cum ministris ad cantandum Evangelium. Cum diaconus dicit *Dominus vobiscum,* Episcopus depositis gremiali et mitra, surgit, accipit baculum pastoralem, et dum diaconus dicit *Initium* vel *Sequentia,* se signat in fronte, ore et pectore; tum ipse Episcopus retinet baculum inter ambas manus iunctas, stans versus diaconum. Finito Evangelio, subdiaconus portat librum apertum osculandum Episcopo, nulla ei facta reverentia, nisi postea, libro clauso; diaconus et alii cum debitis reverentiis revertuntur, et presbyter assistens Episcopum stantem thurificat.

Postquam Episcopus fuerit incensatus, conversus ad altare incipit cantando ex libro *Credo in unum Deum,* quod cum suis ministris submissa voce prosequitur: pariter diaconus et subdiaconus apud altare et Canonici illud inter se dicunt, et ad verba: *Et incarnatus est,* Episcopus genuflectit, et pariter omnes de choro genuflectunt. Quo finito, sedet Episcopus cum mitra simplici, et omnes etiam sedent; et cum praedictus versiculus cantatur a choro, omnes capite detecto, et Episcopus cum mitra, profunde caput inclinant versus altare. In nocte vero et die *Nativitatis D. N. J. C.,* ac die *Annuntiationis B. M. V.* Episcopus cum mitra apud sedem suam, et omnes alii in suis locis, genuflectunt, quando cantatur dictus versiculus, et eo finito omnes sedent. Diaconus, finito versiculo,

surgit, surgente etiam subdiacono, et accedens ad abacum capit bursam cum corporali, quam cum debitis reverentiis portat ad altare, ubi extrahit corporale, idque ponit super altare more ordinario; et statim redit ad locum suum, et sedet; tunc sedet etiam subdiaconus.

Circa finem *Symboli* surgunt omnes ministri; eo vero prorsus a choro cantato, surgit Episcopus, depositis gremiali et mitra; et stans in sede sua, cantat versus populum *Dominus vobiscum* et *Oremus,* et legit mox Offertorium submissa et intelligibile voce. Quo lecto sedet, et accipit mitram pretiosam, deponitque annulum et chirothecas, quae omnia ei extrahuntur ab assistentibus diaconis, et lavat manus, praebente mantile presbytero assistente. Interim minister de libro inserviens Missale cum pulvino aut pulpito defert ad altare, illudque reponit in cornu Evangelii apertum eo loco, in quo continentur ea, quae celebrans est lecturus. Assistens presbyter stans ad librum extra cornu Evangelii exspectat celebrantem.

Episcopus statim, lotis manibus reassumit annulum a presbytero assistente porrectum, et surgit accipiens manu sinistra baculum, procedit medius inter duos diaconos assistentes ante infimum altaris gradum in medio, ubi depositis baculo et mitra, factaque profunda reverentia cruci, ascendit ad altare, presbytero assistente a sinistris, diacono vero Evangelii a dextris, et osculatur illud in medio, positis hinc inde manibus. Subdiaconus, dum Episcopus lavit et tersit manus, accedit ad abacum, induitur velo humerali, et accipiens calicem more ordinario, procedit ad altare; subdiaconum sequitur acolythus urceolos vini et aquae portans, ita ut eodem tempore cum Episcopo ad altare perveniant, ubi subdiaconus calicem cum patena ponit in cornu Epistolae, remoto velo.

Tum diaconus patenam cum hostia ad manus Episcopi cum osculo porrigit, deinde imponit vinum in calicem, quantum sufficiat, Episcopo inspiciente: subdiaconus vero urceolum aquae parumper versus Episcopum elevans, dicit: *Benedicite, Pater Reverendissime,* tum infundit pauculum aquae in calicem. Diaconus deinde porrigit Episcopo calicem cum osculis debitis et cum eo dicit Orationem *Offerimus tibi, Domine, calicem* etc., qua dicta, diaconus palla cooperit calicem supra corporale ab Episcopo depositum, tum capiens patenam, illam ponit in manu dextera subdiaconi, ac extremitate veli ab ea parte pendentis contegit, quam subdiaconus stans post Episcopum et diaconum spatio congruenti sustinet elevatam usque ad *Pater noster.*

Prosequitur deinde Episcopus Missam ut in Missali. Incensato autem altari, dum reddit thuribulum diacono, accipit mitram pretiosam a primo assistente, et thurificatur in eodem loco stans a diacono triplici ductu, et statim lavat manus more solito, dicens Psalmum *Lavabo,* ministrante mappulam presbytero assistente. Diaconus vero interim thurificat Praelatos, Dignitates, Canonicos, Magistratus et alios de choro, more ordinario.

Postquam Episcopus lavit manus et abstersit, aufertur ei mitra ab assistente, et cetera facit ac observat, prout alii sacerdotes, nisi quod in Canone, ubi alii dicunt: *Et Anstistite nostro N.,* ipse dicat: *Et me indigno servo tuo.* Dicto *Sanctus,* etc. vel incepto Canone, quatuor, sex, aut ad summum octo ministri, cottis induti, afferunt totidem funalia cerae albae accensa, et factis debitis reverentiis, collocant se genuflexi hinc inde a lateribus subdiaconi, tenentis patenam, vel si magis commodum, ad latera altaris. Tunc vero omnes, tam in choro, quam extra genuflectunt, praeter cantores *Sanctus* cantantes, presbyterum assistentem et diaconos

assistentes, diaconum et subdiaconum, qui nonnisi cum celebrante genuflectunt.

Tempore utriusque elevationis, thuriferarius, imposito thure in thuribulum, thurificat Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, ter pro unaquaque ducens thuribulum. Elevato Sacramento, ministri funalia habentes surgunt, et factis debitis reverentiis discedunt, ac funalia extra presbyterium exstinguunt (nisi Missa sit de *Requie,* vel facienda sit Communio, quia tunc remanent genuflexi usque ad finitam Communionem) et pariter tunc omnes surgunt, et stant usque ad Communionem inclusive.

Prima Oratione post *Agnus Dei* dicta, Episcopus osculatur altare, et dat pacem presbytero assistenti, similiter diaconis assistentibus, sed prius diacono et subdiacono, si non sit daturus eis Communionem. Presbyter assistens genuflectit et osculatur altare, antequam pacem ab Episcopo recipiat, ceteri vero genuflectunt prius et post ante SS. Sacramentum, non tamen osculantur altare.

Si diaconus et subdiaconus Missae fuerint sacerdotes, et iam celebraverint, aut velint hoc die celebrare, tunc, postquam presbyter assistens cum pluviali pacem ab Episcopo celebrante accepit, ut eam per chorum distribuat, ab eodem celebrante pacem etiam accipiunt cum diaconis assistentibus diaconus Evangelii et subdiaconus Epistolae.

Post ablutiones Episcopus accedens in cornu Epistolae accipit mitram a diacono et lavat manus; tersis vero manibus, deponit mitram, et prosequitur Missam. Presbyter assistens transfert librum ex latere Evangelii ad latus Epistolae, nisi iam translatus fuerit a diacono.

Dicto *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc., Episcopus accepta mitra, et stans in medio altaris pollice dexterae manus format sibi signum crucis in

pectore, cantans: *Sit nomen Domini benedictum,* interim sinistra super altari retinens, et dum a choro respondetur: *Ex hoc nunc et usque in saeculum,* etiam ipsam manum dexteram super altare tenet; deinde dicens: *Adiutorium nostrum in nomine Domini,* eadem dextera manu signat se signo crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero in dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit *Adiutorum* in fronte, *nostrum* infra pectus, *in nomine* in sinistro humero, *Domini* in dextero, et iterum ipsam manum dexteram super altare reponit, dum a choro respondetur: *Qui fecit caelum et terram.* Deinde dicens: *Benedicat vos omnipotens Deus,* elevat ad caelum simul oculos et manus, quas ante faciem iungit et accipiens manu sinistra baculum, dum dicit *Pater,* vertit se ad latus Epistolae et ibi signat populum; et dicens *et Filius,* vertit se directe ad populum in medio ecclesiae existentem, signans iterum; dicens vero *et Spiritus sanctus,* vertit se totum ad latus Evangelii, et ibi tertio signat populum, perficiendo circulum. Si vero erit Archiepiscopus, sine mitra dabit benedictionem versus ad suam crucem, et deponet pallium super altare, ac postea dicet *Initium sancti Evangelii.*

Si indulgentia non fuerit publicata post sermonem, publicatur ibi per presbyterum assistentem in cornu Epistolae versus populum; qua publicata, Episcopus deposita mitra, dicit versus cornu Evangelii *Dominus vobiscum,* submissa voce, et facta signo crucis super altari dicit: *Initium* etc., quod prosequitur, sumpta mitra et baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta, ibique per eosdem ministros exuitur sacris paramentis. Si vero aliud Evangelium dicendum sit, totum legit in altari, antequam discedat, eoque dicto recedit, ut prius. Si Episcopus dat benedictionem Aposto-

licam cum Indulgentia plenaria, illam impertiatur immediate post ultimum Evangelium; verum post Orationem *Placeat*, ut supra dictum est, annuntietur, quando indulgentia episcopalis tantum datur. (Cf. *D. auth. n. 2720.)*

VII. De Missa Pontificali solemni praesente seu exposito SS. Sacramento.

Procedit Episcopus ad altare de faldistorio, aut de sede sine mitra, et omnia dicit ad altare, non ad sedem, ac si esset simplex sacerdos; non omittit genuflexiones, dum transit ante Sacramentum, vel cum ab eo recedit, vel ad illud accedit; non se lavat ad altare, sed extra gradus illius; nec habet mitram, dum dat benedictionem: genuflexus thurificat SS. Sacramentum, sed stans sine mitra imponit et benedicit incensum. Ministri dantes aliquid Episcopo, vel recipientes ab eo non osculantur eius manum; neque etiam genuflectunt, dum transeunt ante eum.

VIII. De Missa, quae sine cantu ab Episcopo celebratur.

(Ex Caeremoniali Episcoporum.)

Ante altare versus medium chori paratur faldistorium, seu genuflexorium; in medio altaris ponuntur paramenta coloris congruentis tempori et festo, videlicet casula, stola, cingulum, alba et amictus; in credentia calix, Missale, manipulus, mantilia et alia necessaria. Episcopus stans ante infimum gradum altaris accipit paramenta ex ipso altari (nisi in eodem SS. Sacramentum sit expositum). Indumentis Pontificalibus non utitur Episcopus in Missis privatis. Crucem pectoralem ante stolam accipit.

Manipulum accipit ad *Indulgentiam* a capellano, qui stat a sinistris. Ad Missale ponenda est candela. Episcopus manus lavat, antequam paramenta accipit, post Offertorium et post Communionem, sumpta ablutione digitorum. Valde convenit, ut Episcopus duos saltem capellanos cottis indutos (sed sine stola) apud se ministrantes habeat, qui omnia disponere sciant et possint, qui eum induant cum osculis et reverentiis debitis altari et Episcopo; qui ei serviant in respondendo, in transferendo libro, in cooperiendo et discooperiendo calice, in porrigendo mantili, cum lavat manus, in ministrandis ampullis et in ceteris omnibus faciendis, quae sunt necessaria. Ad Offertorium afferunt calicem, eumdem detegunt et extergunt, porrigunt patenam cum osculis, infundant vinum et aquam, ampullam aquae Episcopo ostendendo et dicendo *Benedicite, Pater Reverendissime* pariterque porrigunt calicem cum osculis. Post sumptionem ablutionis digitorum alteruter extergit calicem, eumdem cooperit et defert ad credentiam *(Caerem. Episcop. lib. 1 c. 29).* In fine Missae Episcopus, si non pro defunctis celebret, dabit benedictionem, more Episcopali dicens: *Sit nomen Domini benedictum* etc., sed non utitur in ea baculo, nec mitra, nec cruce si sit Archiepiscopus. Cetera omnia Episcopus observat iuxta rubricas Missalis Romani prout alii sacerdotes. Finita Missa deponit sacra paramenta etiam ante altare in infimo gradu, et ibi ad faldistorium super cussino gratias agit.

IX. De Missa solemni, quae coram Episcopo celebratur extra ecclesiam cathedralem.[1])

Parantur sedes Episcopi, genuflexiorum et paramenta; adesse debent ministri de libro,[2]) de candela, de mitra et de baculo.

Episcopo parato, celebrans et ministri accedunt ad altare, faciendo Episcopo in transitu debitam reverentiam capite detecto. Cum pervenerint ad altare, se sistunt celebrans aliquantulum versus cornu Evangelii, diaconus ad sinistram celebrantis et subdiaconus ad sinistram diaconi; assistens celebrantis inter celebrantem et diaconum, et Episcopus a dextris celebrantis ante medium altaris, eiusque assistentes a dextris Episcopi in cornu Epistolae. Episcopus deposito baculo pastorali ac mitra, factaque cum omnibus aliis reverentia altari debita, incipit *In nomine Patris* etc. se signans, ac peragit ea, quae sunt celebrantis propria, ac si ipse esset Missam celebraturus, faciens confessionem usque ad *Indulgentiam* inclusive; cui ipse celebrans respondet simul cum ministris. In confessione celebrans, ubi dicendum *vobis, fratres,* dicet *tibi, pater;* similiter in fine; quod dicens Episcopo profunde inclinat. Dicto per Episcopum *Indulgentiam* etc., celebrans et ministri ei profundam reverentiam faciunt, et aliquantulum se retrahentes, cedunt locum Episcopo, qui tunc, receptis mitra et baculo, discedit de medio altaris cum suis assistentibus ad sedem suam, interea dicens *Deus, tu conversus* etc.; et eodem tempore Celebrans in medio altaris prosequitur eosdém versus cum suis ministris. Fi-

---

1) In ecclesia cathedrali observanda sunt omnia, quae in *Caerem. Episc. lib. 1, cap. 7, 8, 20, 21, 23, 24, 25 et lib. 2, cap. 9* praescripta sunt.

2) Ex libro Episcopus legit *Introitum, Epistolam, Graduale, Alleluia, Sequentiam* sive *Tractum, Evangelium, Offertorium* et *Communionem.*

nitis versibus, Episcopus, deposito baculo, sedet cum mitra.

Si presbyter assistens non est Canonicus, diaconus Evangelii accedit ad sedem Episcopi cum thuriferario, quoties incensum in thuribulo est ponendum, ministratque Episcopo naviculam cum osculis debitis, ipseque diaconus triplici ductu incensat Episcopum, quoties thurificari [1]) debet, celebrantem vero duplici ductu.

Antequam subdiaconus cantet Epistolam, altari et Episcopo debitam reverentiam facit, eaque finita accedit cum debitis reverentiis ad Episcopum, ubi manum eius super librum positam osculatur, et ab eodem benedicitur, et facta ei debita reverentia recedit.

Diaconus deposito libro Evangeliorum supra altare, accedit ad Episcopum et osculatur eius manum, tum revertitur ad altare, et dicto *Munda cor meum* etc. resumit librum de altari, et cum tempus est, accedit cum aliis ministris ad Episcopum, a quo benedictionem accipit. Deinde cantat Evangelium. Cum cantatur *Dominus vobiscum*, Episcopus deposita mitra surgit, et accepto baculo pastorali manu sinistra, signat se dextera in fronte etc. Tum tenet baculum inter manus. Finito Evangelio subdiaconus nulla facta reverentia offert librum Episcopo osculandum, quo facto, claudit librum et Episcopo facit reverentiam. Celebrans non osculatur librum, nec dicit *Per evangelica dicta* etc., nec incensatur, nisi dum Episcopus assistit non paratus, quo casu Episcopus osculatur librum, sed celebrans solus incensatur.

---

[1]) Cum Episcopus assistit non paratus, absque baculo et mitra, sed cum cappa tantum, non debet thurificari, nisi post thurificationem oblatorum *(D. auth. n. 2049 ad 5)*; et in isto casu celebrans, non Episcopus, incensatur post Evangelium duplici ductu *(D. auth. n. 1275 ad 8)*.

Subdiaconus, postquam diaconus imposuerit vinum in calicem, elevat in cornu Epistolae ampullam aquae coram Episcopo et caput profunde inclinans dicit *Benedicite, Pater Reverendissime,* Celebrans interim de more dicit *Deus, qui humanae* etc., sed sine benedictione.

Ad elevationem Episcopus cum suis assistentibus, deposita mitra, genuflectit super scabellum ante medium altaris; subdiaconus genuflectit in infimo gradu versus cornu Evangelii. Facta elevatione, Episcopus stans sumpta mitra redit ad sedem suam, ubi deposita mitra stat nudo capite. Si assistens Episcopi non est Canonicus, diaconus pacem a celebrante acceptam defert ad Episcopum. [1])

Dicta Oratione *Placeat* celebrans non dat benedictionem, sed osculatur altare et immediate se retrahit cum ministris in cornu Epistolae faciem suam vertendo ad Episcopum et caput profunde inclinando, dum Episcopus benedicit; diaconus a sinistris celebrantis et subdiaconus a sinistris diaconi idem faciunt.

Tempore ultimi Evangelii Episcopus stat cum baculo sine mitra; finito Evangelio, celebrans factis reverentiis debitis altari et Episcopo una cum ministris recedit in sacristiam; Episcopus vero deponit paramenta, et recedit comitatus ut in accessu.

---

[1]) Utrum in Missa solemni, quae coram Episcopo celebratur, diaconus Evangelii a celebrante, vel a subdiacono pacem sit recepturus, et sit pax ipsa a diacono vel a subdiacono in defectu presbyteri assistentis Episcopo deferenda? S. R. C. *(D. auth. n. 2089 ad 5)* respondit ad solam secundam partem: *In hypothesi ad diaconum Evangelii utpote digniorem spectare.* Si Celebrans non sit Praelatus, nec habeat capellanum cum pluviali assistentem, presbyter Episcopo assistens accipit pacem a Celebrante eamque ad Episcopum defert...mox stans in suo loco dabit illam subdiacono, qui cantavit Epistolam *(Caerem. Episc. lib. 1, cap. 24 n. 4).*

Sectio II.

De SS. Sacramentorum administratione.

De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt.

(Ex Rituali Romano.)

1. Ut ea, quae ex antiquis catholicae Ecclesiae institutis, et sacrorum canonum Summorumque Pontificum decretis de Sacramentorum ritibus ac caeremoniis hoc libro praescribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter observentur; illud ante omnia scire et observare convenit, quod sacrosancta Tridentina Synodus sess. 7, can. 13 de iis ritibus decrevit in haec verba:

2. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

3. Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, parochus, vel quivis alius sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare: atque omni fere temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere.

4. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri; impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi

prius corde poeniteat; sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.

5. Quacumque diei ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum saepe, prout sese offert occasio, praemonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis aut cuiuscumque incommodi habita ratione.

6. Ipse vero, antequam ad huiusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi et caeremonias pro temporis spatio praevidebit et perleget.

7. In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola eius coloris, quem Sacramenti ritus exposcit; nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

8. Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures clericos, prout loci et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu et superpelliceo pariter indutos.

9. Curabit etiam, ut sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina, et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda.

10. In Sacramentorum administratione eorum virtutem, usum, ac utilitatem, et caeremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum praecipit, ex Sanctorum Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit.

11. Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quae ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte et pie, atque clara voce pronuntiabit.[1] Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriae, quae plerumque labitur, facile confidet; sed omnia recitabit ex libro. Reliquas praeterea caeremonias

[1] Parochis et rectoribus prohibemus strenue, ne in Sacramentis administrandis pro lingua latina utantur vernacula, nisi illis partibus, quibus illi, qui assistunt, alloquendi aut quaedam iisdem explicanda sunt *(Conc. prov. Colon. a. 1860, pag. 1080).*

ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad caelestium rerum cogitationem erigat ei attentos reddat.

12. Ad ministrandum procedens, rei quam tractaturus est, intentus sit, nec de iis, quae ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur; in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.[1])

13. Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte, exigat aut petat; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniae atque avaritiae suspicione, nedum crimine, longissime absit. Si quid vero nomine eleemosynae, aut devotionis studio, peracto iam Sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur.

14. Fidelibus alienae parochiae Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia parochi, seu Ordinarii.

15. Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant.[2])

---

[1]) Cfr. *Bened. XIV. de Synod. dioec. lib. 7, cap. 4.*

[2]) *Quaer.* Quid faciendum, si indignus SS. Sacramenta publice petat?

Resp. I) Si indignitas publica est iure, facto aut fama, e. g. si sit manifeste excommunicatus, interdictus, infamis, concubinarius, meretrix, civiliter tantum copulatus, usurarius, blasphemus etc., omnes communiter cum S. Thoma docent, Sacramenta illi esse denegenda, *quamdiu emendatio non est publice probata.* Id tamen patitur aliquas exceptiones. 1⁰ Pro sacramento *Poenitentiae* sufficit sincera poenitentia confessario manifestata, nisi forte ante *absolutionem* urgenda sit satisfactio, scandali reparatio, occasionis remotio, vel casus sive censura reservata occurrant. 2⁰ *Matrimonio* contrahendo parochus, iusta interveniente causa, assistere potest, etiam eorum, qui e peccatis nondum exie-

De Sacramento Baptismi rite administrando,

(Ex Rituali Romano.)

1. Sacrum Baptisma, christianae religionis et aeternae vitae ianua, quod inter alia novae legis Sacramenta a Christo instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, ipsa Veritas testatur illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (Joan. 3). Itaque summa ad illud opportune riteque administrandum ac suscipiendum diligentia adhibenda est.

2. Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de iure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister; alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus ac caeremoniae,[1]) quas ex Apostolica et antiquissima traditione acceptas et approbatas, nisi necessitatis causa, omittere non licet, de iis aliqua praemonenda sunt, ut sacrum hoc ministerium rite et sancte peragatur.

De materia Baptismi. 3. Ac primum intelligat parochus, cum huius Sacramenti materia sit aqua vera ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

---

runt (cfr. s. Alph. l. 6 n. 42 et 54). 3⁰ *Moribundi* sacramentis donandi sunt, saltem absolutione, pro circumstantiis magis etiam Unctione (vel ipsa S. Eucharistia), quamdiu de indispositione non certo constat. — II) Si indignitas est occulta, non possunt Sacramenta denegari. Ita pariter omnes cum S. Thoma. Excipitur Sacramentum Matrimonii, quando parochus extra Confessionem scit, adesse impedimentum dirimens, vel sponsos ignorare rudimenta fidei (De cetero vide, quae in singulis Sacramentis notantur).

[1]) De vi et utilitate harum caeremoniarum vide Catech. Rom. part. II cap. 2 qu. 45—60.

4. Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato sancto Paschatis, vel[1]) Sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur; et haec, quando nova benedicenda est, in ecclesiae vel potius baptisterii sacrarium effundatur.

5. Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.

6. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem bene mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quae infra [in Rituali Romano] praescribitur.

7. Sed si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

De forma baptismi. 8. Quoniam Baptismi forma his verbis expressa: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, omnino necessaria est, ideo eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba uno et eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt.[2])

9. Latinus presbyter latina forma semper utatur. Cum Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione (de quo infra) sit baptizandus, ea

---

[1]) Aquam baptismalem in parochiis esse benedicendam in Sabbato sancto et Pentecostes, etiamsi ex Sabbato sancto satis supersit, declaravit *S. R. C. D. auth. n. 3331* neque ullam aliam consuetudinem tolerari posse, quum sit legibus Missalis contraria.

[2]) Cfr. *S. Lig. lib. 6 num. 9.*

conditio explicanda est hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter, et ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.

10. Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians.

11. Ubi vero Baptismus fit per infusionem aquae cavendum est, ne aqua ex infantis capite in fontem, sed vel in sacrarium baptisterii prope ipsum fontem exstructum defluat, aut in aliquo vase, ad hunc usum parato, recepta, in ipsius baptisterii vel in ecclesiae sacrarium effundatur.

De ministro Baptismi. — 12. Legitimus quidem Baptismi minister est parochus, vel alius sacerdos a parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans aut adultus versatur in vitae periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico, sive laico, etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive haeretico, sive viro, sive femina, servata tamen forma et intentione Ecclesiae.

13. Sed si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet parochus, ut fideles,

praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent.[1])

14. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat.

De baptizandis parvulis. 15. Opportune parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum[2]) fieri poterit, et qua decet christiana modestia, sine pompae vanitate deferant ad ecclesiam,[3]) ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis,[4]) et

---

1) Sacerdotes etiam doceant tam matres, quam feminas, in necessitate parvulos baptizare, eadem forma in suo idiomate *(Conc. Fritzlar. 1246, can. 1. — Conc. prov. Colon. 1860, pag. 109. — Lambertini Institutio 8).* Quod etiam valet de baptizandis foetibus abortivis: cf. infra notas ad nn. 16 et 17.

2) „Quantocius conferendum, nec unquam ultra tertium diem prolatandum est; et ut maturandum curent, saepius movendi sunt fideles" *(Conc. prov. Colon. a. 1860 p. 109, Bened. XIV.* de Synod. lib. 12 c. 6 n. 7, et *Institutio 98 n. 3 sqs.).*

3) Cfr. num. 28. — „Baptismi Sacramentum tantum in ecclesia, nec unquam in domo privata conferendum est, nisi urgeat necessitas, vel ob causas graves ab Ordinario expetenda videatur et concessa sit dispensatio" *(Conc. prov. Col. a. 1860 pag. 109).*

4) In proximo periculo salutis, i. e. in instanti mortis periculo, infantes etiam acatholicorum parentum baptizandi sunt; aliter non sine eorum, vel unius eorum, qui paterna potestate utuntur, voluntate atque consensione catholicae educationis, ita ut magnum saltem perversionis periculum excludatur. Quamquam haec imprimis de filiis parentum

ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetae caeremoniae ritusque suppleantur, omissa forma et ablutione.

16. Nemo in utero matris clausus baptizar debet.[1]) Sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite,[2]) nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo, quo supra dictum est: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris*

---

non baptizatorum valent, atque haereticorum filii spectato summo iure facilius ab Ecclesia baptizari possunt; practice tamen discrimen vix faciendum est, neque raro lex est, ne haereticorum filii a catholicis baptizentur extra urgens vitae periculum, nisi per patrinum vel matrinam de catholica educatione cautio quaedam data sit. Si vero filii usum rationis attigerint, per se patet, eos in baptismo petendo omnino sui iuris esse. Cfr. de hac quaestione fusius Lehmkuhl, Theol. mor. II n. 76 sqs.

[1]) Cfr. *Gualdus,* Baptisma infantium in uteris existentium Venet. 1723. — Illa verba Ritualis non ita intelligenda sunt, quasi non liceat, aut non debeat baptizari foetus in utero matris sub conditione, quando per aliquod instrumentum aqua tingi potest, *si periculum est, ne sine ullo baptismo in utero moriatur.*

[2]) Foetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo baptizetur *(S. C. C. 12. Julii 1794).* — „Ad parochos pertinebit, obstetrices instruere, ut, cum casus evenerit, in quo *infantem, nulla adhuc sui parte editum,* mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat et foras prodeat“ *(Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 7 cap. 5 num. 6.* Cfr. *S. Lig. lib. 6 num. 123,* et Archiv für kath. Kirchenrecht 1865 II, pag. 44, et fontes ibi assignati).

etc.[1]) Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

17. Si mater praegnans mortua fuerit, foetus[2]) quamprimum caute extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur; si fuerit mortuus, et baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet. — Infantes expositi [3]) et inventi, si, re diligenter investigata, de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizentur.[4])

18. In monstris[5]) vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est; de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat.

19. Monstrum, quod humanam speciem non prae se ferat, baptizari non debet: de quo si dubium

---

[1]) *Bened. XIV.* de Syn. dioec. lib. 7 cap. 5 num. 7.

[2]) Foetus abortivus cuiuscumque aetatis et formae debet sive absolute sive conditionate baptizari, nisi constet, ipsum esse mortuum, quia probabile est, foetum animari in ipsa conceptione. Mortis autem unicum signum certum est totalis dilaceratio aut putrefactio; vivere enim potest, etsi nullum det signum; deficiente igitur signo illo certo vitae, baptizandus est sub conditione *si capax es.* De instruendis obstetricibus et matribus hac in re utiliter confer *Nibler*, Brautunterricht 2, Kempten 1904.

[3]) Pueri expositi, etiamsi habeant schedulam de Baptismo testantem, baptizentur sub conditione, nisi schedula habeat certitudinem *(S. R. C. 5. Jan. 1824*, cfr. Lambertini Institut. 8 pag. 33, ed. Rom. 1747).

[4]) Cfr. Analecta Juris Pontificii Ser. V col. 1139 sqs.

[5]) Monstra a mulieribus edita semper sunt baptizanda, quia medici generationem impossibilem habent, nisi facta sit a viro (cfr. *Capellmann*, Pastoral-Medizin ed. lat. p. 108). *Billuart* dicit, monstrum a bestia editum sub conditione baptizandum esse; si habeat caput humanum, praevalet idea hominis.

fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo* etc.

20. Illud vero, de quo dubium est, unane aut plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur; discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo* etc. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Quam tamen formam in iis solum, et in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias nunquam, licet adhibere.

21. Quando vero non est certum, in monstro esse duas personas, ut quia duo capita et duo pectora non habet distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

De patrinis. 22. Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos susceptores seu patrinos elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant, ne plures quam liceat, aut indignos, aut ineptos admittat.

23. Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una adhibeantur ex decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri, aut duae mulieres, neque baptizandi pater aut mater.

24. Hos autem patrinos saltem in aetate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse, maxime convenit.

25. Sciant praeterea parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut haereticos, non publice excommunicatos aut interdictos, non publice criminosos, aut infames, nec praeterea qui sana mente non sunt, neque qui ignorant rudimenta fidei. Haec enim patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.[1])

26. Praeterea ad hoc etiam admitti non debent monachi vel sanctimoniales, neque alii cuiusvis ordinis regulares a saeculo segregati.

De tempore et loco administrandi Baptismum.

27. Quamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti et cessationis a divinis, praesertim si urgeat necessitas, conferri possit: tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiae ritu sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit, nempe Sabbatum sanctum Paschae et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis fontis aqua rite consecratur. Quem ritum, quantum fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitae periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino praetermitti, praecipue in Metropolitanis aut Cathedralibus ecclesiis.

28. Ac licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat,[2]) tamen proprius Baptismi admini-

---

[1]) „Admittendi non erunt . . . Communionem paschalem et longiori tempore cultum divinum negligentes, et qui matrimonio mere civili coniuncti vivunt“ *(Conc. prov. Colon. pag. 110)*.

[2]) Quando parochus in casu necessitatis periclitantem puerum domi baptizat, nec stolam violaceam, nec oleum

strandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certe baptisterium prope ecclesiam.

29. Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet; nisi forte sint regum aut magnorum principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum capellis seu oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta.

30. Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quae aquam bene contineat, decenter ornatum et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliae sordes intro non penetrent: in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago sancti Joannis Christum baptizantis.

De sacris oleis et aliis requisitis. 31. Sacrum chrisma. et sanctum oleum, quod et catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta feria quinta in Coena Domini.

32. Curet parochus, ut ea suo tempore quam primum habeat,[1]) et tunc vetera in ecclesia comburat.

33. Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur;[2]) ac si deficere videantur, et

---

catechumenorum adhibere potest, sed omnia sunt omittenda, quae Baptismum praecedunt, atque haec postmodum supplenda sunt in ecclesia; permittuntur autem, si sacrum Chrisma in promptu est, ea, quae Baptismum subsequuntur, adhibita stola albi coloris; immo ea, quae Baptismum subsequuntur, potius debent statim perfici, si fieri potest, quam differri, ut concludere licet ex iis, quae Rituale Romanum habet (Cfr: *D. auth. n. 2607).*

[1]) Non licet sacra olea transmittere per officia publica postalia vel similia; licet, deficientibus clericis, per laicos omnino fidos. Ita *S. Offic.* d. 14. Jan. 1903: cf. *Acta S. Sedis* 36, 114.

[2]) In Baptismo solemni licet uti chrismate anni praecedentis, usque dum recens consecratum acceptum fuerit.

chrisma, aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate.

34. Chrisma et oleum sacrum sit in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis, bene obturatis; quae vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat maiusculis litteris incisam, ne quis error committatur.

35. Ad usum vero quotidianum minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno, sive separata, sive etiam coniuncta; apte tamen distincta et bene cooperta, et cum suis inscriptionibus, ut supra, ne parochus aberret, et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter.

36. In ea igitur ex maioribus vasculis chrismatis et olei, quod sufficiat, infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit, in his vasculis bombacium, seu quid simile habere, oleo sacro et chrismate separatim perfusum, in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur.

37. Haec vascula ita parata in loco proprio, honesto ac mundo, sub clave, ac tuta custodia decenter asserventur, ne ab aliquo, nisi a sacerdote, temere tangantur, aut eis sacrilege quisquam abuti possit.

38. Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel per alium sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiae ministrum haec olea deferantur; caveat item, ne de iis quidquam ulli unquam tribuat, cuiusvis rei praetextu.

Itaque omitti non debet chrismatis et olei unctio ex eo, quod olea recenter consecrata nondum haberi potuerint (*D. auth. n. 2773 ad 4*), nec eorum defectus sufficiens ratio est differendi Baptismum ad aliud tempus quantumvis breve. Peccaret vero, qui, chrismate recenti posthabito, veteri uteretur.

39. Sal, quod in os baptizandi immittendum est, sit benedictum sua peculiari benedictione, quae infra praescribitur;[1]) neque utatur sale exorcizato ad benedicendam aquam; sitque prius bene confractum et attritum, siccum ac mundum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, sed ad alios baptizandos servetur, aut in sacrarium abiiciatur.

40. Cum igitur Baptismi Sacramentum iam administrandum est, haec in promptu esse debent:

41. Vascula sacri olei catechumenorum et chrismatis.

42. Vasculum cum sale benedicendo, vel iam, ut dictum est, benedicto.

43. Vasculum, seu cochlear ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptismi fundendam supra caput baptizandi, quod nulli praeterea alii usui deserviat.

44. Pelvis, seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in sacrarium defluat.

45. Gossipium, alio nomine bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca sacris oleis inuncta.

46. Stolae duae, ubi commode haberi possunt, una violacea et altera alba, ut infra notatur, mutanda; sin minus, una saltem adhibeatur.[2])

47. Medulla panis, qua inuncti sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur, et vas pro manuum lotione post Baptismum, quod huic tantum usui deservire decet.

---

1) Pag. 146, num. 6.

2) Licet uti stola bicolori ex una parte violacea et ex altera alba iuxta opportunitatem ex ea parte invertenda, quae colorem praeferat a Rituali praescriptum *(D. auth. n. 3086 ad VII).*

48. Alba vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum infantis capiti imponendum.

49. Cereus, seu candela cerea, baptizato ardens tradenda.

50. Denique Ritualis liber sit paratus, et item liber baptismalis, in quo baptizati describuntur.

51. Omnibus igitur opportune praeparatis, sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem, lotis manibus, superpelliceo et stola violacea indutus accedat, clericum unum, seu plures, si potest, secum adhibeat, superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent.

52. Ita paratus accedat ad limen ecclesiae, ubi foris exspectant, qui infantem detulerunt.

53. Interroget (nisi de his bene sibi constet), an sit suae parochiae, masculus an femina, an sit domi baptizatus, et a quo, et quam rite, et qui sint compatres, qui infantem teneant, pro eoque respondeant; quos pie ac decenter assistere, ac, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat.

54. Et quoniam iis, qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in eius militiam adscribendis, nomen imponitur, curet, ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur.

55. His igitur expeditis, et accepto nomine baptizandi, positi, si infans fuerit, super brachium dextrum illius, qui eum defert, parochus ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

Ordo Baptismi parvulorum.[1]

1. Sacerdos: N. Quid petis ab Ecclesia Dei? [2]
Patrinus: Fidem.
Sacerdos: Fides, quid tibi praestat?
Patrinus: Vitam aeternam.

---

[1] Quaestiones et responsa patrini *fieri vernacula lingua possunt, si eadem a parocho prius sermone latino recitentur.* Ita *S. R. C.* d. d. 5. Martii 1904 in *Uticensi* ad IV.

[2] *Germanice:*
Priester: N. Was begehrst du von der Kirche Gottes?
Pate: Den Glauben.
Priester: Wozu nützt dir der Glaube?
Pate: Zum ewigen Leben.

[2] *Gallice:*
D: N. Que demandez-vous à l'église de Dieu?
R: La foi.
D: Que vous procure la foi?
R: La vie éternelle.

[2] *Anglice.*
Q: N. What dost thou ask of the church of God?
A: Faith.
Q: What doth faith bring thee to?
A: Life everlasting.

[2] *Hollandice.*
V: N. Wat vraagt gij van de Kerk Gods?
A: Het geloof.
V: Wat geef U het geloof?
A: Het eeuwig leven.

[2] *Polonice:*
X: N. Czego żądasz od kościoła Bożego?
O: Wiary.
X: Wiara coć dawa?
O: Żywot wieczny.
X: Jeżeli chcesz wnijść do żywota, chowaj przykazania: Będziesz miłował Pana Boga twego ze wszystkiego serca twego i ze wszystkiéj duszy twojéj i ze wszystkiéj myśli twojéj, a bliźniego swego jako siebie samego.

2. *Sacerdos.* Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum.

3. *Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, et dicat semel:*

Exi ab eo (*vel* ab ea), immunde spiritus, et da locum Spiritui sancto Paraclito.

4. *Postea pollice faciat signum crucis in fronte, et in pectore infantis, dicens:*

Accipe signum crucis tam in fronte †, quam in corde †, sume fidem coelestium praeceptorum, et talis esto moribus, ut templum Dei iam esse possis.

Oremus. Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi: et hunc electum tuum N. crucis Dominicae impressione signatum perpetua virtute custodi: ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

5. *Deinde imponat manum super caput infantis ac dicat:*

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem caecitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus: aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

6. *Deinde sacerdos benedicat sal, quod semel benedictum alias ad eundem usum deservire potest.*

Benedictio salis. Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in caritate Domini nostri Jesu Christi †, et in virtute Spiritus sancti †. Exorcizo te per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum sanctum †, per Deum †, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit, ut in nomine sanctae Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine, Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices †, et benedicendo benedicas †, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. — *R.* Amen.

7. *Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens:*

N. Accipe sal sapientiae: propitiatio sit tibi in vitam aeternam. — *R.* Amen.

Sacerdos. Pax tecum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur caelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum, Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus sancti †, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei N.: Ipse enim tibi

imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio eius, et Spiritui sancto, et recede ab hoc famulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

8. *Hic pollice in fronte signat infantem, dicens:*

Et hoc signum sanctae crucis †, quod nos fronti eius damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

9. *Mox imponit manum super caput infantis, et dicit:*

Oremus. Aeternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum N., ut digneris illum illuminare lumine intelligentiae tuae: munda eum, et sanctifica; da ei scientiam veram, ut dignus gratia Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

10. *Postea sacerdos imponit extremam partem stolae super infantem, et introducit eum in ecclesiam, dicens:*

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam. — *R.* Amen.

11. *Cum fuerint ecclesiam ingressi, sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus coniunctim clara voce dicit:*

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium

eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus; descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum; sanctam Ecclesiam catholicam; Sanctorum communionem; remissionem peccatorum; carnis resurrectionem; vitam aeternam. Amen.

Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

12. *Ac deinde, antequam accedat ad baptisterium, dicat:*

Exorcismus. Exorcizo te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in nomine Jesu Christi Filii eius, Domini et Judicis nostri †, et in virtute Spiritus sancti †, ut discedas ab hoc plasmate Dei N., quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitet in eo. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

R. Amen.

13. *Postea sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, et tangat aures et nares infantis: tangendo vero aurem dexteram, et sinistram, dicat:*

Ephpheta, quod est adaperire: *deinde tangit nares, dicens:* In odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim iudicium Dei.

14. *Postea interrogat baptizandum nominatim, dicens:* [1])

N. Abrenuntias satanae? — *Resp. patr.:* Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus operibus eius? — *R.* Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus pompis eius? — *R.* Abrenuntio.

15. *Deinde sacerdos intingit pollicem in oleo catechumenorum, et infantem ungit in pectore et inter scapulas in modum crucis, dicens:*

---

[1]) *Germanice:*

Priester: N. Widersagst du dem Satan? — Pate: Ich widersage.

Priester: Und allen seinen Werken? — Pate: Ich widersage.

Priester; Und aller seiner Pracht? — Pate: Ich widersage.

[1]) *Gallice:*

D: N. Renoncez-vous à Satan? — *R:* J'y renonce.
D: Et à tous ses oeuvres? — *R:* J'y renonce.
D: Et à toutes ses pompes? — *R:* J'y renonce.

[1]) *Anglice:*

Q: N. Dost thou renounce Satan? — *A:* I do renounce him.
Q: And all his works? — *A:* I do renounce them.
Q: And all his pomps? — *A:* I do renounce them.

[1]) *Hollandice:*

V: N. Verzaakt gij den duivel? — *A:* Ik verzaak.
V: En al zijne werken? — *A:* Ik verzaak.
V: En al zijne ijdelheden? — *A:* Ik verzaak.

[1]) *Polonice:*

X: N. Odrzekasz się ducha złego?
O: Odrzekam.
X: I wszystkich spraw jego?
O: Odrzekam.
X: I wszelkiéj pychy jego?
O: Odrzekam.

Ego te linio † oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam. — *R.* Amen.

16. *Hic deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris.*

17. *Subinde pollicem et inuncta locà abstergit bombacio, vel re simili. Et interrogat expresso nomine baptizandum, patrino respondente:*

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae? — *R.* Credo.

Credis in Jesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum, et passum? — *R.* Credo.

Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam? — *R.* Credo.[1])

---

[1]) *Germanice:*

Priester: N. Glaubst du an Gott Vater, den allmächtigen, Schöpfer des Himmels und der Erde? — Pate: Ich glaube.

Priester: Glaubst du an Jesum Christum, seinen eingeborenen Sohn, unsern Herrn, der geboren worden ist und gelitten hat für uns? — Pate: Ich glaube.

Priester: Glaubst du auch an den Heiligen Geist, eine heilige katholische Kirche, Gemeinschaft der Heiligen, Nachlaß der Sünden, Auferstehung des Fleisches und ein ewiges Leben? — Pate: Ich glaube.

Priester: N. Willst du getauft werden? — Pate: Ich will.

[1]) *Gallice:*

D: N. Croyez-vous en Dieu le Père tout-puissant, créateur du ciel et de la terre? — *R:* J'y crois.

D: Croyez-vous en Jésus-Christ son fils unique, notre Seigneur, qui est né et qui a souffert? — *R:* J'y crois.

D: Croyez-vous au Saint-Esprit, la sainte Eglise catholique, la communion des Saints, la rémission des péchés, la resurrection de la chair, la vie éternelle? — *R:* J'y crois.

D: N. Voulez-vous être baptisé? — *R:* Je le veux.

18. *Subinde expresso nomine baptizandi, sacerdos dicit:*

N. Vis baptizari? — *Resp. patr.:* Volo.

---

1) *Anglice:*

Q: N. Dost thou believe in God the Father almighty, Creator of heaven and earth? — *A:* I do believe.

Q: Dost thou believe in Jesus Christ, his only Son, our Lord, who was born into this world and who suffered for us? — *A:* I do believe.

Q: Dost thou believe in the holy Ghost, the holy catholic Church, the communion of Saints, the forgiveness of sins, the resurrection of the body, and life everlasting? — *A:* I do believe.

Q: N. Wilt thou be baptized? — *A:* I will.

1) *Hollandice:*

V: N. Gelooft gij in God den Vader almachtig, Schepper van hemel en aarde? — *A:* Ik geloof.

V: Gelooft gij in Jezus Christus, zijn eenigen Zoon, onzen Heer, die geboren is en geleden heeft? — *A:* Ik geloof.

V: Gelooft gij ook in den heiligen Geest, de heilige katholieke Kerk, de gemeenschap der Heiligen, de vergiffenis der zonden, de verrijzenis des vleesches en het eeuwig leven? — *A:* Ik geloof.

V: N. Wilt gij gedoopt worden? — *A:* Ik wil.

1) *Polonice:*

X: N. Wierzysz w Boga Ojca Wszechmogącego, Stworzyciela nieba i ziemi?

O: Wierzę.

X: Wierzysz w Jezusa Chrystusa, Syna jego jedynego, Pana naszego, narodzonego i umęczonego?

O: Wierzę.

X: Wierzysz w Ducha Świętego, święty kościół powszechny, świętych obcowanie, grzechów odpuszczenie, ciała zmartwychwstanie, żywot wieczny?

O: Wierzę.

X: N. Chcesz być ochrzczonym?

O: Chcę.

19. *Tunc patrino, vel matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit:*

N. Ego te baptizo in nomine Patris † *(fundat primo)*, et Filii † *(fundat secundo)*, et Spiritus † sancti *(fundat tertio)*.[1])

20. *Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, sacerdos accipit infantem, et advertens ne laedatur, caute immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit:*

N. Ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti.

21. *Mox patrinus, vel matrina, vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu sacerdotis.*

22. *Si vero dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma:*

N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti.

23. *Deinde intingit pollicem in sacro chrismate, et ungit infantem in summitate*[2]) *capitis in modum crucis, dicens:*

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, *(hic inungit)* ipse te lineat chrismate salutis † in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam. — *R.* Amen.

S. Pax tibi. — *R.* Et cum spiritu tuo.

---

1) Vox *Amen* in fine formulae non reperitur in Rituali Romano et ex *Decr. auth. S. R. C. n. 3914 ad 2* omittenda est.

2) Non ungitur frons, quia hoc ab Episcopo fit in Confirmatione, sed vertex *(Baruffaldus in h. l.)*.

24. *Tum bombacio, aut re simili abstergit pollicem suum, et locum inunctum, et imponit capiti eius linteolum candidum loco vestis albae, dicens:*

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. — *R.* Amen.

25. *Postea dat ei, vel patrino, candelam accensam, dicens:*

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum; serva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula caelesti, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. — *R.* Amen.

26. *Postremo dicit:*

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum.

R. Amen.

27. *Si vero fuerint plures baptizandi, sive masculi sive feminae, in catechismo*[1] *masculi statuantur ad dexteram, feminae vero ad sinistram; omnia pariter dicantur, ut supra, in proprio genere, et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio,*[2] *crucis impressio, seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio olei catechumenorum, interrogatio de fide, seu symbolo, et ipse Baptismus, inunctio chrismatis, candidae vestis impositio, atque accensae candelae traditio, singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis fieri debent.*

28. *Si infans, vel adultus aegrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat antequam Baptismus perficiatur, sacerdos, omissis quae Baptismum praecedunt, eum baptizet, ter vel etiam semel infundens aquam super caput eius in modum*

---

[1] i. e. infra institutionem, quae fit ad limen ecclesiae.

[2] (et salis impositio).

crucis, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti.

29. *Si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendeat, sacerdos utatur aqua simplici.*

30. *Deinde si habeat chrisma, lineat eum in vertice, dicens:* Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, *etc. ut supra* (pag. 152).

Postea dat ei linteolum candidum dicens: Accipe vestem, *etc. ut supra* (pag. 153).

Ac demum dat ei cerеam candelam accensam, dicens: Accipe lampadem, *ut supra* (pag. 153).

Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

31. *Admonendi sunt susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre et matre; quae cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.*

32. *Curet parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum; sed eum diligenter custodiant, et opportune ad christianam disciplinam instituant.*

33. *Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios hebraeis, aliisque infidelibus, vel haereticis mulieribus ullo modo lactandos aut nutriendos tradant.*

34. *Antequam infans ex ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato Baptismo ad praescriptam formam in baptismali libro parochus accurate describat.*

Ordo supplendi omissa super baptizatum.

(Ex Rituali Romano.)

1. *Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, parvulus, sive adultus, sacris precibus ac caeremoniis praetermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum et ad ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur; idemque*

ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus), seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus est; [1] *excepto quod interrogatio, an velit baptizari, formaque Baptismi et ablutio praetermittuntur, et quaedam orationes et exorcismi suo quique loco immutati,* ut hic sequitur.

2. *Sacerdos igitur antequam immittat sal in os baptizati, manum super caput eius imponens dicit:*

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem caecitatem cordis ab eo expelle; disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuae, ut, signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus sit frui gratia Baptismi tui, quem suscepit, salis percepta medicina. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

3. *Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis* [*baptizati*], *dicens:*

Accipe sal sapientiae; propitiatio sit tibi in vitam aeternam. — *R.* Amen.

Sacerdos: Pax tibi. — *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N., respicere digneris propitius, et

---

[1] Si adulto *catholico* valide post nativitatem baptizato, sed omissis caeremoniis, supplendae sunt caeremoniae et preces, serventur eae, quae in Rituali Romano assignantur pro Baptismo infantium *(D. auth. n. 2743 ad 3);* aliter in conditionato baptismo hominis acatholici cum caeremoniis *(ibid. ad 4).*

hoc pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo expleatur caelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens, et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

4. *Post haec, facto signo crucis in fronte baptizati, dictisque illis verbis:*

Et hoc signum crucis †, quod nos fronti eius damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

5. *Manu super caput eius imposita, dicit:*

Oremus. Aeternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum N., ut digneris eum illuminare lumine intelligentiae tuae; munda eum et sanctifica; da ei scientiam veram, ut dignus sit frui gratia Baptismi tui, quem suscepit; teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

6. *In Baptismo autem adultorum, praeter illa, quae supra notata sunt, quando supplentur omissa, haec mutari debent: primum in exorcismo* Audi maledicte satana, *ubi dicitur* habitaculum perficiat, *dicatur:* habitaculum perfecit; *deinde in exorcismo* Nec te latet, *ubi dicitur:* ut fiat, dicatur: ut fieret.

De iteratione [1]) Baptismi.

A Sacramenti huius absolute et sine conditione ministrandi reiteratione non tantum sacerdos, sed

[1]) Cfr. Rit. Rom. de Bapt. adultorum. — Catech. Rom. p. II, c. 2, qu. 41—44. — Ben. XIV. Instit. eccl. 8 (p. 31)

etiam quilibet alius sedulo sibi caveat, cum non solum enorme sacrilegium committeretur, verum etiam tum ab eo, qui absolute et publice rebaptizat, tum a scienter et solemniter rebaptizato irregularitas incurreretur, modo ne excusentur ex ignorantia. Attamen, si Baptismus ab obstetricibus, vel aliis viris aut feminis in necessitate fuerit collatus, rigorosum examen instituat parochus, et severam rationem exigat de quavis parte et quolibet Baptismo ab his personis ministrato;[1]) licet enim eiusmodi feminae alias satis fideles et probe instructae sint, facile tamen repentini casus tumultu consternatae, aut periculi sollicitudine perplexae redduntur, aut, ne pro imperitis habeantur et deinceps ab officio excludantur, errores commissos tegunt; hinc si in dictis vacillent, aut sibi non sint constantes, nec accedat testimonium personae[2]) fide dignae, quae Baptismo collata astitit, aut si aliud prudens dubium et probabilis ratio dictaverit,

---

et 85 (pag. 402—405) ed. Rom. 1747. — De Syn. dioec. lib. 8, cap. 5 et 6. — S. Alph. theol. mor. lib. 6 tract. 2 n. 136 et 137.

[1]) Prius obstetricem, dein testes separatim *et dextre* examinet: 1⁰, an aqua fuerit naturalis; 2⁰, an in quantitate sufficienti; 3⁰, an caput aliudve membrum ablutum fuerit; 4⁰, an aqua tetigerit cutem vel solummodo crines; 5⁰, an nihil in forma fuerit omissum; 6⁰, an verba prolata fuerint tempore ablutionis et ab eodem ipso, qui aquam infudit.

[2]) Ad probandum validum Baptismum sufficit quidem testis unus fide dignus (S. C. C. 1769; Bened. XIV. *Institutio I, num. I, et* Const. *Postremo mense d. d. 21. Febr. 1747);* at cave, ne facilius aliquem hac in re ita fide dignum reputes; quare pro Indiis orientalibus S. C. de Prop. F. requirit plerumque *duos testes* ad hoc, ut Missionarius *non teneatur* Baptismum conditionate repetere: Collect. Concil. Lac. VI, col. 670.

sub conditione repetendus erit Baptismus. „Si de aliquibus dubium est utrum sint baptizati, absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: non te rebaptizo; sed si nondum es baptizatus, ego te baptizo etc.“ *(Conc. Germ. ad annum 745, c. 28. Hartzheim. tom. I, p. 74).* Quod a fortiori intelligendum esse experientia suadet tam de rudibus obstetricibus in pagis constitutis, quam de aliis minus peritis in necessitate baptizantibus. Si vero ea, quae ad validam Baptismi administrationem quoad materiam, formam et intentionem pertinent, rite adhibita fuisse per testes, aut aliunde certo constet, nequaquam et ne sub conditione quidem Baptismus licite repeti potest, quidquid de hoc praxis habeat, quam sacrilegam vocare S. Carolus Borromaeus non dubitavit. (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 7, cap. 6, num. 3.)*

Si dubium, validene Baptismus sit collatus, exortum fuerit, in rem inquirendum est; at si *aliqua* ratio prudenter dubitandi reperiatur, sub conditione est repetendus.[1])

Certum quidem est (et de fide ex Trid.), validum esse Baptismum collatum ab haereticis, quando omnia requisita ad Sacramentum adhibentur; sed merito putant theologi, pueros baptizatos a ministris protestantibus facile esse sub conditione rebaptizandos, quia praesertim hac nostra aetate de materia, forma, et intentione talium ministrorum, qui hoc Sacramentum absolute necessarium non iudicant, ideoque parum de eo rite conferendo curant, facile dubitari debet. *Conc. prov. Colon. a. 1860, p. 109* hac de re statuit: „pro re nata loco-

---

[1]) Si quando in iis casibus occurrentibus praescribitur recursus ad Episcopum, id sane intelligitur pro iis adiunctis, quae moram patiuntur: nam in vitae discrimine illico securiora eligenda sunt.

rum et personarum momenta diligenter attendenda et ponderanda sunt, et si dubium non evanescit, Baptismus sub conditione iterandus est. Quoties vero agitur de Baptismo a ministris societatum, quae se germanocatholicas, aut communitates liberas vocitant, collato, semper est iterandus."

De Sacramento Poenitentiae.

I. Instructio Ritualis Romani.

1. Sanctum Poenitentiae Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos a Christo Domino institutum, eo diligentius administrandum est, quo frequentior est eius usus, et quo plura requiruntur ad illud recte digneque tractandum ac suscipiendum. Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, materia, forma, et minister: illius quidem remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio; forma autem illa absolutionis verba: *Ego te absolvo,* etc.; minister denique est sacerdos habens potestatem absolvendi vel ordinariam vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere. In eius ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretae confessionis sub exacto perpetuoque silentio. Quibus et aliis ad id opportunis ut optime sint instructi, omni studio curare debent confessarii.

2. In primis meminerit confessarius, se iudicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse, ut tamquam arbiter inter Deum et homines, honori divino et animarum saluti consulat.

3. Ut ergo recte iudicare queat, discernens inter lepram et lepram, et tamquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare sciat, quantam potest maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, praesertim e catechismo Romano, et prudenti consilio peritorum studeat sibi comparare.

4. Sciat casus et censuras Sedi Apostolicae et Ordinario suo reservatas et suae cuiusque ecclesiae constitutiones, easque diligenter observet.

5. Denique huius Sacramenti doctrinam omnem recte nosse studebit, et alia ad eius rectam administrationem necessaria. Atque in hoc ministerio ita procedat, ut infra praescribitur.

6. Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se praebeat: ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.[1])

7. In ecclesia, non autem in privatis aedibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili; quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare.

8. Habeat in ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat; quae sedes patenti, conspicuo et apto ecclesiae[2]) loco posita,

---

1) „Prius brevi aliqua oratione lumen et gratiam a Domino petat, ut non solum in nullam reprehensionem vel errorem incidat, verum aliorum sordes sic abstergere valeat, ut seipsum non polluat; simul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confessiones auditurus est.“ S. Carol. Borrom. *Instructio pro confessariis cap. 5.* — Oratio audituri confessiones habetur supra P. I, pag. 246.

2) Confessionalia monialium non possunt esse in sacristiis, vel domibus, quas inhabitant confessarii, sed exstare de-

crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa.

9. Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, (pag. 130 n. 7) prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

10. Poenitens, si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat[1]) et flexis genibus signo crucis se muniat.[2])

11. Mox confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit), et quampridem sit confessus, et an impositam poenitentiam adimpleverit; num rite atque integre alias confessus fuerit; num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.

12. Quod si poenitens aliqua censura vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a Superiore.

13. Si vero confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit poenitentem ignorare christianae fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, et aliis ad salutem cognitu necessariis, et ignorantiam eius corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

---

bent in ecclesiis monialium *(S. C. C. 20. Sept. 1642).* Notat vero S. Alphonsus (Theol. moral. lib. 6 n. 577, 4⁰) ex hac declaratione S. C. confessionalia monialium amovenda quidem esse a sacristia vel aliis locis occultis et collocanda in exterioribus ecclesiae; *in necessitate* tamen licere audire confessiones in alio loco, modo vitetur aspectus confessarii et monialis.

[1]) Cfr. Bened. XIV *de Syn. dioec. lib. 11 cap. 12.*

[2]) Multis in locis confessarius poenitenti benedictionem impertit his verbis: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua. In nomine Patris et Filii † et Spiritus sancti. Amen.*

14. Tum poenitens confessionem generalem latina vel vulgari lingua dicat, scilicet: *Confiteor,* etc., vel saltem utatur his verbis: *Confiteor Dei omnipotenti, et tibi pater.* Peccata sua exinde confiteatur, adiuvante, quotiescumque opus fuerit, sacerdote: qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, confessione; neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere; proinde fiduciam ei praebeat, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorundam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.

15. Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.[1])

16. Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim iuniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

17. Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quae ille admisit magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac poenitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

18. Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserint, iniungat, habita ratione status, conditiones, sexus, et aetatis, et item dispositiones poeniten-

---

[1]) Sumendus est numerus certus, si haberi potest; sin autem, exquiratur, quoties in die, vel hebdomada, vel in mense peccatum commiserint.

tium.[1]) Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas poenitentias imponat; ne, si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem.

19. Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias iniungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis ieiunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat, communicent.

20. Poenitentias pecuniarias sibi ipsis confessarii non applicent, neque a poenitentibus quidquam tamquam ministerii sui praemium petant vel accipiant.[2])

---

[1]) Quando vis poenitentiam iniungere, non est opus, te habere distinctam memoriam omnium peccatorum, quae audisti, sed sufficit confusa notitia status poenitentis. Si vero ita oblitus esses omnium, ut ne confusam quidem hanc peccatorum notitiam haberes, teneris per paucas interrogationes repetere cognitionem aliquam status conscientiae poenitentis, cavendo tamen, ne reddas confessionem odiosam et nimis gravem poenitenti. Si vero iam imposueris poenitentiam, non est necessarium, ut, quando absolvis, etiam confuse memineris peccatorum et poenitentiae impositae.

[2]) „Confessarii in confessionibus audiendis Missarum stipendia nec imponant in poenitentiam, nec ea sponte oblata recipiant, ne turpis lucri suspicionem incurrant et pusillis scandali occasionem praebeant“ *(Conc. prov. Colon. a. 1860, pag. 114; Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 5 cap. 10 num, 6 et Institutio 92).*

21. Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponant.

22. Videat autem diligenter sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel denegenda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant; neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

23. Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio); sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat; ac si periculum evaserit et aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus.

24. Quodsi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiant, nutibus et signis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere: quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

25. Meminerit porro sacerdos, aegris non esse iniungendam gravem aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim iuxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactione imposita et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

II. Monita generalia pro confessariis ex variis auctoribus desumpta.

1. Confessarius habet munus quadruplex: est minister vices gerens Christi, est iudex, est medicus, est doctor. Qua *minister* vices Christi gerens et immediate concurrens ad gratiam, debet *sollicite, fideliter, reverenter* et *digne* ministrare hoc Sacramentum. Qua *iudex* debet providere, ut confessio fiat *recte* et *integre;* debet dare, vel differre, vel negare absolutionem, prout poenitens est dispositus; debet iniungere salutarem et proportionatam satisfactionem. Qua *medicus* debet scire et suggerere media apta ad praecavenda peccata, praescribere poenitentias medicinales et dehortari a periculis relapsus. Qua *doctor* debet instruere in rebus ad animam et profectum in via spirituali pertinentibus. Minister Poenitentiae sit discretus et cautus, ut more periti medici similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium praebere, et eiusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum.[1]) — Ille est bonus confessarius, et recte implet munus suum, qui poenitentem *benigne* excipit, *patienter* audit, *prudenter* interrogat et instruit,[2]) *suaviter* arguit, prout tempus et necessitas exigit, quandoque *timore concutit,* semper *spe erigit,* continuo *amore virtutis* accendit.

---

1) Cfr. *Reginaldi,* de prudentia et ceteris in confessario requisitis. Lugduni 1611.

2) Maxime contemnenda est praxis illorum non tam confessariorum, quam mercenariorum, qui, vix peccatis obiter auditis, tamquam nihil nisi latine loqui didicissent, omni manu absolvere festinant. Cfr. *Conc. prov. Pragensis [a. 1860] it. 4 n. 8 pag. 117.*

2. Promptum, paratum ac facilem se praebeat, maxime singulis diebus Dominicis et festivis,[1]) in sede sua ad confessiones audiendas, ut iam hoc suo exemplo omnes adhortetur ad frequentem confessionem, et ut avertat omne tum propriae, tum alienae salutis detrimentum ex suo taedio oriundum, si nunquam sponte et nonnisi cogente necessitate, aut magna festivitate se offerat; nec certos dies vel horas confessionum audiendarum publice populo determinet, ne gratiam divinam in angustos certi temporis fines includere et misericordiam Dei fideliumque necessitates momentis tantum a se praedestinatis alligare velle videatur. Bonus pastor non vult, ut ab ovicula perdita quaeratur, sed eam ipse quaerit; nec horret cupidus piscator ultro sedere et exspectare donec pisciculus hamo adnatet.

3. Erga omnes indiscriminatim poenitentes confessarius benignum, affabilem, comem et misericordem se praebeat, potissimum erga viros et iuvenes; erga feminas autem maturum et gravem, non familiarem se exhibeat; curam particularem ipsarum non suscipiat, breviter eas expediat, praesertim si crebrius confitentur, nec de rebus ad confessio-

---

[1]) „Omnibus pastoribus aliisque confessariis specialiter iniungimus, serioque mandamus, ut non solum ipsis diebus Dominicis et festivis summo mane ante et post primam Missam, sed etiam sabbato et pridie dierum festorum post meridiem seu sub vesperum hora competente et statuta ad confessionale se conferant“ (cf. Dumont, Kirchl. Erlasse, ed. 2a No. 101). — „Effugium autem, quo socordia quandoque excusatur, dicendo, neminem esse, qui horis vespertinis ad confitendum accedat, proinde necesse non esse, ut sacerdos in sacro tribunali assideat, tamquam inane reiicimus, quum experientia constet, fideles, ubi confessarios promptos ac paratos inveniunt, ad confitendum accedere“ *(Conc. prov. Colon. a. 1860, pag. 113)*.

nem et salutarem instructionem non pertinentibus in *confessione* cum iisdem loquatur,[1]) neque eas ad nimis frequenter confitendum invitet, sed potius inducat, ut vitam serio emendent, et saltem in eo confitendi intervallo acquiescant, quod plerisque etiam monialibus praescribitur; *extra confessionem* vero, eo ipso, quod eas audit in confessione, sibi ab earum familiaritate abstinendum esse sciat.

4. Licet suadendum sit, ut quivis eodem confessario stabiliter utatur, haud prodest tamen conscientiis laqueum iniicere et poenitentes impellere, ut promittant, se alteri confessario in posterum non esse confessuros, sed libertas omnibus concedatur, immo suadeatur, ut quandoque pro exoneranda conscientia ad alium confessarium accedant. Prudens confessarius nunquam id sibi displicere ostendit, quinimmo interdum connivet, si poenitens ad alium confessarium accesserit. Si solus sit confessarius in aliquo loco, copiam alterius confessarii suis subditis,[2]) etiam aegrotis, paterne offerat, et an-

---

1) Caveat etiam confessarius, ne cum mulieribus, quae frequentius ad Poenitentiae Sacramentum accedunt, prolixos trahat sermones *(Conc. prov. Colon. ibid.)*.

2) Ut fidelibus apud alios sacerdotes, si volunt, confitendi occasio praebeatur, parochi subinde per annum, praesertim vero tempore paschali alios presbyteros externos ad confessiones audiendas vocare tenentur. Dominico autem die proxime praecedente, affuturum esse sacerdotem externum ad confessiones excipiendas, populo annuntiandum est *(Conc. prov. Colon. a. 1860 p. 114)*. — Praecepto annuae confessionis satisfacit, qui *sacerdoti ab Episcopo approbato* confitetur. — Non est opus, ut haec confessio fiat proprio parocho, neque datur obligatio petendi eiusdem licentiam ad confitendum sacerdoti alteri. (Cfr. *Conc. prov. Colon. pag. 112. — Bened. XIV. de syn. dioec. l. 11 cap. 14* et *Institutio 18; S. Alph. lib. 6 num. 564; Knopp*, „*Ueber*

nuentibus de eo ipse provideat, ut sacrilegia praevertat et animas lucretur. — Existimationi etiam aliorum confessariorum cuiuscumque status et ordinis consulat, ut omnes intelligant, confessarios tamquam Dei vicarios mutuo caritatis vinculo colligatos, nihil quaerere, nisi gloriam Dei et salutem animarum.

5. Antequam incipiat confessiones audire, excitet desiderium salutis animarum et honoris divini; imploret gratiam Spiritus sancti, formetque maioris devotionis causa intentionem absolvendi; et quia quandoque absolute, quandoque sub conditione [1])

---

den sacerdos proprius zur Verwaltung des Bußsakramentes, Regensburg 1851".

[1]) Absolutio *sub conditione de futuro* nunquam dari potest, cum Sacramenti valor suspendi nequeat ad eventum appositae conditionis: *sub conditione tamen de praesenti,* quotiescumque urget necessitas Sacramenti, absolutio danda est: 1) si prudens dubium adest, num poenitens iam ad sufficientem usum rationis pervenerit; 2) si incertum sit, num poenitens adhuc vivat; 3) si moribundus non certa dederit poenitentiae signa; 4) si certa peccata haberi non possint; 5) si confessarius prudenter dubitet, an formam substantialiter integram protulerit; 6) si ex una parte poenitens dubie dispositus est, sed simul in bona fide sufficientis dispositionis versatur, et ex altera parte ex absolutione omnino non data gravioris diffamationis, vel scandali, vel damni non aliter quam per aliud peccatum (v. g. mendacium) effugiendi, vel plenae ab alienationis poenitentis a Sacramentis periculum timetur, vel si ex adiunctis coniicere licet, nunquam fore, ut omne dubium circa necessariam poenitentis dispositionem absit, simulque durius sit, eum diutius absolutionis gratia privare, cuius capax et dignus esse possit. — Ista conditio *interius concepta absque verbis expressis* formae absolutionis adiungi potest. (Cfr. *Instr. past. Eystett. pag. 208; Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 7, cap. 15.)*

debebit absolvere, potest initio formare hoc modo: sic volo absolvere, sicuti exiget dispositio poenitentis *(Lacroix n. 1711)*.

Iam auditurus benedicat poenitenti more solito (cfr. pag. 161, nota 2) et, si nescierit, conetur intelligere, quando ultimo sit confessus, nam hoc multum iuvat ad directionem et ad cognoscendum statum conscientiae.

6. Recensentem peccata iuvet interrogando,[1]) quando opus est, absque omni respectu personarum, quia Christus non condidit pro principum et magnatum confessionibus peculiarem theologiam, sed voluit eos eadem lege teneri. Non quidem debet confessarius adeo emungere poenitentem, ut eliciat sanguinem; attamen tenetur, interrogando eundem iuvare, ut quae ille ignorat, vel prae verecundia sive ex negligentia tacet, eliciat, sicque integram faciat confessionem. Videns poenitentem verecundantem, animum ei addat hoc modo, „fortasse, carissime, non omnia, quae gessisti, in memoriam modo veniunt; ego te interrogabo; tu cave, ne diabolo suadente aliquid celare praesumas“: et tunc blande et leniter eum interroget. — Discrete pro poenitentium qualitate interrogandum, non quidquid possibile, sed quod pro status conditione probabile est poenitentem fecisse. — Parce, caste et caute procedendum est in peccatis contra sextum decalogi praeceptum. *Ne confessarius instruat poenitentem ad peccandum,* inquit S. Thomas, neve indiscretis interrogationibus *ipse,*

---

[1]) Quamvis debitum examinandi conscientiam sit praecipue poenitentis, nihilominus si confessarius cognoverit, poenitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, tenetur ipse eum interrogare, prius de peccatis, in quae verosimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie et numero *(S. Alph. Praxis conf. n. 19)*.

maxime si adhuc iuvenis sit, scandalum pariat,[1]) *vel de seipso suspicionem faciat*, inquit Gobat, praestat, in eiusmodi examine, si videatur necessarium, a longe et gradatim a levioribus progredi

---

1) In confessionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam sacerdotes, ita ut a poenitente usitata peccata et communia singillatim, inusitata vero tantum per quasdam circumlocutiones caute perquirant, praesertim a iunioribus, ne inexpertis detur materia, quod ante nescirent, perpetrandi *(Conc. Fritzlar 1246, can. 4).* Absque gravi causa et nisi gravis adsit probabilitas, quod poenitens abutatur matrimonio, confessarius in confessione ne aperte mentionem faciat de debito coniungali *(S. Poenitent. 8. Junii 1842)*, et satis erit (tum in confessione particulari, tum in generali) ubi causa quaerendi est, ex muliere quam decentissime quaesivisse, num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus praestiterit, neve aliquid habeat, quod conscientiam remordeat circa matrimonii scopum et sanctitatem. Quod si neget, generatim ulterius interrogari non debet; si affirmet, occasio tunc erit de abusu matrimonii caute interrogandi. De aliis, sc. de modo utendi matrimonio, seu de circumstantiis ad actum coniugalem spectantibus, de verbis, osculis, tactibus, amplexibus, aspectibus, quia in uxoratis culpam venialem generatim non excedunt, immo eâ vacabunt, si iusta causa interfuerit tali agendi aut permittendi, omnino taceat, nisi interrogatus fuerit, vel deprehendat conscientiam poenitentis ita errare, ut habeantur pro peccatis vel pro gravibus peccatis ea quae non ita sunt peccata. — S. C. Officii die 21. Maii 1851 propositionem „*Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus coniuges, etiamsi prudenter timeatur, ne coniuges, sive vir, sive uxor, abuntantur Matrimonio*“, declaravit *falsam, nimis laxam et in praxi periculosam.* — Meminerit insuper confessarius, imprudentem hac de re, importunum et inverecundum modum loquendi non raro iustam dedisse ansam non solum male de ipso suspicandi, sed etiam eum penes ordinarios iudices denuntiandi, quasi *in actu confessionis* (ut ait Greg. XV. in Bulla contra sollicitantes),

ad graviora, v. g. a peccatis mentis ad peccata oris. Si poenitens negat malas cogitationes, nec ratio subest suspicandi defectum sinceritatis vel nimiam verecundiam, plerumque opus non est interrogare de operibus, nisi agas cum rudibus, qui putant cogitationes non esse peccata; si poenitens fateatur cogitationes, interrogari potest de desideriis, et an non saltem voluisset peccare, si potuisset, vel ausus fuisset; tum de colloquiis turpibus, aspectibus, tactibus; quodsi fateatur, quaerendum est, an non forte aliquid etiam peius fecerit; nisi enim sic poenitentes interrogantur, saepe tacent, credentes satis esse, si in genere aliquid dixerint, vel dederint occasionem interrogandi; in modum vero et circumstantias ad confessionem non necessaria non investiget. De rebus mere domesticis, de vita et moribus eorum, quibuscum vivunt, ne interroget. — Sub peccato mortali et poena suspensionis a confessionibus audiendis *ferendae sententiae* aliisque gravioribus poenis prohibitum est, ne confessarii complicum nomina, aut circumstantias individuales complicum exquirant, quibus *hos* intelligere conentur, ita ut si poenitens ea manifestare renuerit, absolutionem ei denegent. (Cfr. *Bened. XIV. Const.* Ubi primum *d. d. 2. Junii 1746. — De Syn. dioec. lib. 6, cap. 11, num. 1—3.)* Ceterum nullatenus impeditur confessarius, quominus necessarias interrogationes instituat ad dignoscendas species peccatorum, proximas occasiones etc., etsi per accedens in cognitionem complicis deveniat. — Expedit saepe, ut in fine examinis interrogetur poenitens, num habeat praeterea aliquid aliud, quod

---

turpes habuerit sermones; et quidem iudices tum in eos, qui ex malitia, tum in eos, qui ex mera imprudentia sic deliquerint, animadvertere consuevisse *(P. Ballerini nota a) ad Gury* tom. *II,* num. *912*, *8*⁰).

conscientiam gravet; exinde enim plures sumunt occasionem confitendi tandem peccata hucusque omissa.

7. Si poenitens utatur superfluis circumlocutionibus et historiis in declaratione peccatorum suorum, vel afferat historias inutiles, domesticas querelas, negotia etc., confessarius, si illud sine offensione aut perturbatione poenitentis efficere potest, humaniter ac suaviter abrumpat, et cum debita lenitate omnia rescindat, dicendo opus non esse enarrare illas circumstantias, satis esse, si breviter dicat speciem et numerum; quandoque alio divertat sermonem, petendo an non hoc vel illud aliud peccatum fecerit. Si poenitens dicat: non iuravi, nullum furtum feci etc., monendus est, requiri solummodo, ut de peccatis se accuset. Si poenitens incipiat aliorum peccata detegere, confessarius statim moneat, ut de aliis taceat, ne detrahendo et infamando novum committat peccatum. Si nimis crasse, vel minus pudice quaedam peccata explicet, doceatur honestius ea eloqui.

8. Si poenitens afferat aliquid enorme, confessarius caveat, ne ulla det signa admirationis vel indignationis; proinde signa manuum vel pedum, gemitus, aliosque corporis motus omnino vitet, unde circumstantes colligere, aut saltem suspicari possent, dici peccata gravia, sicque frangeretur sigillum, et poenitens posset deterreri a detegendis reliquis peccatis. Quare confessarius ita sit compositus exterius et interius, ut nihil videatur in vultu, et gestibus, et moribus, vel etiam in vestitu, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum et qui meminit, se locum Dei tenere.

9. Universim abstinendum est ab increpationibus, obiurgationibus, asperis interrogationibus, severis admonitionibus, multo magis a contumeliis, facetiis etc., ne forte poenitentes deterriti cetera peccata sacrilege taceant, neve unius confessarii vitio

confessio efficiatur odiosa, fiatque ipse confessarius causa damnationis, qui salutis causa esse debuit. Confessarius semper memor sit, se gerere personam Christi, qui poenitentes blandissime recepit, nec ullo verbo asperiore obiurgavit. *Habeat in voluntate compati, et nitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini* (S. Pet. Dam. serm. 58). *Agendum est benigne cum hominibus, quia sic melius trahuntur ad salutem* (B. Humbertus). *Christus peccatorem blande suscipit* (ait Pet. Blesensis); *tu, peccator, qua praesumtione eum despicis et repellis? vis sub certis finibus limitare misericordiam Dei, cuius misericordiae non est finis? Paterfamilias largus est, et avarus est dispensator? Quid scis, si iam lacrimis et contritione mundatus est? liberatus est forte ipso proposito confitendi.* — Si vero poenitens videatur durae cervicis esse, eum finita confessione arguat, obsecret, increpet opportune, importune, in omni tamen patientia, caritate, lenitate et mansuetudine, „cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas“ *(Conc. Trid. XIII de reform. cap. 1).*

10. Confessarius tenetur admonere poenitentem de eius erroribus, quando ex ignorantia *vincibili* et mortaliter *culpabili* est in malo statu, quia alias nec ipsi, nec Sacramento consulit, cum poenitens sit indispositus. Si vero ignorantia sit *invincibilis*, confessarius eum *monere et instruere tenetur*, *quando speratur fructus*, *nec timentur incommoda graviora;* quae *si prudenter metuantur*, aut *fructus non speretur*, *non tenetur vel non potest monere* (nisi silentium officiat bono communi),[1]) quia debet bonum

[1]) Hinc monendus est poenitens de obligatione denuntiandi sollicitantem, quamvis praevideatur non obtemperaturus *(S. Alph. lib. 6, n. 694).*

poenitentis procurare; ac consequenter licite etiam suadet, ut secundum suam ignorantiam operetur, v. g. Caiae, ut reddat debitum Titio, quem invincibiliter credit sibi *matrimonio valido* esse coniunctum, cum ita non sit *(Sanchez* et alii apud *S. Alph. lib. 6, n. 609 et 611).* Ipse S. Alphonsus *(Hom. apost. tract. 16, n 113)* non vult, ut determinate et distincte id suadeatur, sed tantum indeterminate; nam dicit: „In casu, quo Matrimonium nulliter fuit contractum ob occultum aliquod impedimentum, et coniuges versantur in bona fide, si forte uxor se accusat, negasse debitum viro, tutior mihi videtur opinio, quod tunc confessarius ei dicat *in genere,* quod illa nequit absolvi, si obligationi suae satisfacere renuit; et quod iam scitur, mulierem teneri suo viro debitum reddere.“ — Si confessarius praevideat poenitentem non restituturum, si ipsi detegatur nullitas tituli, quem pro se esse bona fide putat, haec nullitas tituli ipsi non est detegenda a *confessario non interrogato;* quodsi vero poenitens dubius interroget, veritas ipsi est declaranda. — Si poenitens teneretur (licet sub peccato mortali) ad aliquid adeo difficile, ut non crederetur *nunc* aequo animo accepturus, et *alia vice melius* suscepturus, prudens confessarius potius illum relinquet in bona fide excusante a peccato, et monitionem differet in tempus opportunius, ne territus a confessione abstineat graviusque detrimentum incurrat.

11. Post exceptas confessiones confessarius labores suos Deo offerat,[1]) pro assistentia Spiritus sancti gratias agat, propter defectus commissos veniam petat, pro peccatoribus, praesertim de salute periclitantibus oret, ut Deus eos in propositis suis confirmet et in gratia conservet, ut in novi-

---

[1]) Quod fieri potest recitando orationem p. 247 Partis I.

tate vitae ambulantes, Deo serviant et ad gaudia aeterna feliciter perveniant. Examinet quoque seipsum et expendat, quomodo, qua mansuetudine, qua patientia etc. officio sit functus, quomodo dubia graviora resolverit; si dubitet de data resolutione, consulat libros aut alios viros doctos; de errore forte commisso, si alias fieri nequit, in proxima confessione poenitentem admoneat et deinceps exactius officio fungi statuat.

III. Variae instructiones ex theologia morali.

I. De modo poenitentem practice disponendi ad dolorem de peccatis.

Quamvis adulti bene instructi praesumi possint habere dolorem de peccatis, ideoque opus non sit, de hoc rogare, tamen nos dicimus (ait *Scavini IV, 247)* cum communi, ex rigorosa officii obligatione confessarios saepe teneri poenitentem disponere [1])

---

[1]) „Quae quidem nemo non videt, quam longe ab eorum ratione distent, qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant, se non posse absolvere; iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti, qui ait: non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia, aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tunc demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huismodi, ut ex imparatis parati fieri possunt, si modo sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Jesu, qui non venit vocare iustos sed

et proin eum excitare ad dolorem et propositum, suggestis pro utroque motivis, secundum necessitatem, capacitatem et dispositionem poenitentis; et quia non omnes iisdem motivis permoventur, debet confessarius omnis generis motiva in promptu habere, et prout visum fuerit opportunum, iam hoc, iam illud proponere. Motiva autem illa sunt universim quatuor: poenae, quas peccata merentur; praemia et bona, quibus privant; turpitudo, quam in se habent; infinita Dei bonitas, cui opponuntur. Audacibus proponenda sunt motiva poenarum et timoris iustitiae Dei; ingenuis motiva honestatis, quae est in virtute; timidis motiva praemiorum; bonitas Dei saltem addatur omnibus.

---

peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere.*) Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam ceteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione; *misericordiae* enim Domini *non est numerus et bonitatis infinitus et thesaurus*, vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi, sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponuntur, carere prudenter indicantur.“ *(Leo XII. Encyclica* de Jubilaei extensione *d. d. 8. Cal. Jan. 1826.* Cfr. Cat. Rom. p. II, c. 5, qu. 58, n. 5.)

---

*) „Et hanc quidem cautelam cum viris et iuvenibus magis sciat esse necessariam“ *(Conc. prov. Colon.* a. 1860, *part. II, tit. II, cap. 14).*

Motiva, quae magis particulatim suggeri possunt, quibus poenitentes tandem adducantur ad contritionem de mortalibus, sunt sequentia: 1. Unicum mortale detraxit Angelos, creaturas perfectissimas, a summo caelo ad ima tartara, sine spe redemptionis aut veniae; quid tu non mereris, homo vilissime, post tot mortalia? 2. Mortale unicum, ab Adamo prius innocente commissum, induxit miserias omnes in Adamum totumque genus humanum; et tu putas, te tot peccatorum poenis non opprimendum? 3. Unicum mortale meretur ipsius inferni poenas; cogita earum magnitudinem, ac praecipue aeternitatem; minimum malum evadit intolerabile, si sit aeternum. 4. Quodvis mortale occidit animam spiritualiter, quia tollit gratiam, quae sola est vita animae; si fugis mortem corporis, cur non magis animae? haec aeque irreparabilis est atque illa, nisi te praevenerit miseratio Dei, quam non iniuste negaret, si obstinate repeteres; quid vero tandem de te erit, si in tali statu morte subita correptus, coram Deo iudice appareres! 5. Mortale facit mancipium diaboli, cui se submittit peccans; horres servitutem apud barbaros? haec peior est et miserior, quamvis non ita sentias. 6. Mortaliter peccans coram Deo, vel de eo non dolens est similis homini in faciem maledicenti alteri, qui eius vitam haberet pendulam a filo, quod posset omni momento praescindere, et in aeternum barathrum eum devolvere; quanta haec est temeritas! 7. Unicum mortale te privat omni iure ad caelestem gloriam, reddit te indignum omnibus gratiis et donis; si tantopere fugis iacturam bonorum temporalium, cur non magis aeternorum et spiritualium? 8. Omne mortale iterum crucifigit Christum, quia ponit causam, propter quam crucifixus est; propter peccata Christus affixus est cruci et occisus, quia pro tanta malitia satisfacere non poterat, nisi Deus

ipse. 9. Deus Filium suum unigenitum morti tradidit, ut tolleret peccatum; hinc collige malitiam peccati. 10. Mortale facit Christi Sanguinem carere fructu, evacuari Passionem, merita contemni, gratias despici. 11. Mortale Deum ipsum quasi deponit e regali throno; nam ab eo tollit rationem finis ultimi, quem ponit in creatura, hanc complectens, abiecto Deo. 12. Mortale est summe inhonestum et turpe in se, quia deviat a prima regula omnis honesti, quae est sanctissima Dei voluntas, ideoque est damnabilis inobedientia et transgressio aeternae legis Dei. 13. Mortale est summa ingratitudo contra Deum benefactorem, creatorem, redemptorem, conservatorem, ac etiam aeterna praemia offerentem. 14. Est summa iniuria, quia honorem et gloriam per omnes actiones nostras Deo debitam suffuratur, et consecrat mundo, carni aut diabolo. 15. Est rebellio contra Deum, cuius se dominio vult subtrahere, immo cui hostilitatem indicit. 16. Est summa insania, cum sciatur in aeternum perdere corpus et animam, et tamen ametur. 17. Mortale daemoni tradit animam tuam, quam Pater aeternus sibi adoptaverat in filiam, Filius in sororem, Spiritus sanctus in sponsam. 18. Mortale inhonorat omnes perfectiones divinas: iustitiam vindicativam, quam non timet humana temeritas; benignissimam misericordiam, qua abutitur detestanda iniquitas; aeternam beneficentiam, quam non agnoscit ingratissima creatura; integerrimam sanctitatem, cuius imaginem deturpat foedissima animae macula; supremam potentiam, quam facit sibi servire ad ipsam Dei offensionem et contemptum; immensitatem infinitam, peccando contra Deum in eius praesentia et conspectu; sapientiam ineffabilem, cuius consilia, quantum in se est, evertit; summam maiestatem, coram qua contremiscunt Seraphim, contra quam insurgit vilissi-

mus terrae vermiculus; pulchritudinem amabilissimam, quam despicit prae foedâ creaturâ; incomprehensibilem bonitatem, cui praefertur momentanea voluptas. 19. Times et amas regem tuum, dominum et patrem tuum, et merito: quia iusti sunt, punire te possunt, si eos offendas; benefaciunt tibi; de se digni sunt, qui non offendantur, sed amentur, quia boni sunt. Et quid hi? quid creaturae omnes respectu Dei? nemo tam pater est, quam Deus. 20. Peccatum mortale est summum et unicum malum, quod Deo, summo bono, fieri potest. Conclude: quia mortale tibi est ita malum et damnosum, quia in se tam malum est et turpe, et maxime quia Deo, summo bono, est ita malum ac displicens, te debere detestari illud et dolere de illo ex toto corde, ac proponere firmissime nunquam *ullum* posthac committere.

2. De absolutione danda, differenda, neganda.

De absolutione impertienda praecipua regula est, ut confessarius eos absolvat, quos prudenter iudicat recte dispositos. Generatim credere debet poenitenti pro se et contra se testanti, nisi aliud obstet; idcirco attente considerare debet omnia motiva, quibus inniti potest hoc suum iudicium; v. g. utrum poenitens sponte et e caelo tactus eum adierit, an consiliis iussuve parentum; utrum urgente praecepto Confessionis annuae, an necessitate itineris suscipiendi, Matrimoniive contrahendi; animadvertere maxime debet, quae sint signa doloris sive communia, sive specialia. Hisce rationibus perpensis, aut 1° *nulla* manet ratio defectum dispositionis debitae suspicandi, aut 2° *leviores* tantum rationes id suspicandi adsunt, aut 3° sunt *graves* rationes dubitandi de sufficiente dispositione, aut 4° *moraliter certo constat de defectu* debitae dispositionis, seu de indispositione.

Si *primum*, absque ulla dubitatione concedenda est absolutio. Si *secundum*, etiam danda est absolutio, neque leves rationes dubitandi destruunt prudens iudicium de dispositione, quo nixus confessarius absolvere debeat. Si *tertium*, conandum est, ut maiori hortatu aliisve modis tales defectus vel tale dubium depellantur. Quodsi dubium permanet, non est per se statim danda absolutio, sed differenda, nisi forte graves rationes exsistant, propter quas poenitenti, si in bona fide sufficientis dispositionis est, sub conditione absolutio nunc conferatur. Quod quandonam faciendum sit, tactum est supra pag. 168 *not.* et fusius docent moralistae. Si *quartum*, nunquam danda est absolutio, nisi forte in articulo mortis sub conditione, quando illa moralis certitudo de indispositione non est tanta, ut omnem rationem excludat, ex qua iudicaveris, fortasse tamen etiam posse subesse necessariam dispositionem poenitentis.

Nunquam tamen confessarius abiiciat confitentem tamquam omni spe destitutum, nec verbis asperis depellat, sed induratos emollire animos tentabit, non modo propositis gravissimis impoenitentiae poenis, sed fusis etiam precibus pro eiusmodi hominibus vere deplorandis, ne in peius ruant neve in laqueis satanae prorsus pereant.

Quando igitur de confitentis capacitate sive dignitate grave manet dubium, absolutio est differenda *per se.* Dilatio autem eum praecipue finem spectat, ut tempore intermedio poenitens propositum suum probare possit, praesertim qui contra fidem datam relapsus est in eadem peccata, qui de facienda restitutione, de remittenda iniuria illata, de deserendis illicitis commerciis etc. promissa nondum implevit. — In modo dilationis eluceat prudentia et zelus confessarii. Poenitentem de causis ita instruat, ut dilationem sibi necessariam

et salubrem ipse intelligat. „Verbis, quoad poterit humanissimis persuadeat confessis, necesse esse id, et munus officiumque suum et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum, gratiae coelestis dulcedine reficiantur“ *(Leo XII. Encycl. de extensione Jubilaei d. d. 8. Cal. Jan. 1826).* Praeterea poenitenti suggerat media, quibus a peccatis retrahi possit, et verbis mansuetis eum ita dimittat, ut libenter redeat. Si querelas agat, confessarius non clamorem spectet, sed valetudinem, nam si conqueratur ob dolorem, postea gratias aget ob sanitatem. Si redux fuerit, eum absolvat, ubi fructus saltem aliquos emendationis ediderit; sin minus, validioribus sanetur remediis. [1]) Nostris tamen temporibus, in quibus fides languet, facilius evenire potest, ut poenitens potius sub conditione absolvendus sit, quam differendus, ne scil. propter infirmitatem a sacramentis plane deterritus in peius etiam ruat.

3. De modo agendi cum consuetudinariis et recidivis.

Consuetudinarius dicitur, qui consuetudinem sive habitum peccandi in certo genere peccati ex frequentatis eius actibus contraxit, quam consuetudinem seu vitiosum habitum nondum emendare

---

[1]) Si poenitens occurrat ab alio confessario recens sine absolutione dimissus, audiat ipsum; attamen nisi iustas querelae causas habuerit, prius iudicium non reformabit; si durius habitum deprehenderit, excusato altero, eum absolvat. Si occurrat ab alio dilatus poenitens tempore elapso, faciat quod prior confessarius nunc facere deberet, consideratis etiam causis, cur poenitens priorem confessarium non iterum adierit.

curavit. Verum consuetudinem a consuetudine distingue.

Ex peccatis enim letalibus alia sunt aliis graviora, atque etiam alia aliis penitius peccatoris animo insident. Non eiusdem gravitatis, neque eiusdem periculi sunt: fractio ieiunii vel abstinentiae, detractio, furtum, delectationes morosae, verba obscoena, amplexus ex libidine, fornicatio, mollities, incestus, adulterium, bestialitas, sodomia, incendium, homicidium. Confessarius igitur primo audiens consuetudinarium diligenter percontari debet, an graviora et periculosiora ex habitu facinora patraverit, a quo tempore, quoties in anno, in mense, vel in hebdomada; utrum sua sponte, an causa externa inductus prolapsus sit; utrum continue an interrupte, an usque ad confessionem perseveraverit; utrum sit indole fortis et constans, an debilis et vilis animo; utrum firmae an dubiae fidei. Ex his intelliget, quanta sint vulnera confitentis, et quid ab eo sperare possit.

Ad absolvendum *consuetudinarium non recidivum* per se non requiruntur nisi signa doloris ordinaria. Hinc:

1. Si consuetudinarius *iam ab aliquo tempore ante confessionem peccare desierit,* et aliunde firmum resipiscendi videatur habere propositum, utique prima vice absolvi potest; cessantibus enim peccatis, cessat ipsa consuetudo.

2. Qui usque ad confessionem peccavit, sed *nec graviora nec frequentiora peccata commisit*, si prima vice confiteatur, et asserat se esse contritum atque aliunde videatur fide et animo constans: vel illico, vel brevi interposita dilatione, absolvi potest.

3. Attamen quicumque prava consuetudine laborat, maxime qui gravissimis peccatis diu et

effraena propensione patratis sordescit, non est absolvendus, si nolit serio laborare, ut consuetudinem vincat, nec media a confessario prudenter proposita velit adhibere; nam eo ipso non vult sincere corrigi, quamvis id asserat, et proinde est simpliciter indispositus. Illos ut *quantocius*, meliore concepta dispositione, revertantur, esse invitandos, ut absolutionis beneficio donari pessint, monet Bened. XIV. in Bulla *Apostolica* d. d. 26. Junii 1749.

Recidivus vocatur ille, qui idem peccatum mortale pergit committere post propositum emendationis et plures peractas confessiones, fere eodem vel maiore numero lapsuum, absque emendatione, licet aliqua remedia ad non relabendum adhibuerit.

Certum est, in rigore, absolutionem dari posse *toties quoties* illis recidivis, qui ex mera fragilitate in eadem peccata saepe relabuntur, dummodo cum vera de illis contritione et firmo non amplius peccandi proposito ad poenitentiam accedant. Confessarius autem tunc prudenter iudicat, recidivos vere actu dolere ac proponere, atque idcirco spem facere emendationis, quando ipsi non ore dumtaxat, sed ex animo dixerint, se dolere ac proponere, atque *nulla fuerit praesumptio in contrarium eorum dictum elidens,* sicut non est, quando iam notabilem vitae emendationem afferunt.

Consilium est, spectato munere confessarii serviendi maiori utilitati animae poenitentis, differre recidivis etsi dispositis, habito prius eorum consensu, ad breve tempus absolutionem, quando discretus et prudens confessarius eam dilationem ad id iudicaverit opportunam; — immo videtur *praeceptum* esse, iis eamdem differre, data prius opera, ut aeque ferant dilationem et libenter revertantur, quoties confessarius prudenter iudicat, absolutionem statim et facile impertitam eis futuram esse per accidens occasionem, ut iterum relabantur; magis

etiam ita agi *debet,* si praevidetur dilationem esse hic et nunc unicum medium emendationis.

Recidivus ea signa doloris afferens, quae destruunt praesumptionem ex relapsu contra ipsum ortam, sive vocas extraordinaria, sive ordinaria tantum, absolvi potest, et generatim debet, *quoties absolutio non potest facile differri;* ratio est, quia quamvis stet aliqua praesumptio contra talem poenitentem, ex signis tamen doloris haec eliditur, et poenitens satis dispositus videtur; nunquam autem confessarius talem absolvere debet, nisi omnem curam et industriam adhibuerit, ut eum ad beneficium absolutionis melius praeparet.

Recidivus rediens cum *eodem pravo habitu, nullo adhibito conatu, nulloque adhibito remedio* ex iis, quae confessarius ei praescripserat, non potest absolvi, nisi signa doloris *specialia* vel *extraordinaria* afferat, quia praesumptio, quae stat contra talem poenitentem, illis elidi debet.

A S. Alphonso plura enumerantur extraordinaria signa contritionis, quamquam non omnia per se sola pro iis habet:

1. Maior dolor manifestatus per lacrimas, modo sint vere compunctionis, aut per verba ex corde procedentia, quae aliquando certiora signa, quam lacrimae esse possunt. 2. Minor numerus peccatorum, intellige, cum poenitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi, aut si poenitens post ultimam confessionem perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta per 20 aut 25 dies, ipse, qui prius pluries in hebdomada prolabi solebat; aut vero si relapsus fuerit post magnam resistentiam; aut etiam si antequam ad confessionem accederet, solito diutius se abstinuerit a peccatis. 3. Diligentia adhibita pro emendatione, sicut esset, si poenitens diligenter occasionem vitaverit,

media a confessario praescripta exsecutioni mandaverit, aut si adhibuerit ieiunia, preces, eleemosynas, etc. ad vitium exstirpandum. 4. Si ipse petit a confessario remedia, aut nova media emendationis; item si promittit adhibere media, quae tunc ei suggerit confessarius; maxime, si nunquam monitus fuerit ad illa adhibenda; sed his promissionibus (ait S. Auctor) censeo, non omnino fidendum, si alia signa desint; cum poenitentes, ut absolutionem accipiant, facile promittant, sed postea difficulter attendant. 5. Spontanea confessio, nempe si poenitens accedit non iam ad implendum praeceptum paschale, neque ex quodam usu confitendi aliquibus temporibus, prout in die Nativitatis Domini, in festivitatibus Deiparae, et similibus; neque accedit impulsus a parentibus, a domino, aut magistro, sed venit omnino sponte, et vere inspiratus a divino lumine, ad eum solum finem, ut divinam gratiam recipiat. Praesertim si ad confitendum longum iter aggressus fuerit, abstinuerit a lucro notabili, grave sustinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit. 6. Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam, aut mortem amici, ob metum alicuius imminentis flagelli, prout terrae motus, pestis etc. 7. Si poenitens confiteatur peccata antea ex verecundia reticita. 8. Si poenitens, antequam accedat, restituerit rem, vel famam ablatam. 9. Si propter monitionem confessarii ostendit se apprehendisse novam cognitionem et horrorem sui peccati, periculique suae damnationis.

Alii alia signa addunt, prout si poenitens magnam libenter acceptat poenitentiam; si asserit poenituisse peccati statim ac illud patravit; si protestatur velle se mori potius quam peccare. Sed haec signa (verba sunt S. Alph.) nescio an sola satis esse possint; potius dicerem, quod possent

deservire ad alia adiuvanda signa, quae sola non sufficerent.

Recidivo *indisposito,* vel *dubie disposito* differenda est absolutio per aliquod tempus (ad 8 vel 15 dies), usque dum appareat prudens signum emendationis, nisi forte aliquando ex gravi causa, ne res peior fiat, *dubie dispositum,* qui in bona fide suae dispositionis est, conditionate possis absolvere, ut notavi supra pag. 181. Studeat vero semper confessarius, ut poenitens aeque ferat dilationem et libenter revertatur; quem in finem notet sibi illud B. Petri Fabri: „Erit quidem interdum agendum duriter; sed videndum est, ut exitus sit dulcis, ac ferme, nisi forte agas cum obstinato (qui nequaquam absolvendus est); nemo ita dimittendus, quin libenter sit rediturus." Multo facilius absolvendus est recidivus ob habitum pravum *intrinsecum,* seu peccans ex fragilitate intrinseca, quam recidivus ob occasionem *extrinsecam,* quia multo facilius recta dispositio in posteriori casu, quam in priori deerit.

„Si poenitens (ait S. Alph. l. 6 n. 463) relapsus sit ob causam seu fragilitatem intrinsecam, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae et similium, raro puto differendam absolutionem recidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium. Et casu, quo dilatio videatur expedire, verius dicendum absolutionem non differri debere plus quam ad octo vel ad decem dies . . . Ad summum dico absolutionem differendam esse usque ad quindecim dies."

„Hoc tamen, quod dictum est communiter loquendo de habituatis et recidivis, non procedit iam circa initiandos in sacris Ordinibus habituatos in aliquo vitio (praesertim in peccato turpi); circa hos enim alia currit ratio. Laicus habituatus absolvi potest, semper ac est dispositus ad suscipiendum Sacra-

mentum Poenitentiae; sed ordinandus habituatus, si vult ad sacrum ascendere Ordinem, non sufficit, ut sit dispositus ad Sacramentum Poenitentiae, sed oportet, ut etiam dispositus sit ad recipiendum Sacramentum Ordinis, alioquin ad neutrum dispositus erit; cum enim sit indignus ascendendi ad altare, qui vix egreditur e statu peccati, nec habet probitatem positivam necessariam respectu ad sublimitatem status, in quem immitti inhiat, ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere, etiamsi ponatur in statu gratiae. Quapropter tunc confessarius nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo, ad quem ascendere non poterit, nisi post longi temporis, *saltem* plurium mensium, probationem." *S. Alph. Praxis conf. cap. 5, n. 78.* (Cfr. *Theol. moral. lib. 6, num. 63—77;* etiam *Benger, Pastoraltheologie* I. p. 74--76 et *Schneider, Lectiones quotidianae* pag. 656—663.)

4. De modo agendi cum iis, qui versantur in occasione proxima peccati.

Occasio peccati est omne illud adiunctum externum, sive malum et inutile, sive etiam honestum et utile, quod ex natura sua, vel ratione specialis fragilitatis ad peccandum allicit, vel *periculum* peccandi inducit.

In occasione proxima constituitur, a) qui sub quibusdam circumstantiis *frequenter peccat,* idque mortaliter (nam in hoc capite solummodo peccatum mortale supponitur), aut b) qui in certis circumstantis *gravissimis tentationibus exponitur,* quibus eum cessurum esse praevidetur. Ancilla ergo, quae frequenter ab hero suo sollicitata, semel tantum cum ipso peccavit, nondum *ex lapsu* dici debet versari in *occasione proxima*; attamen cum in hoc

casu semper sit *periculum* idque facile evadat proximum vel dici iam debeat *proximum ex tentatione oritura,* vix non semper obligatur, illud servitium relinquere.

Occasio *voluntaria* dicitur ea, quam aliquis physice et moraliter seu absque gravi damno et incommodo deserere potest. Occasio *involuntaria* vel *necessaria* dicitur ea, quae aut omnino non potest deseri, aut quae deseri nequit sine peccato contra certa officia, vel sine aequali aut maiori periculo, vel sine scandalo (e. g. filiusfamilias, qui rem habet cum ancilla), aut gravi damno et incommodo (e. g. medicus).

Occasio *in esse* est opportunitas peccandi semper praesens, e. g. si quis concubinam vel famulam semper secum seu domi habet; occasio *non in esse* dicitur ea, in qua talis opportunitas non est praesens, e. g. si quis aliam domum adire debet, ut se inebriet, aut invisendo aliquam personam saepe labitur.

Potest per se absolvi *prima vice* ille, qui versatur in *occasione proxima involuntaria sive necessaria,* si vere promittit remedia praescripta se adhibiturum, quibus occasio ex *proxima* fiat *remota.* Num autem expediat, sine experimento eum absolvere, prudentiae est, considerare. „Omnes (ait S. Alph. n. 556) conveniunt, expedire, ut talibus differatur absolutio (scil. si facile et cum fructu fieri potest). Imo ut ego, quid sentiam in hac re ingenue dicam (verba sunt S. Alph.), nunquam absolverem eum, qui est in occasione proxima extrinseca, praesertim si occasio sit de materia turpi, semper ac absolutio commode differri posset.“ (Nostris temporibus *commode* differri absolutio saepe non poterit.) „Ordinarie in occasione necessaria dilatio absolutionis ad 10 vel 15 dies pro fine intento non sufficit.“ *(S. Alph. n. 463.)* —

Si versans in occasione *proxima involuntaria* sive *necessaria* adhibitis etiam mediis eodem semper modo relabatur, iuxta S. Alph. n. 457 debet deserere occasionem, antequam absolvatur, nisi det signa talia (extraordinaria) doloris, ut spes sit emendationis.

Nunquam absolvendus est, ne in articulo quidem mortis, poenitens, qui recusat deserere *occasionem proximam voluntariam* peccati, seu quam licite et sine gravi incommodo relinquere potest, sive occasio illa sit proxima *per se,* sive *per accidens,* sive *in esse,* sive non *in esse (Gury II, n. 629)*; debet occasioni renuntiare antequam absolvatur, idque re, nisi adsit causa iusta periculo proportionata ac spes emendationis, quae ordinarie abest in eo, qui fidem iam fregit. Occasionem deserere nolunt non tantum illi, qui id facere expresse recusant, sed etiam omnes, qui media proximae occasionis mutandae in remotam nolunt adhibere, aut eadem saltem negligunt; horum enim propositum non est efficax.

Qui versatur in *occasione proxima voluntaria in esse,* licet sincere promittat, se derelicturum esse occasionem, ne prima quidem vice est absolvendus, antequam *re* deseruerit occasionem, excipe: 1⁰ si extraordinaria det signa doloris, absolutioque commode differri nequeat; vel 2⁰ si, dilata nunc absolutione, poenitens non posset redire nisi post longum tempus, modo non sit fidei fractor, et confessarius prudenter iudicare valeat, eum habere firmam voluntatem removendi occasionem statim ac poterit; 3⁰ si ex dilatione timeatur grave scandalum, aut gravis infamia (cfr. *S. Alph. n. 454);* 4⁰ si agatur de poenitente, qui ob instructionis defectum nunquam ad occasionem periculosam adverterat, nec ad obligationem eam deserendi, si aliunde dispositus sit *(Scavini)*: addo paucis 5⁰ si vere gravius est,

redire ad confessarium, quam stare iis, quae sincere promittit, scil. se statim remoturum esse occasionem, saltem si fidem datam in hac re nondum fregerit.

Qui versatur in *occasione voluntaria non in esse* et sincere promittit, se derelicturum esse occasionem, absolvi quidem potest semel aut iterum *(Suarez, Mazzotta, Viva)*, aut ter *(S. Carol. Borrom.)*, aut etiam pluries (iuxta *S. Leonard. a Portu Mauritio)*, si v. g. timetur scandalum, aut ne non redeat; melius tamen ordinarie tali differtur absolutio, donec ostenderit, se occasionem deseruisse, etiam pro prima vice, quoties facile potest fieri *(S. Alph. n. 454)*. Occasio enim proxima ita mentem excaecat, et omnia proposita delet, ut saepe, qui mane lacrimando perseverantiam pollicetur, ante solis occasum turpiter recidat.

„Casu quo poenitens prius admonitus ab alio confessario, media praescripta neglexerit, et eodem modo relapsus fuerit, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat. Et etiam huic adhuc extraordinaria compunctione donato ordinarie loquendo absolutionem denegarem, quando commode absolutio posset differri" *(S. Alph. n. 456)*.

Unde colligant confessarii, quomodo sese gerere debeant erga adolescentulos et puellas sese adamantes, qui diu noctuve sine testibus periculosissime conversari solent. Si spes fundata et intentio futuri matrimonii desit, atque ipsi ex huiusmodi frequentationibus iam peccare coeperint, absolvi nequeunt, quamdiu non revera frequentationibus amatoriis nuntium remiserint. Immo etsi intentio et spes matrimonii adsit, ideo non iam permittenda est talis familiaritas; si enim solus solam, maxime noctu, conveniat, aut amatorem inter et amatricem iam vera peccata libidinis interna vel etiam

externa acciderint, profecto eodem rigore tractandi sunt, quo illi, qui in occasione ex parte necessaria recidivi sunt, i. e. absolvi generatim nequeunt, nisi prius media emendationis efficaciter adhibuerint, et se revera ad meliorem frugem receperint.

Dimissio occasionis variis plerumque incommodis obnoxia est; v. g. si famula exeat, tempore locationis nondum elapso, stipendio promisso carebit, aliam familiam, cui serviat, non inveniet, egestate laborabit, aut ipsius fama periclitabitur. In his et similibus casibus, si poenitens peccare desinat, si quam indolis firmitatem habere videatur. prudens confessarius experiri poterit aliquam dilationem, et inde coniiciet, quid sit agendum. Si vero semper lapsus iterentur, tunc sane exigendum est, ut occasio ante absolutionem dimittatur, iuxta praeceptum Domini apud S. Matth. 5, 29.

5. De modo agendi cum iis, qui ad restitutionem sunt obligati.

Bene ex theologia morali intelligat radices restitutionis et causas ab eadem excusantes, ut secure possit discernere et declarare, an adsit obligatio restitutionis et quaenam sit mensura obligationis ad restitutionem faciendam.[1])

Possessor bonae fidei dicitur ille, qui et quamdiu putat inculpabiliter, rem quam possidet alienam esse suam, vel etiam quando post possessionem bona fide susceptam dubium superveniens per inquisitionem factam solvi nequit.

Possessor bonae fidei, postquam certus evaserit, rem esse *alienam*, nisi legitima praescriptione rem effecerit suam, 1° debet domino restituere rem

---

[1]) Quando confessarius ad restitutionem obligetur, si errorem in damnum tertii admiserit, vide passim apud theologos.

ipsam, si adhuc exstat; alioqui id, quo ex ea factus est ditior: 2° non debet restituere damnum emergens, nec lucrum cessans, nec fructus industriales; 3° debet, saltem spectata sola lege naturali,[1]) restituere fructus naturales et mixtos nondum praescriptos, quibus factus est ditior; 4° laboris valorem, expensas necessarias et utiles, necnon et aliquas expensas voluptuarias, si valorem rei augent, potest deducere iudicio prudentum; 5° melioramenta *intrinseca* ipsi compensanda sunt, *extrinseca* auferre potest.

Possessor malae fidei dicitur omnis possessor, qui retinet rem, quam scit alienam esse, sive ab initio possessionis fuerit bonae fidei, sive dubiae fidei, sive malae fidei. Hinc possessor malae fidei est 1° qui toto tempore possessionis rem mala fide possedit; 2° qui ab initio fuit dubiae fidei et in fine malae fidei; 3° qui cum dubia fide possessorem bonae fidei sua possessione spoliavit, perseverante dubio. — Possessor malae fidei 1° debet domino restituere rem ipsam, si adhuc exstet, alioquin aequivalens, licet ex ea ditior factus non sit; 2° debet reparare damnum emergens et lucrum cessans (accuratius haec vide apud theologos); hinc 3° debet restituere fructus naturales exstantes et consumptos, quamvis ex iisdem non fuerit factus ditior, atque pro proportione mixtos, immo et neglectos; 4° potest retinere fructus industriales, laboris valorem; 5° potest deducere expensas necessarias et utiles, necnon et aliquas voluptuarias iudicio prudentum, scilicet in quantum auxerunt pre-

---

1) Leges positivae non raro possessori bonae fidei plus tribuunt: quare, etiamsi non de omnimoda illarum legum iustitia constiterit, confessarius cautus esse debet, ne excedat in imponendo restitutionis onere: leges germanicae satis iuste rem disponunt.

tium rei pro domino; 6° potest auferre melioramenta extrinseca; 7° an melioramenta intrinseca sive inseparabilia ipsi a domino sint compensanda, controvertitur: Lessius et Lugo affirmant; attamen omnes consentiunt, possessorem malae fidei iuste a lege et iudice condemnari posse, ut horum melioramentorum iacturam faciat.

Possessor dubiae fidei (opponitur possessori certae fidei) est ille, qui dubitat, an res a se possessa sua sit. Obligatus est hac ratione: 1° possessionem bona fide incipiens, deinde dubiae fidei factus, si inquirit neque dubium solvere potest, ad nihil tenetur; si omittet debitam diligentiam inquirendi ac propterea dubium evadit insolubile, pro rata dubii restituet; 2° qui ab initio cum dubia fide possessionem rei incepit, si adhibita diligentia perseverat dubium, *saltem* pro rata dubii restituere debet *(Lacroix lib. 3 p. 2 n. 562 sqq., S. Alph. lib. 4 n. 625)*; 3° dubitans, an res sit aliena, potest nihilominus eam accipere titulo donationis, emptionis etc., modo eam eo animo accipiat, ut domino restituat, si post diligentem inquisitionem eum invenerit; quia in hoc domino non facit iniuriam, sed beneficium *(Lessius, de iust. l. 2 c. 14 n. 24)*.

Si poenitens, qui certo obligatus est ad restitutionem, eamque facere potest, difficilem se ostendat, doceri debet, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum; nec absolvendus est, donec plene velit restituere.

Absolutione indignus merito habetur: qui recusat restitutionem promittere; qui bis aut ter se restituturum pollicitus, suis promissis non stetit: qui haeredibus suis curam restituendi relinquit, cum per se ipsum id facere possit; qui aere alieno gravatus in victu, vestitu, famulatu etc. expensas subit, ob quas praevidet, se postea debitorum

suorum solutioni imparem fore. Idem dicendum de illo, qui cum possit, non vult expensas et statum suum modeste minuere, ut creditoribus satisfaciat. — Si opponat poenitens, se absque iactura famae non posse restituere, confessarius ostendat modum, quo famae consulere possit; nam cum *vera* famae iactura restitutio utique non urget.

Valde errant debitores, qui omnibus debitis solvendis impares, per *cessionem bonorum creditoribus* etiam *iuridice* factam, ab ulteriore solutione semper se immunes existimant. Cessio enim bonorum per se, nisi creditores ostendant se debitorem liberare, vel conditio regionis eiusque legum talis sit, ut ista creditorum voluntatem communiter sumi liceat, non tollit obligationem ulterioris solutionis, sed tantum suspendit et differt. — Insignis fraus a debitoribus committitur, si, antequam foro cedant, adhuc mutuas pecunias accipiunt, quibuscum aufugiant, necnon qui, notabilem partem bonorum suorum celantes, cum creditoribus componunt, efficiuntque, ut hi modicae partis debiti solutioni acquiescant, putantes plura solvendo impares esse debitores. Porro ii, qui debitorum bona suas in domos recipiunt, vel aliter eos in illis occultandis in fraudem creditorum *scienter* et *efficaciter* adiuvant, ut fraudis cooperatores ad restitutionem quoque in defectu debitorum tenentur. Quid vero hac in re *liceat,* disce ex theologia morali.

(Quomodo agendum sit cum moribundis obnoxiis restitutioni, vide infra in capite „de cura et visitatione infirmorum".)

6. De modo agendi cum scrupulosis.

Praecipua scrupulosae conscientiae signa sunt: *a) pertinacia iudicii,* qua scrupulosus sapientum consiliis parere renuit; consulit multos, sed nemini

acquiescit; immo, quo plures audit, eo magis anxius evadit; *b) frequens iudicii mutatio* ex levibus motivis: unde oritur inconstantia in agendo, mentisque perturbatio; *c) formidare in omnibus de peccato,* nec uno confessarii dicto contentum esse, sed idem saepius exquirere etc.

1. Confessarius curam dirigendi scrupulosum non suscipiat, nisi ille ostendat, se credere, confessarium posse et velle ipsum bene dirigere, simulque spondeat constantiam apud eum, confidentiam in se aperiendo, obedientiam in sequendo, etiam seposito proprio iudicio; hoc enim est facillimum et fere unicum medium tales homines iuvandi.

2. Confessarius videat, quae sit causa scrupulorum, et, quantum penes ipsum est, conetur eam amoliri. Recensentur autem causae sequentes: a) suggestio daemonis, b) consortium scrupulosorum, c) imbecillitas capitis, d) defectus iudicii naturalis, e) complexio corporis ad timorem propensa, f) occulta superbia, g) pusillanimitas et deiectio animi, h) permissio Dei.

3. Confessarius resolute respondeat scrupuloso, non haesitans, nec multum distinguens, sed absolute enuntians quid faciendum sit, semper sequendo partem benigniorem, et dubitationes infirmi interpretans in meliorem partem; generatim ne det rationes responsi, quia has scrupulosus postea examinat sibique reddit dubias ac se magis implicat.

4. Non patiatur sibi proponi quoscumque scrupulos et dubia, sed quando moraliter certus est, scrupulum afferri, dimittat etiam ad Communionem non auditum, quia hae interrogationes et frequentes recursus ad confessarium sunt veluti frictio scabiei, quae placet quidem, sed nocet.

5. Quandoque suaviter irrideat, dum infirmus proponit aliqua dubia minus prudentia, iubeatque cogitare, quid responsurus esset, si ab alio interrogaretur, iubeatque idipsum facere.

6. Commendet ei maxime humilitatem, cum ex vitio superbiae non raro originem ducant scrupuli; praescribat ei, ut abstineat a lectione librorum, qui scrupulos fovere possint, scrupulososque devitet; deinde prohibeat, ne ante confessionem conscientiam examinet circa ea, quibus maxime vexatur, sed praesertim exigat ab ipso omnimodam obedientiam erga directorem suum; hoc enim praecipuum est, ne dicam unicum huius infirmitatis spiritualis remedium, ut docent omnes magistri spirituales; et si non obediat, eum increpet, privet Communione et rigorose coerceat. Licet enim scrupulosi regulariter cum dulcedine et mansuetudine sint tractandi, circa obedientiam tamen magnus rigor est adhibendus.

Et quoniam scrupulosi non uno eodemque modo vexantur, varia quoque erga illos adhibere oportet remedia. Alii pravis affliguntur cogitationibus, v. g. contra fidem, spem, castitatem, quibus assentiri se existimant, cum eas e mente frustra repellere conentur; hi monendi sunt, non in imaginatione, sed in sola voluntate positum esse peccatum. Non obliviscatur confessarius regulae a Doctoribus traditae, scilicet, eos qui scrupulosae sunt conscientiae, immunes a peccato, praesertim gravi, iudicandos esse, nisi ipsi summa certidudine morali noverint, se peccasse. Alii circa confessiones praeteritas perpetuo anxii sunt, nempe quod in eis non satis explicaverint omnia peccata aut circumstantias, vel quod non habuerint sufficientem contritionem vel propositum satis firmum, ideoque eas iterare optant; hi, si confessionem generalem aliquando instituerunt, praesertim apud confessarium

sui muneris studiosum, aut in omnibus confessionibus ordinariis fuerunt accurati, omnino prohibendi sunt, ne ullius peccati vitae praeteritae mentionem faciant, nisi iurare possint, se peccatum grave certe commissum nunquam esse confessos. Denique scrupulosis, qui in omni actione peccatum reformidant, praecipiendum est, ut contra scrupulos audacter operentur, illos contemnant, nec cogitatione foveant; nam scrupulus non est iudicium determinatum, sed vanus timor peccati; ergo stare potest cum iudicio moraliter certo de honestate actionis, quod hoc ipso locum habet, quando quis inanem anxietatem contemnit ceu scrupulum et contrarium agit; neque necesse est ita agere ex conscientia reflexa, cum hoc saepe sit impossibile quid exigere; sed sufficit, ut habitualiter sciatur, timores spernendos esse ut scrupulos et ut reipsa agatur contra id quod timor suaserit. Immo recte dicunt theologi, aliquando scrupulosum sub peccato teneri ad conatum contra scrupulos, cum ex nimia et perenni anxietate grave damnum corpori et animae immineat.

7. De modo agendi cum nupturientibus.

Quando parochi negligunt sponsos monere, ut mature instituant confessionem (generalem), vel sponsi hoc parochi et Concilii Trid. (Sess. 24 de reform. Matrim. cap. 1) monitum parvi pendunt, maximae difficultates obveniunt confessariis cum iis poenitentibus, qui, omnibus ad matrimonium eo ipso die vel postridie ineundum paratis, absolvi nequeunt, quia a) sunt indispositi, b) casum reservatum habent, c) impedimento sunt obstricti, a quo confessarius nequeat dispensare. Ex probatis fontibus haec opportuna monita adiicienda duxi:

1. *Quoad casum ad a) positum Scavini haec habet:* Vel poenitens putat in bona fide, se posse

Matrimonium licite contrahere, etsi non absolutus; vel scit, Matrimonium requirere statum gratiae, ut licite contrahatur. In primo casu, si praevideatur poenitens monitioni obtemperaturus, moneatur, non posse sine gravi peccato Matrimonium contrahi in statu peccati mortalis; si e contra praevideatur monitionem contempturus, in bona fide relinquatur et confessarius taceat de obligatione status gratiae ad Matrimonium licite contrahendum, ne peccet formaliter, ubi fortasse solum materialiter peccabit. Dicat tamen poenitenti: si Matrimonium ineas, contende, ut vero dolore conteraris et contritionem perfectam habeas ante Matrimonii celebrationem et paulo post ad me revertaris, ut confessionem tuam perficere possis. In secundo casu confessarius debet poenitentem a Matrimonio contrahendo retrahere usque dum absolvi possit, fortiter loquendo de sacrilegio, quod committunt Matrimonium ineuntes in statu peccati mortalis. Si nihilominus Matrimonium differre renuat, monebit ipsum confessarius, ut curet strenue contritionem perfectam eliciendam. Confessarius ita se gerens, etsi non putet poenitentem adeo eximiam comparaturum esse dispositionem, non censetur sacrilegium approbare, cum contendat, ut hoc vitetur per contritionem perfectam. Aliunde sic agendo sacrilegium minuet; quia poenitens, ad illam dispositionem acquirendam laborans, minoris sacrilegii crimen incurret. Ad summum confessarius posset dici consulere minus malum, ut gravius vitetur.

Quid, si sponsus confiteatur multas fornicationes a festo aliquo (v. g. Paschatis) cum sponsa sua commissas, haec vero immediate post ipsum confiteatur, et de fornicationibus omnino nihil dicat, addat vero, se cum sponso suo ultimo Paschatis festo ultima vice confessam esse? R. Potest confessarius a longe interrogare de peccatis, quae inter

sponsos committi possint, non vero descendendo ad casus particulares; proponat etiam, quanti momenti sit statum matrimonialem cum Deo bene et sancte inchoare, valde tamen caute, ne puella suspicari possit, confessarium uti scientia ex Confessione sponsi hausta, sic enim frangeretur sigillum. Si adhuc neget, ex sententia communi et potest et debet absolvi, quando confessarius potest praesumere eam vel iam alteri esse talia crimina confessam, vel invincibiliter putare, talia non esse peccata gravia post sponsalia contracta (prout revera aliqui sponsi putant), vel eam credere ex iusta causa hic et nunc v. g. coram proprio parocho se posse talia licite tacere. Si simile quid non possit prudenter praesumi, nihilominus potest verba absolutionis proferre, quia uti non tenetur scientia ex aliena confessione hausta, et ad sacrilegium poenitentis cooperatur materialiter tantum; videtur tamen etiam posse dissimulando super eam solum dicere *Misereatur* etc., quia per hoc nec revelatur peccatum sponsi, nec hoc affert incommodum sponsae non advertenti, quae nihilominus debet peccata illa et hanc confessionem suo tempore repetere. Parochus vero omnia dissimulando assistat eorum Matrimonio.

Ut haec difficultas praecaveatur et sponsi adducantur ad delicta sua integre confitenda, quaedam cautelae indicantur a theologis, quae utiliter adhibentur. *Prima* est, ut confessarii *regulam* sibi praefigant, desponsatos semper interrogandi circa eiusmodi peccata hoc fere modo: Pro maiori dispositione et tranquillitate conscientiae eorum, qui matrimonio iungendi sunt, soleo ipsis quasdam interrogationes proponere; rogo, ut sincere et cum fiducia ad eas respondeas, neque timeas, etiamsi graviter peccaveris, absolutionem tibi recusandam esse. Occasione proximi matrimonii tibine subortae

sunt cogitationes inhonestae? Accideruntne illicitae libertates? Deus omnia vidit, et illi soli hic confiteris etc. *Secunda* cautela in eo consistit, quod ille prius audiatur, qui forte putari possit confidentius et magis integre confessurus, sive putetur vir id facturus esse quia minus erubescit, sive femina utpote timoratior, vel quod una alterave pars assueta sit huic confessario candide confiteri. *Tertia* cautela indicatur a nonnullis, scilicet eum, qui prior confessus sit, inducere, ut alteri ante eius confessionem dicat, se peccatum illud aperte confessum esse, adeoque ab ipso quoque fidenter esse declarandum. (Cfr. *Theologia Mechlinensis et S. Alph. l. 6 n. 631.)*

2. *Ad casum sub b) positum* S. Alphonsus notat: Quando adest impedimentum adeundi Superiorem et urget gravis causa confitendi, quivis confessarius potest indirecte absolvere a casibus reservatis ab Episcopo, et etiam a reservatis a Papa, si Episcopus non possit adiri. Ita communiter *D. D.* Et hoc, etiamsi peccatum reservatum sit cum excommunicatione. Dicimus a) si adsit gravis causa; nempe si nequit adire Superior sine scandalo aut nota infamiae, vel sine magna difficultate, puta si habens facultatem longe distet, et ex alia parte urgeat necessitas communicandi, vel implendi praecepti annuae confessionis. Diximus b) indirecte: unde manet excommunicatio,[1]) atque S. Eucharistia et Matrimonium suscipi potest solum ex necessitate; poenitens igitur a confessario

---

[1]) Nunc vero certum est, in tali casu posse quemlibet confessarium a casibus Papalibus, *etiam ab excommunicatione,* vel specialiter reservata, absolvere *directe,* at sub poena reincidentiae, nisi infra mensem saltem per litteras et per medium confessarium ad S. Poenitentiariam recurratur: vide infra cap. 10, ubi agitur *de casuum reservatione.*

directe absolvitur a solis peccatis non reservatis, quae confitetur, a reservatis indirecte tantum, ac proin tenetur, cessante impedimento, reservata confiteri habenti potestatem. — Haec *cum explicatione in nota* confessario licet sequi, ubi agitur de Matrimonio, quod absque scandalo differri nequeat.

3. *Ad casum sub c) positum:* Aut poenitens *in bona fide est,* et confessarius videt, si ipsum moneat[1]) de impedimento, nihilominus eum contracturum esse nuptias; vel etiam, ex dilatione Matrimonii maiora scandala ac peccata esse eventura. Hoc casu in bona fide illum relinquat et occasionem quaerat iterum eundem monendi atque post impetratam dispensationem eam applicandi. Si vero alterutra vel utraque pars *non est in bona fide* vel in ea relinqui non potest, res non caret difficultatibus. Facilior tamen casus est, ubi utraque pars in mala fide versatur. Tunc enim convenire de nuptiis differendis facilius possunt. Quod si noluerint, cum tamen absque scandalo ac honoris iactura possint, v. g. quia sunt gradibus prohibitis ex copula licita iuncti, sane confessarius eosdem absolvere nequit, nec ulla conditione cooperari ipsi licet, salvo semper sigillo confessionis, ad copulationem absque praevia dispensatione ineundam. Quoties autem voluerint nec tamen possint ob scandala et famae iacturam certo oritura, tunc, si sint contriti ac sufficienter spondeant, se a copula abstinere velle, donec dispensationem impetraverint, confessarius absolutionem dare ipsis poterit. Attamen debent occasionem etiam, saltem proximam, evitare indeque a toro separari.

---

1) Quoad monitionem faciendam vel non faciendam recole dicta superius pag. 173 num. 10.

Si vero unus contrahens in mala fide versatur ipseque solus impedimentum novit, casus multo difficilior videtur. Tunc, quando nuptiae omnino differri nequeunt ob scandala ac mala maiora et poenitens nunc doleat et sit dispositus, auctores consulunt, ut confessarius ipsum moveat ad emittendum castitatis votum, donec dispensatio impetretur. Nam, aiunt, id sane aperire alteri coniugi poterit, nimirum se ad tempus obstrictum esse voto castitatis, indeque tamdiu ex monitione confessarii se a toro separare debere. Quae si poenitens severe promittat, absolvi poterit atque ad copulationem accedere. Ceterum posse evenire, ut in talibus angustiis lex impedimenti cesset, v. *S. Alph. l. 6 n. 613; Lehmkuhl, Theologia moral. II. n. 826 et 827.*[1]) — Quoties autem differri possunt nuptiae, id tamen poenitens non vult, confessarius ipsum absolvere minime potest, nec licentiam ipsi facere contrahendi Matrimonium.[2])

8. De modo agendi cum graviter aegrotis et moribundis.

Conandum imprimis est, ut *tempestive* instituatur confessio: in qua si invenitur poenitens gravi et difficili obligatione obstrictus, confessarius ex antea dictis (c. II et III) colligat prudenter, utrum monere debeat necne. Id vero, in quo, si necesse sit maxime moneri et iuvari debeat aegrotus, est, ut

---

1) In periculo mortis, ne quis pereat, Leo XIII. 20. Febr. 1888 pro casu necessitatis Ordinariis amplissimam concessit facultatem, sive per se, sive per alios sacerdotes dispensandi in omnibus impedimentis etiam publicis ecclesiastici iuris, exceptis ordine sacro presbyteratus et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

2) Quid agere debeat cum iis, qui Matrimonia mixta inire volunt, vel iam inierunt, vide infra in capite „de impedimentis Matrimonii“.

removeatur omnis periculosa occasio peccandi, sive *persona* turpiter amata vel ad odium provocans, sive *res* cuius aspectus aegroti mentem sollicitet. Aegrotus dein Sacramentis rite munitus nullatenus derelinqui debet, sed sacerdos, imprimis parochus, omni ope debet curare, ut, quantum fieri possit, sacerdotale auxilium aegroto in ipsa agonia ne desit; quod si impossibile fuerit, saltem instruatur aliqua persona, quae aegrotum curat, ut cum ipso saepius, maxime in fine vitae, actus fidei, spei, caritatis, perfectae contritionis, *easque rite et ex propriis motivis,* eliciat. Timenda enim est, si unquam, diaboli astutia in vitae exitu, atque omne studium in hoc collocandum, ut moribundus, si forte ceciderit, quam primum sive per absolutionem sive saltem per contritionem perfectam cum Deo reconcilietur. Quae quidem industria eliciendi necessarios virtutum actus etiam summopere commendanda atque dextre et perfecte (ne actus manci maneant) exercenda est, si qua occasio fuerit assistendi heterodoxo moribundo, quem circa fidem catholicam plenius instruere impossibile vel periculosius fuerit. — Ceterum in absolvendo moribundo, saltem sub conditione, sacerdos hanc teneat regulam: Moribundus absolvendus est, nisi certo constet, eum esse absolutionis incapacem. Ita imprimis de homine catholico iudica, cuius *incapacitas probari* debet. De homine acatholico baptizato e contrario capacitas probari quidem debet, sed si in extremis versetur, sufficit levior etiam et conicecturalis probatio, ita tamen ut, si sensibus destitutus nondum est, ante omnia cum eo eliciatur perfecta contritio cum actibus praeviis necessariis, dein, si qua generalis et vaga accusatio ab eo extundi possit, qua se coram me sacerdote peccatorem fateatur meumque auxilium ad meliorem pacem cum Deo habendam libenter se admittere dicat,

etiam, renovato dolore cum proposito, sub conditione videatur posse absolvi. Quae necessaria elementa si aliqua ratione prudenter supponi possint adesse vel adfuisse in homine sensibus destituto, etiam eum absolvere sub conditione vel licet, vel oportet.

9. De dispensatione et commutatione votorum.

Dispensatio voti est eius condonatio, nomine Dei a legitimo Superiore ex iusta causa facta. Soli praelati, quibus iurisdictio spiritualis in foro externo data est, in votis dispensare ex se possunt. — Ergo solus Papa pro tota Ecclesia, Episcopi pro suis dioecesibus, praelati regulares pro suis subditis.

Commutatio voti est substitutio alicuius operis loco operis voto promissi, quae fit sub eadem voti obligatione, et quidem: in bonum melius, in aequale, vel in minus.

Praeter vota solemnia aut religiosa alia quinque numerantur vota Sedi Apostolicae reservata, nempe: 1. votum castitatis perpetuae, 2. votum ingrediendi religionem approbatam, 3. votum peregrinationis Hierosolymitanae, 4. votum peregrinationis ad limina Apostolorum, 5. votum peregrinationis ad sanctum Jacobum Compostellanum. In ceteris autem votis, nisi agatur de praeiudicando iure tertii, Episcopus cum suis subditis dispensare potest per se, vel per sacerdotes specialiter delegandos.

Ut quinque vota supra memorata Romano Pontifici censeantur reservata, requiritur, ut sint: 1⁰ *perfecta* ratione finis, materiae et libertatis hinc si votum fuerit poenale, v. g. „si denuo peccavero, religionem ingrediar"; vel disiunctivum, v. g. „voveo religionem ingredi aut bis ieiunare in hebdomada", aut cum aliquo metu, aliquave coactione emissum, cessat reservatio: 2⁰ *absoluta;*

hinc si votum fuerit conditionatum, v. g. „si sanitatem recuperavero, castitatem servabo“, tollitur quoque reservatio, etiam postquam impleta fuit conditio, secundum probabiliorem sententiam.

Praeterea in votis reservatis dispensare potest Episcopus, si adsit urgens necessitas aut grave periculum in mora, et simul accessus ad Summum Pontificem pro circumstantiis nimis difficilis; v. g. in voto castitatis perpetuae ad ineundum Matrimonium vel ad petendum debitum coniugale, si ex dilatione dispensationis oriatur gravis metus diffamationis, aut scandali; vel si Matrimonium iam fuerit cum tali voto contractum.

In voto non nubendi dispensat Episcopus. Sed votum *non nubendi* a voto *castitatis perpetuae* interdum vix secerni potest: ponderanda sunt verba voventis et motiva, quibus inductus est ad vovendum; habenda est ratio intentionis et finis, quem sibi proposuit. — Hinc, qui voverit propter incommoda, quibus obnoxium est matrimonium, probabile est, eum emisisse votum non nubendi; e contra, si quis voverit amore puritatis ob exemplum beatissimae Virginis aliorumve Sanctorum, praesumendum est, factum esse votum servandae castitatis. Immo nec *votum virginitatis* dicit per se vel semper votum perpetuae castitatis; quare etiam ibi intentio examinanda est. Nam qui, desiderio ductus aureolae virginum olim in caelis obtinendae, virginitatem vovit, vovit rem, quae semel amissa irreparabiliter amittitur, atque propterea a materia perpetuae castitatis diversa est.

Ceterum, si re mature perpensa, dubium perseveret, penes Episcopum erit dispensare.

Sine legitima causa nulla voti commutatio nisi in melius, nec dispensatio concedi potest. Haec tria maxime sunt consideranda; *quid liceat secun-*

dum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem. Sufficit pro causa difficultas magna in exsecutione, maxime si post votum supervenerit, gravis metus transgressionis, periculum incontinentiae, sive proveniat ex humana fragilitate, sive etiam ex culpa voventis. Attendere quoque debet confessarius, num votum factum sit immature atque sine sufficienti deliberatione, et potissimum num poenitens scrupulis vexari soleat; huiusmodi enim infirmitate laborantibus votorum relaxatio multo indulgentius est concedenda.

Quicumque facultatem habet ordinariam dispensandi in votis, eo ipso habet facultatem ea commutandi; qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere; e contra vero qui habet facultatem commutandi vota, non potest in iis dispensare, sed materiae voti substituere tenetur aliud opus aliquo modo aequale, vel etiam saluti voventis aequaliter profuturum, non vero opus notabiliter minus; attamen facultas commutandi vota non est adeo stricte interpretanda, sed semper aliquid relinquitur prudentiae confessarii, ita ut commutationi aliquantulam dispensationem admiscere et rei promissae aliam, sive aequalem, sive etiam paulo leviorem, subrogare possit, si conditio poenitentis illud postulare videatur; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis locus foret, cum difficillimum sit, aequalitatem invenire in rebus omnino disparatis, et commutatio fieri debeat in allevationem eius, qui sese voto obstrinxit. Meminerit tamen confessarius, se in foro Poenitentiae divinae voluntatis interpretem constitui, tenerique ante omnia ipsius placitum attendere.

In votis commutandis confessarii rationem habere debent sumptuum et laborum, quos sustinuissent

poenitentes, si ea implevissent; ideoque ipsis iniungant pro impensis, quas fecissent, eleemosynas in pauperes aliosve pios usus convertendas, et pro operibus promissis alia opera, quae ad eorum salutem aequaliter conducere videantur: v. g. Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae frequentiorem usum, pias lectiones, orationis mentalis exercitium et alia id genus. Si votum redundet in favorem tertii, antequam ab hoc facta sit acceptatio, illius favoris rationem haberi decet quidem, sed non est obligatio. Idem probabiliter dic, si votum acceptatum quidem sit, sed votum principaliter in honorem Dei, in tertii utilitatem secundario tantum factum erat. Si vero favor tertii principaliter intentus erat, post acceptationem relaxatio voti fieri nequit nisi cum huius tertii consensu (S. Alph. lib. 3 n. 255).

Qui, dispensatione a voto castitatis perpetuae in ordine ad Matrimonium ineundum tantum in casu necessitatis urgentis ab Episcopo obtenta, Matrimonium init, admoneri debet, 1⁰ hanc gratiam ipsi non prodesse nisi durante illo Matrimonio; defuncto enim coniuge, votum reviviscit et pristinum robur obtinet; non poterit proinde ad alias nuptias transire absque nova dispensatione (cfr. *Laymann* lib. 5 tract. 10 qu. 3 cap. 1 n. 10); 2⁰ illam dispensationem non valere nisi ad legitimum usum Matrimonii; omnes vero alias actiones, quae castimoniam laedant, sive cum coniuge patratae sint, sive non, habendas esse tamquam totidem voti transgressiones in Confessione necessario aperiendas. (Cfr. *Sanchez* de Matrim. lib. 8 disp. 9 num. 26. — *Facultates quinquennales* pro foro interno sub n. VIII.)

Qui obtinuit facultatem *commutandi* votum ingrediendi religionem, ei generatim certa opera imponenda praescribuntur, ita ut debeat: primo in

locum obligationis voti imponere poenitenti onus sacramentalis Confessionis quolibet mense faciendae; praeterea aliqua poenitentiae opera, quae perpetuo durent, v. g. ieiunium feriae sextae aut abstinentiam a carnibus aliqua die per hebdomadam, etc. Inter quae opera sint aliqua eius religionis, quam vovit, seu ingressurus fuisset, quae quotidie facere teneatur, ut ea adimplens memor sit obligationis, qua huiusmodi voto obstringebatur.

Commutato voto, materia subrogata non amplius subiacet reservationi, sed quilibet confessarius facultatem habens commutandi vota potest deinceps secundo aut tertio, si opus fuerit, huiusmodi opera in alia commutare: illud tamen fieri utique non debet, nisi cum multa prudentia et ex gravi causa.

Confessarii, ut in votis, quae Summo Pontifici *non sunt reservata*, possint dispensare, vel eadem commutare, facultatem petere debent ab Ordinario; nulla formula praescripta est.[1])

Vota Sedi Apostolicae *reservata* dispensandi vel commutandi facultas *a sacra Poenitentiaria* ita dari solet, ut confessarius nonnisi in actu sacramentalis Confessionis, utendo formula praescripta, si qua praescribitur, relaxare eadem possit.

10. De facultatibus confessario tempore iubilaei concedi solitis.

Ampla tempore iubilaei quando scil. pro toto orbe iubilaeum indicatur, dari solet confessariis

---

[1]) Bene inspiciat confessarius litteras, quibus ipsi facultas dispensandi vel commutandi tribuitur; notet sibi, quaenam opera in ipsis sint praescripta, vel si litterae ipsi committunt determinationem operum praescribendorum, praevideat, quaenam magis ad salutem et consolationem poenitentis conducant, item quaenam monita ipsi secundum superius dicta sint danda.

facultas tum absolvendi a censuris et peccatis, tum commutandi vota. Diligenter considerandum est, quid et quantum contineat Bulla iubilaei. Est regula universim hac de re accepta: „*Quod non est in Bulla, non potest esse in praxi*", vel „*Bullae tantum valent, quantum sonant*"; attamen: Bullae iubilaei quoad ea, quae favores continent, sunt late interpretandae, quantum patitur proprietas verborum; quoad ea autem, quae gravamen seu odium continent, eaedem sunt stricte interpretandae: nisi in particulari casu stilus et praxis Curiae Romanae seu aliqua particularis ratio sive strictiorem sive latiorem interpretationem exigat. Hinc late sunt interpretandae quoad concessionem indulgentiae, quoad electionem confessarii, absolutionem, commutationem operum vel votorum etc., quia sunt favores; stricte autem sunt interpretandae quoad obligationem ad certa opera, suspensionem indulgentiarum et facultatum, quia sunt gravamina. Ordinarie vi iubilaei confessariis concedi solet quadruplex facultas:

1ª *Absolvendi a quibuscumque peccatis et censuris,* sive a iure, sive ab homine, quovis modo et ex quavis causa latis, etiam locorum Ordinariis, seu Papae et Sedi Apostolicae et alias quomodocumque reservatis. Excipitur communiter: 1) censura in aliquem nominatim lata; 2) peccatum complicis in re turpi, ita ut confessarius *suos* complices nequeat absolvere; 3) ipsi casus expressi in Bulla Benedicti XIV. *Sacram. Poenitent.* sc. attentata absolutio complicis et falsa accusatio sollicitationis.[1]) — Forma absolutionis est communis.

---

1) Nunc a tempore Pii IX. consuevit etiam facultas adesse absolvendi *ab haeresi*, saltem *non publica;* sed Leo XIII. in Bulla *Aeterni Pastoris* pro anno 1900 facultates aliter redegit.

2a *Dispensandi ab irregularitate occulta;* quae tamen facultas est tantum dispensandi ab iis irregularitatibus, quae ob censurae violationem incursae sunt, ad exercitium ordinum et ad assecutionem superiorum ordinum.

3a *Commutandi vota omnia,* exceptis votis castitatis et religionis iis quae secundum pag. 204 vota reservata evaserunt. Haec potestas commutandi vota se extendit etiam ad vota iurata et ad vota in favorem tertii facta sed nondum acceptata (ut si quis vovit alicui ecclesiae calicem, vel alicui pauperi eleemosynam), item ad vota de non petenda commutatione aut dispensatione votorum. Non vero datur facultas commutandi vota in praeiudicium iuris tertii, neque generatim vota poenalia praeservativa nisi cum restrictione.

4a *Commutandi opera praescripta ad lucrandum iubilaeum* in alia (etiam aliunde debita, si adsit rationabilis causa). Olim vi iubilaei confessarii poterant commutare *omnia* opera praescripta; nunc vero Bullae solent exprimere solummodo commutationem ieiunii, eleemosynae et visitationis templi, nullaque fit mentio Confessionis, nec Communionis nisi forte pro pueris nondum ad Communionem admissis. — Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis* d. d. 25. Nov. 1749, num. 25, omnes has absolutiones et commutationes in actu sacramentalis Confessionis fieri voluit; et quamquam pro iubilaeo 1865 Pius IX. indulserat, ut commutatio operum pro iubilaeo praescriptorum fieri posset extra confessionem, tamen anno 1886 S. Poenitentiaria d. 30. Jan., ut illius commutationis extra confessionem faciendae facultas daretur, *non expedire,* denuo declaravit.

Quodsi iubilaei indulgentia pluries acquiri potest, haec operum praescriptorum commutatio (4 a)

pluries fieri modo potest, modo non; aliorum favorum usus (1 a, 2 a, 3 a) conceditur semel tantum.

II. De reservatione casuum.

„Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, „ut sententia in subditos dumtaxat feratur, per„suasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissi„mum esse Synodus haec confirmat, nullius mo„menti absolutionem eam esse debere, quam sacer„dos in eum profert, in quem ordinariam aut sub„delegatam non habet iurisdictionem.“

„Magnopere ad christiani populi disciplinam per„tinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut „atrociora quaedam et graviora crimina non a qui„busvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus ab„solverentur; unde merito Pontifices maximi pro „suprema potestate sibi in Ecclesia universa tra„dita causas aliquas criminum graviores suo po„tuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubi„tandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, „ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus „in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, „non in destructionem liceat, pro illis in subditos „tradita supra reliquos inferiores sacerdotes aucto„ritate, praesertim quoad illa, quibus excommuni„cationis censura annexa est. Hanc autem delicto„rum reservationem consonum est divinae aucto„ritati non tantum in externa politia, sed etiam „coram Deo vim habere.“ *(Conc. Trid. Sess. 14 de poenit. c. 7.)*

Quibus verbis Concilium exprimi reservationis antiquitatem *(sanctissimis patribus nostris)*, naturam *(adempta vel denegata quibusvis sacerdotibus inferioribus potestate in certi generis peccata)*, causam finalem *(christiani populi disciplina)*, causam efficientem *(summi sacerdotes)*, causam materialem *(atrociora quaedam et graviora crimina)*, et mini-

strum pro reservatis *(summus sacerdos et Ordinarius)*.

Casus reservatus est peccatum mortale, atrocius et gravius, internum simul et externum, certum, in sua specie consummatum, a quo praeter reservantem et eius in officio Superiorem aut successorem sine speciali facultate nemo directe absolvere potest extra mortis articulum, similemve necessitatem.

Ut casus aliquis sit reservatus, praeter legem, qua sancitur ipsa reservatio, quatuor requiruntur conditiones, nempe:

1⁰ Ut peccatum sit *mortale et enormius*, quia ex mente Conc. Trid. reservatio debet respicere necessitatem vel utilitatem disciplinae populi christiani; quare non quaelibet peccata, sed graviora tantum et fidelium communitati perniciosiora reservanda visa sunt omni tempore. Animadvertendum tamen hoc est, materiam secundum se levem aliquando fieri gravem ex circumstantiis et ex fine, quem sibi proponit legislator, quippe quae scandalum generare et multis criminibus viam aperire, possit. 2⁰ Ut peccatum sit *internum simul et externum;* hinc peccata sola cogitatione vel solo cordis affectu perpetrata, licet absolute loquendo reservari possint, tamen hodierno tempore nunquam reservantur, et teste Bened. XIV. nec Episcopi nec Summi Pontifices actus mere internos suis reservationibus complecti unquam consueverunt. Ut autem peccatum censeatur externum, quantum satis est ad reservationem, requiritur a) ut actus externus seu signum sensibile actum interiorem sufficienter exhibeat; b) ut *externus* ille actus satis appareat tamquam mortaliter peccaminosus, seu ut peccatum se *externe* prodat tamquam mortale. 3⁰ Ut peccatum *sit in suo genere completum;* si autem reservetur attentatio criminis, ipsa atten-

tatio debet esse completa. 4° Ut peccatum sit *certum* ea certitudine, quae excludat morale dubium relative ad reservationem et conditiones supra memoratas.

Reservatio est stricti iuris, seu quantum patitur proprietas et usus receptus verborum, rigide et stricte est explicanda, conformiter ad regulam 15am de regulis iuris in 6°: *odia restringi et favores convenit ampliari*, et 30am in eodem 6°: *in obscuris minimum est sequendum*, et 49am pariter in eodem 6°: *in poenis benignior est interpretatio facienda.* Quapropter materia reservationis et censurarum cum ceteris constitutionibus poenalibus aut odiosis sic debet intelligi et explicari, ut quam minimum noceat poenitenti, cuius libertas quoad electionem confessarii restringitur per onus illud comparendi coram Superiore aut speciali eius delegato. Proinde, quando prudens remanet dubium, an peccatum sit mortale, an sit externum, an sit consummatum, an, si de censura agitur, haec re vera sit contracta, sacerdos simpliciter approbatus absolvere potest. In dubio iuris, i. e. quando prudens dubium versatur circa exsistentiam legis reservantis eiusve extensionem, peccatum non censendum est reservatum. Idem dicendum est in dubio facti, i. e. si scitur quidem existentia legis reservantis, sed dubitat poenitens, num illud peccatum commiserit. — Si post absolutionem, in dubio facti impertitam, dubium tolli contingat, valet tamen absolutio; quia ablato peccato ablata quoque est reservatio *(S. Alph. lib. 6 n. 600. Q. II).*

In materia reservationis non valet argumentum *a simili*, nec *a maiori ad minus*, nec *a minori ad maius.* Unde non potest dici: *legens* librum haeresin propugnantem incidit in excommunicationem Bullae *Apostolicae Sedis*, ergo etiam *audiens* legentem et audiens concionem haeretici; nec valet

haec conclusio: haeresis est reservata, ergo etiam blasphemia non haereticalis, quando est etiam gravius peccatum.

Ut censura *Summo Pontifici* reservata maneat, praeterea requiritur, ut casus non sit occultus. [1])

Ignorantia legis vel decreti reservantis, modo non sit crassa [2]) vel affectata, excusat ab incurrenda *censura;* nam „ut quis censuram incurrat" (sunt verba S. Alph. lib. 7 n. 43) „non solum „debet scire, crimen illud esse vetitum iure divino, „sed etiam ecclesiastico, quia alioquin deest con-„tumacia contra Ecclesiam, a qua puniri debet; „immo scire debet, illud sub censura prohibitum „esse; alias eam non incurrit; quia alias tunc „deest adhuc contumacia et contemptus censurae". Ignorantia autem *non excusat a sola reservatione peccati:* nisi haec constituta sit ut poena praeservativa, sicut revera constituta est Papalis reservatio falsae accusationis sollicitationis.

Sequitur ex dictis, ignorantiam, nisi sit crassa, semper excusare a reservatione Sedi Apostolicae facta, quia casus papales *ordinarie* et principaliter reservantur propter censuram iisdem annexam,[3]) eaque ob ignorantiam (quae tollit pertinaciam et praesumptionem, quam Superior ad censuram requirere censetur) sublata, tollitur simul reservatio; e contrario, reservata censura, etiam peccatum

---

[1]) Excipere tamen debes casus speciali modo Summo Pontifici reservatos in Bulla *Apostolicae Sedis.* — Quid de casibus Papae reservatis, si sint *occulti,* vide p. 216 sq.

[2]) Ignorantia etiam crassa excusat a censura, si in decreto legitur: „*qui hoc fecerit scienter* vel *consulto*".

[3]) Praeter falsam sollicitationis accusationem aliquo sensu Papae reservata est acceptatio munerum a regularibus, si valent pluris 10 scutatis Romanis *(Clemens VIII. 13. Cal. Julii 1594). Haec* reservatio ob ignorantiam non cessat.

manet reservatum *(S. Alph. lib. 6 n. 580)*. Ubi autem agitur de casibus ab Episcopo reservatis, saepe reservatio afficit simul peccatum et censuram, si quando in his casibus principaliter et per se spectetur reservatio peccati, cui annectatur certa quaedam censura velut circumstantia, eo fine, ut peccatores magis a peccato absterreantur. Hinc qui committit crimen Episcopo cum annexa censura tali modo reservatum, si ignoret legem, qua censura fertur, ab *ea censura* quidem eximitur, ipsius tamen peccatum reservationi manet obnoxium *(A. Alph. lib. 6 n. 581)*.

Nulla est reservatio in articulo [1]) mortis; ait enim *Conc. Trid. Sess. 14 de poenit. c. 7:* „Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes

---

1) *Articulus* mortis importat talem hominis statum, qui ex natura sua et per se disponat ad mortem, puta cum valetudo iudicio medicorum desparata est et paulo postea secutura mors. *Periculum* mortis est status valetudinis qui, etsi natura sua et per se ad mortem non certo et immediate disponat, prudentem tamen timorem et grave dubium mortis mox secuturae infert, etsi per accidens tantum ob circumstantias, quae mortem proxime inferre possent, v. g. cum imminet praelium, naufragium etc. Auctores communiter, immo et canones (cap. *Eos qui,* de sentent. excommun. 6⁰, cap. *Si quis suadente*, cap. *Non dubium,* de sentent. excomm.) et Rit. Rom. mortis articulum et periculum pro eodem sumunt. Quare „per mortis *articulum* intelligitur tempus, quo vel mors proxime instat et moraliter certa et inevitabilis est, vel quo est mortis *periculum,* i. e. probabile dubium de vitae conservatione, tali casu, quo valde frequenter mors solet accidere“ *(S. Alph. ex Busenb. lib. 6 n. 239)*.

a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt“, et *Rit. Rom. de Sacr. Poenit.* „si periculum mortis immineat approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos possit a quibuscumque peccatis et censuris absolvere“. Requiritur tamen a) ut moribundus, si possit, absolutionem postulet; b) ut promittat se satisfacturum parti laesae (in cuius damnum commissum est crimen censuratum); et, si peccato annexa est censura specialiter Romano Pontifici reservata,[1]) sese praesentaturum Superiori, si convaluerit, pro obedientia praestanda et poenitentia congrua ab eo suscipienda: secus reincidit in eandem censuram; c) si agitur de crimine valde enormi, convenit, ut ante absolutionem iuramentum exhibeat de obedientia Ecclesiae praestanda. (*Cap. De cetero* et *Ex tenore, de sent. excommun., Rit. R.* Cfr. *Scavini tract. 4 disp. 3 cap. 7 qu. 4; Lehmkuhl, theol. mor. ed. 6. vel poster. II. num. 879 nota.)*

Conc. Trid. Sess. 24, de reform. cap. 6, Episcopo et eius vicario[2]) ad hoc specialiter deputando concedit potestatem absolvendi a quibuscumque casibus *occultis*, etiam Sedi Apostolicae reservatis, excepta haeresi, quae absolvendi facultas solis Episcopis, *non eorum Vicariis* dabatur. Sed circa hoc decretum iam observa: 1⁰ Ab haeresi, etiam publica, ordinario iure Episcopi absolvere nihilominus

---

[1]) Alias poenitens *per se* non tenetur se sistere Superiori, ubi convaluerit. Potest nihilominus haec obligatio *aliunde* existere, ex natura peccati eiusque obiecti. (Cfr. *Layman lib. 5 tract. 6 cap. 12 n. 15.)* Idem observa, quando in aliquem publice lata est censura, vel nominatim: haec enim publicam absolutionem et recursum ad ipsum Superiorem postulat.

[2]) Quod de *quolibet, qui* ad hanc absolutionem dandam *delegetur* ab Episcopo, intelligunt.

possunt, quando, deficiente tribunali Inquisitionis, causa haeresis ad eorum *externum* forum defertur: atque tum et in externo et in interno foro iis absolvere licet. 2⁰ Etiam in reliquis causis *occultis* huic potestati a *Trid. Conc.* datae subtracti sunt, ut antea casus Bullae Coenae, nunc per Bullam Pii IX. *Apostolicae Sedis* casus R. Pontifici *speciali modo* reservati. 3⁰ Crimen *occultum* proprie dicitur illud, quod probari non potest. Sed in nostra re sumere licet pro *occulto,* quod non est notarium et aliqua tergiversatione celari potest, etiamsi per aliquos testes probari possit („quod in fine causae non est probatum, erit occultum", ait Barbosa *de potest. Episc. alleg. 39 num. 32)*; immo adhuc occultum dici posse crimen contendunt, si quinque vel sex personae illud sciant; *publicum* vero tunc dicitur crimen, quando vel est deductum ad forum contentiosum,[1]) vel scitur a maiore parte oppidi, viciniae, parochiae, vel collegii; modo saltem decem personae ibi sint *(S. Alph. lib. 6 num. 593 not. 3 in fine, et lib. 7 n. 76 not. 2).* Attamen *non occultum* etiam dicitur, si scitur a compluribus v. g. ab 8—10. 4⁰ In hisce regionibus remotioribus Episcopi inter facultates quinquennales etiam solent habere facultatem pro foro interno absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam specialiter reservatis, excepta attentata absolutione complicis et falsa accusatione sollicitationis, in locis tamen, ubi impune haereses grassantur, et quidem cum potestate, eandem licentiam etiam aliis communicandi. 5⁰ Antea constans erat doctrina

---

[1]) Crimen censetur deductum ad forum contentiosum, quando ibi probatum est saltem per unum testem; si tamen reus se purgavit a crimine in iudicio, etiam malis artibus, poterit ab Episcopo absolvi tamquam a delicto occulto *(Scavini tom. I pag. 664 ed. X).*

theologorum (S. Alph. lib. 7 n. 85), reservationem Papalem cessare casumque fieri episcopalem, si censura contracta fuerit a mulieribus, senibus, brevi a quibuscumque qui impediti sunt, quominus personaliter S^ae^ Sedi eiusve tribunali se sistant, neque obligationem esse per literas causam suam componere. Verum recentiore decreto S^i^ Officii d. d. 23. Junii 1886 et die 30. Junii per Leonem XIII. confirmato declaratum est: 1) extra articulum mortis esse recurrendum ad S. Sedem vel S. Poenitentiariam etiam per litteras; 2) attamen si ob periculum gravis scandali vel infamiae absolutio differri nequeat, confessarium, cuius conscientia hac in re oneretur, absolvere posse a censuris etiam speciali modo R^o^ Pontifici reservatis, iniunctis de iure iniungendis et sub poena reincidentiae in easdem censuras, nisi absolutus saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarium recurrat ad S. Sedem; 3) ulterior relaxatio facta est per Leonem XIII. d. 18. Jun. 1897 pro casu, quo neque scandali neque infamiae periculum adest, sed quo poenitenti valde durum est in gravi peccato manere per illud tempus quod necessarium fuerit ad petendam et obtinendam absolvendi facultatem: videlicet in eo casu eadem datur facultas, de qua antea sub 2) sermo erat; 4) quando vero neque confessarius neque poenitens litteras ad S. Poenitentiariam mittere possint, et durum sit poenitenti adire alium confessarium: in hoc casu licebit confessario absolvere absque onere mittendi epistolam (S. Poenit., approbante Leone XIII. d. 9. et 12. Nov. 1898); neque tamen id extendi ad attentatam absolutionem complicis, eodem S. Pontifice approbante, declarabatur d. 7. Junii 1899.

Haec igitur nunc attendenda sunt maxime in causis speciali modo Papae reservatis et in causis publicis etiam simpliciter tantum Papae reservatis.

Peregrinus quoad reservationem peccatorum iudicari potest iuxta dioecesim, *in qua* versatur. Accurratius tene haec: Talis discedens in aliam dioecesim, ex communi sententia *non potest* absolvi a quolibet confessario, si peccatum in utraque dioecesi est reservatum; *potest* vero absolvi a confessario habente facultatem in reservata. Si peccatum reservatum est in patria, *non vero in dioecesi, ubi confitetur,* a quolibet confessario potest absolvi, nisi confessarius noverit, poenitentem in fraudem reservationis, i. e. absque alio rationabili et honesto motivo eum solum in finem, ut absolutionem facilius obtineret et Superioris iudicium vitaret, ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse. (Cfr. Const. Clementis X. *Superna magni patrisfamilias d. d. 21. Junii 1670 § 7. — S. Alph. lib. 6 n. 591.)*

Qui a Superiore vel a sacerdote pro reservatis approbato absolutus est a reservatis, si postea eadem denuo confiteri velit, potest absolvi a quovis confessario, quia non sunt amplius materia necessaria Confessionis.

Qui confessus est tempore iubilaei et opera iubilaei perfecit, et oblitus fuerit confiteri peccata reservata, aut ex legitima causa ea omiserit, ex communi omnium auctorum sententia potest deinde a quocumque confessario ab eis absolvi, quia vi iubilaei ius habet ad hanc absolutionem *(S. Alph. lib. 6 n. 537 qu. 4).*

Si confessio, tempore iubilaei facta, culpabiliter fuerit nulla, nec absolvuntur censurae reservatae, nec aufertur reservatio peccatorum *(S. Alph. lib. 6 n. 537 qu. 2).* Extra iubilaeum de hoc mitius iudicant: v. mox infra.

Si poenitens confessus sit Superiori, et inculpabiliter oblitus sit peccati reservati, ex sententia

multorum auctorum poterit deinde cuilibet illud confiteri ab eoque absolvi; ex sententia vero S. Alph. id ita intelligitur, ut ex aliquo positivo iudicio habenda sit praesumptio, voluisse Superiorem vel delegatum reservationem auferre — quod sane frequenter obtinet, praecipue si poenitens in hunc finem adiverit Superiorem vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolvatur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit *(S. Alph. lib. 6 n. 597 qu. 2).*

Per confessionem invalidam, factam Superiori vel eiusdem delegato, in qua peccatum reservatum fuit declaratum, ex communi ac probabiliori sententia tollitur reservatio, *si confessio est nulla absque culpa poenitentis,* v. g. si inculpabiliter erretur in absolutione; nam ex una parte Superior intendit actualiter et absolute poenitentem liberare tam a peccato, quam a reservatione; ex alia parte poenitens subiecit Superiori peccatum et ab eodem poenitentiam et necessaria monita accepit. Si vero confessio sit *culpabiliter nulla, seu sacrilega:* adhuc tolli reservationem, communius et non improbabiliter DD. affirmant; quia alius est finis confessionis (i. e. remitti peccatum) et alius est finis reservationis (i. e. subiici peccatum Superiori vel delegato ad poenitentiam et redargutionem), qui finis obtentus est. (Cfr. *S. Alph. lib. 6 n. 598 qu. 4.)* Excipe 1° si poenitens non habeat animum vitandi reservatum, vel implendi poenitentiam; tunc enim non potest supponi conniventia Superioris; 2° si agatur de iubilaeo, quia tunc facultas absolvendi a reservatis non conceditur, nisi ad eum finem, ut fideles iubilaeum lucrentur.

Qui *bona fide* confessario simplici confitetur peccata reservata, is vero ad reservationem non attendit, indirecte absolvitur; item indirecte absolvitur, qui *absque culpa obliviscitur* peccati

reservati, licet confessarius careat facultate in tale peccatum; denique indirecte (vel ex dictis pag. 218 aliquando etiam directe) absolvitur a peccatis reservatis, qui ad vitandum scandalum aut infamiam Ss. Communionem accipere debet, et ad confessarium facultate debita praeditum accedere nequit. In hisce autem casibus observandum est, a) absolutionem *indirectam* solummodo ad peccata, non vero ad censuras pertinere; b) tali modo absolutum debere denuo et *directe* absolvi, vel saltem ad Superiorem recurrere. (Cfr. *S. Alph. lib. 6 n. 596.)*

Poenitens, qui reservata declaravit et absolutionem accepit, praesumere potest confessarium habere facultatem ab iis absolvendi. Si vero reservatorum sit oblitus, praesumere non potest, se a reservatione esse solutum, nisi contrarium constet; quare in sequenti confessione confessarium adire debet, qui in casus reservatos facultatem habet.

Quilibet confessarius absolvere potest a peccatis et censuris a iure latis non reservatis.

Qui facultatem generalem accepit ab Episcopo absolvendi subditos ipsius ab (omnibus) peccatis, non potest eo ipso absolvere a reservatis; *cum in generali concessione illa non veniant, quae non esset quis verosimiliter in specie concessurus.*

Si Episcopus alicui daret licentiam generalem in casus sibi reservatos, facultas illa generalis et indefinita non extenderetur ad casus, si qui eidem Episcopo *specialiter* reservati sunt, quia specialiter excepta requirunt specialem concessionem.

Qui habet facultatem absolvendi a censuris Episcopo reservatis, propterea nondum potest absolvere a reservatis Papae.

Qui obtinuit *generalem* facultatem absolvendi a casibus Papalibus, non ideo absolvere potest ab

iis, qui R^o Pontifici sunt *specialiter* reservati. Immo ne hac facultate quidem absolvendi a specialiter reservatis comprehenditur casus attentatae absolutionis complicis in peccato turpi [1]) vel falsae accusationis sollicitationis: hi enim casus semper censentur excepti; quare *clarius vel nominatim* exprimi debent, ut facultas absolvendi exsistat. (De his loquitur Bened. XIV.[2]) Const. *Sacramentum Poenitentiae* d. d. 1. Junii 1741 et *Apostolici muneris* d. d. 8. Febr. 1745.)

Sicut ille, cui praeter potestatem absolvendi a casibus episcopalibus insuper tribuitur potestas absolvendi a censuris papalibus in genere, non potest absolvere ab haeresi, aliisque casibus in Constitutione *„Apostolicae Sedis moderatione" speciali modo reservatis*, ita nequit absolvere a censuris latis *ab homine,* seu per sententiam *specialem* inflictis,[3]) neque vota commutare, vel in irregulari-

---

1) Confessarius nimirum „caret iurisdictione in huiusmodi peccati et poenitentis genere"; ita Bened. XIV. Const. *Sacram. Poenitentiae.* Restituitur quidem iurisdictio pro articulo mortis (similive necessitate?); verum confessarius etiam tum excommunicationem non effugiet, si, cum possit alium confessarium admittere, temere ipse se ingerit sine necessitate. — Postquam complex semel ab alio rite fuit absolutus, sacerdos complicem ab aliis peccatis sibi extraneis absolvere potest; at si possibile est, nunquam in posterum eius confessionem excipiat. In nonnullis dioecesibus de iure particulari sacerdos semper excluditur a confessione complicis (cfr. *Gury II, 584 et 587; Scavini IV, pag. 152. Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 7 cap. 14);* sed talem rigorem S. Sedes non absolute approbat.

2) Cfr. *Blanchard,* de Constitutione „Sacramentum Poenitentiae", Engolismae (apud Baillarger) 1878.

3) Si agitur de censura per sententiam generalem contra certas personas lata, haec comparatur censuris *a iure*

tatibus dispensare etc.: haec enim omnia ut valide praestet, specialem habeat facultatem oportet.

Qui obtinuit facultatem absolvendi a casu papali, absolvere potest simul a peccato et a censura; tum quia casus papales ordinarie non sunt reservati nisi ratione censurae; tum quia absolutio a peccatis per se danda non est, nisi praemissa absolutione a censuris.

Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus ab Episcopo reservatis possunt absolvere, nisi ab ipso facultatem acceperint *(Clemens X Constit. Superna.* Cfr. Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 5 cap. 5 n. 7).*

Sacerdotes, qui non habent facultatem absolvendi a casibus reservatis, *non possunt absolvere a non reservatis* eos poenitentes, qui confitentur peccata reservata; similiter sacerdotes, qui facultatem habent absolvendi *a peccatis reservatis,* sed non *a censuris reservatis*, non possunt absolvere poenitentem neque a reservatis, neque a non reservatis, quando in eius confessione occurrit peccatum, quod censuram excommunicationis reservatam habet annexam: ratio est, quia omnis excommunicatio arcet a participatione Sacramentorum, ideoque absolutio ab excommunicatione per se praecedere debet absolutionem a peccatis. Qui aliter agat, graviter peccat, nisi secundum superius dicta locus sit indirectae absolutioni.

---

latis: hinc absolvi potest aut non potest secundum ea, quae modo dicta sunt. A censura autem lata *per sententiam hominis specialem,* quae semper reservata est, per se absolvere nequeunt, nisi qui eam tulit, eius successor, Superior, delegatus: quid fieri possit in casu necessitatis, habes supra pag. 215 et 218.

Confessarius igitur audiens casum reservatum, si absolvendi careat facultate, nec casus urgeat, statim audito peccato reservato, quin ultra poenitentem audiat, ipsum mittere debet ad habentem facultatem, neque per se obligatur se offerre ad licentiam postulandam a Superiore, ne finis reservationis destruatur, qui est, tum ut difficultate absolutionis retrahantur homines a gravioribus peccatis, tum ut graviores morbi a peritioribus medicis curentur. Sed non raro contrarium suadebit vel imponet caritas, ut ipse Confessarius adeat Superiorem; quo in casu reliqua audiat peccata ac perficiat confessionem, tum ut congrua remedia praescribat, tum ut videat, num poenitens alia habeat peccata reservata; deinde moneat poenitentem, ut pro accipienda absolutione designato die revertatur, atque si opus sit propter sigillum sacramentale petat licentiam, nomine ipsius (tecto nomine) recurrendi ad Superiorem. Facultate obtenta confessarius ne utatur, quin prius poenitenti patrati sceleris gravitatem ostendat, et salutarem satisfactionem imponat. (Cfr. *Conc. Trid. Sess. XIV c. 7; S. Alph. lib. 6 n. 591 etc.; Scavini tom. IV, 149.)*

Qui obtinuit facultatem absolvendi certam et determinatam personam, etsi ficto nomine indicatam, e. g. Petrum, a casu reservato, non potest uti hac facultate ad absolvendum alium, e. g. Paulum, a simili casu reservato (si Petrus non compareat); qui vero petiit et obtinuit facultatem *semel absolvendi aliquem,* non determinata persona, a casibus reservatis aut a certo aliquo casu reservato, ea uti potest, ut Paulum loco Petri absolvat.

Qui pluribus censuris obstrictus est, potest absolvi ab una, remanentibus aliis, tum quia non agitur de gratia sanctificante conferenda, prout in

absolutione a peccatis mortalibus, tum quia inter varias censuras non est necessaria connexio.

Ad valide absolvendum a censuris nulla requiritur determinata verborum vel actuum externorum forma, cum in iure nihil determinetur sub poena nullitatis; unde sufficit, ut Superioris voluntas signo aliquo sensibili manifestetur, saltem si alteri nota fiat; non ita interna sola voluntas iudicis. Sed ad licite absolvendum *in foro interno* ista adhibetur forma in Sacramento Poenitentiae consueta: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis), et interdicti,* in foro vero externo adhibetur forma in Rituali Romano descripta. Sed notandum est, ad talem solemnem et publicam absolutionem non procedendum esse sine mandato Episcopi, qui hoc tunc tantum praecipere solet, quando crimen toti communitati maximo scandalo fuit.

Elenchus casuum reservatorum.

SS. D. N. PII divina providentia Papae IX.
CONSTITUTIO
qua censurae latae sententiae limitantur.

Apostolica Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum

ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae: Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

I. Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores [1]) ac generaliter quoslibet illorum defensores.[2])

2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuntios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis,

---

1) Hoc articulo comprehendi etiam eos, qui matrimonium (mixtum) contrahunt coram ministro acatholico ut ministro religionis, nunc certum est ex decr. S. Officii d. d. 29. Aug. 1888, sive eos dicis *fautores* haeresis, sive haereticis *credentes seu adhaerentes.* Cf etiam d. d. 18. Maii 1892.

2) Saepe accidit, ut sub censuris dicantur comprehendi illi, qui auxilium, consilium, favorem praebeant actionibus prohibitis. Haec autem ita sunt intelligenda, ut interveniat formalis cooperatio et realis adhaesio, quae non consistat solum in intentione, sed in actione; non ex ignorantia, sed ex deliberata voluntate. *(Avanzini.)*

Terris, seu Dominiis eiicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eius auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7. Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones [1]: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: necnon falso publicantes literas Apostolicas etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

---

[1]) Per verba *praeter canonicas dispositiones* allusio fit ad concordata guberniorum cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant. *(Avanzini.)* — Dein nota, ex decreto d. d. 23. Jan. 1886 comprehendi solos *legislatores* et alias *auctoritates*.

10. Absolventes complicem[1]) in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes, detinentes per se, vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes. [2])

A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere

---

[1]) Hac de re vide, quae supra dicta sunt pag. 222 et not. S. Romana et Universalis Inquisitio die 28. Maii 1873 respondit, prohibitione absolvendi complicem „*comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa, quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important*". Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi non effugere excommunicationem, declaravit S. Poenitentiaria die 1. Martii 1878 (videtur agi de simulatione, *qua poenitens in errorem inducitur)*, et S. Off. 5. Dec. 1883; neque excusare ignorantiam crassam: S. Off. 16. Jan. 1892. Cfr. *Lehmkuhl, Theol. mor. II, n. 935 seqq.*

[2]) Adde ex Constitutione „Romanus Pontifex" 28. Aug. 1873: **13.** Dignitates, Canonicos cathedrales, qui administrationem et curam dioecesis transferant contra canones in eum, qui in Praesulem eius dioecesis nominatus vel praesentatus sit, antequam exhibuerit litteras Apostolicas.

declaramus, revocatis[1]) insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti. etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

II. Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae: item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema* 7. Julii 1745; *Ubi primum* 2. Junii 1746; *Ad eradicandum* 28. Septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iuri vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque

---

[1]) Intelliguntur facultates *generaliter* et *indefinite* concessae.

permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massonicae,* aut *Carbonariae,* aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur,[1]) necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.[2])

---

[1]) Secta Fenianorum ex decreto S. C. Inquisit. d. d. 12. Jan. 1870 sub sectis in hoc articulo significatis comprehensa est. *(Avanzini.)*

[2]) Ex hoc igitur *fine* imprimis desumendum est, utrum hac excommunicatione societas aliqua comprehendatur necne, non ex iuramento absoluti secreti servandi, quod asseclae, utut per nefas, emittere solent: ita S. Offic. 10. Maii 1884. Ex iis quae supra (monita pro confessariis num. 10 pag. 173) dicta sunt, fluunt regulae, quae in tractandis murariis, qui hac Constitutione feriuntur, sunt observandae. Nam murarius confiteri volens, leges illas ecclesiasticas, quae societatem murariorum prohibent, aut ignoraverat, aut noverat. — Si leges *ignoraverat* et a confessario de iis monitus, *resipiscit* vereque contritus serio promittit, se omnem conversationem cum hac societate abrumpere et in posterum evitare velle, excommunicationis reservatae poenae non subiacet, et proinde absolvi potest. Si *ignoraverat* illas leges, sed a confessario monitus *non resipiscit,* sed leges ipsi patefactas spernit, ex transgressore legis materiali fit transgressor formalis et contumax, proindeque absolvi nequit, et poena excommunicationis reservatae subiacet, ubi primum se iterum externe ut francomurarii fautorem gerit, vel denuntiare renuit. — Si leges et specialiter poenam censurae *noverat,* tamquam legis transgressor contumax poenae excommunicationis Papae reservatae subiacet et absolvi nequit, nisi debitam dispositionem afferat. Quam si afferat, confessarius ab Ordinario facultatem ab-

5. Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare iubentes aut violantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra

---

solvendi et necessaria consilia petat. — Si confessarius scit poenitentem esse murarium, licet legum ecclesiasticarum ignarum — id quod nunc sane raro accidit —; tunc, si spes est, fore ut (poenitens) monitus resipiscat, ipsum monere debet. Immo etiam quando timendum est, ne poenitens ex transgressore legum materiali fiat transgressor formalis, indeque in profundiorem etiam perniciem sit ruiturus, plerumque ratio scandali pro aliis et damnum publicum, in quod sectae illae tendunt, prohibent, quominus in bona fide poenitens relinqui et usus Eucharistiae illi permitti possit. Nolim tamen negare, per modum exceptionis evenire posse, ut confessarius ad solum poenitentem respicere possit, et tunc ex duobus malis minus eligens a monitione abstineat, sive potius tempora meliora exspectet, interim vero quibuscumque aliis mediis, quae ad exoptatum finem perducere queant, et quibus saluti poenitentis prospici possit, religiose utatur. — Quodsi murarius, licet emissi iuramenti ipsum quidem poeniteat, externe tamen cum iisdem sociis ut murarius communicet, ex R. S. Offic. 5. Jul. 1837 non potest absolvi, quia satis non est, erroribus suis interne renuntiare, cum quis eos externe profiteri videatur. Legatur hac de re *Münster. Pastoralblatt* anni 1863 num. 6 et anni 1864 num. 4 et libellus anno 1866 Viennae in Austria impressus: „*Der h. Stuhl und die Freimaurer.*" — Plerumque *formalis renuntiatio* societati mitti debet. Verum si ex hoc gravia mala timentur, sufficere potest, ut omnis communicatio et pecuniae contributio abrumpatur scandaloque aliis modis obvietur, etsi a nomine expungendo *interim* abstineri debeat. *S. Offic.* d. 7. Martii 1883 (*Acta S. Sedis* v. 27 p. 701).

casus ac formam a. S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam.

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes, qui quaestum facientes et indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2. Januarii 1569.

12. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent (etiam in ipso suo loco, si ibi minor taxa solet esse: S. Off. 16. Jan. 1892).

13. Omnes, qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie Nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26. Junii 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis, aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicatio nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes. [1])

III. Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

1. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu secuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes. [2])

IV. Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

---

[1]) Adde ex pag. 230: 18. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicationibus *speciali modo* R. Pontifici reservatis.

[2]) Adde ex decr. *Vigilanti* d. d. 25. Maii 1893: Qui Missarum stipendia colligunt vel tradunt ad mercaturas faciendas, si *laici* sunt Quod confirmavit Pius X d. d. 11. Maii 1904.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de rebus Eccles. non alienandis.

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem [1]) Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Const. *Universi* 20. Augusti 1622, et Benedicto XIV. Const. *Sacramentum poenitentiae* 1. Junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, [2]) sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto, Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. [3])

---

1) *Obligatio* quidem denuntiandi etiam ad alios spectat, scil. ad omnes testes delicti immediatos, qui certi sunt; ad eos, qui ab aliis fide dignis notitiam delicti habeant, solummodo, quando hi suam obligationem non implent: *excommunicatio* autem propter omissam denuntiationem soli ii incurrunt, quibuscum sollicitatio etc., ut describitur in laudatis Const. Greg. XV. et Bened. XIV., facta est.

2) Cfr. Concil. Trid. Sess. 13 can. 11 de Euch.; Sess. 21 c. 18 de ref. regul.; Sess. 24 c. 1 de ref. matr.; ibid. c. 6; ibid. c. 9; Sess. 25 c. 5 de ref. reg.; ibid. c. 18.

3) His adde excommunicationem 4. Dec. 1872 renovatam in Missionarios Indiarum orient., Chinae, Japoniae, Americae sive australis, sive septentr., qui, etiam semel tantum, mercaturam exercent, et in Superiores delictum non punientes.

V. Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto

nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum. [1])

VI. Interdicta latae sententiae reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta,

---

[1]) Adde poenas R⁰ Pontifici reservatas: contra *sacerdotes* suspensionem a divinis, contra *inferiores clericos* suspensionem ab ordinibus susceptis et inhabilitatem ad suscipiendos, quando agitur de peccato not. 2 p. 234.

vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum [1]) suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit:

---

[1]) Quoad suspensiones et interdicta a Trid. lata vide Conc. Trident. Sess. 23 cap. 8 de ref. — Sess. 23 cap. 14 de ref. — Sess. 6 cap. 5 de ref. — Sess. 7 cap. 10 de ref. — Sess. 25 cap. 10 de ref. — Sess. 14 cap. 2 de ref. — Sess. 6 cap. 1 de ref. — Sess. 25 cap. 14 de ref. — Sess. 24 cap. 1 de ref. matr. — Dein addenda sunt suspensio et interdictum speciali modo R. Pontifici reservata contra Episcopos, qui delictum, quod hic pag. 229 not. [2]) refertur, commiserint.

quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore hucusque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus er derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV, cap. VI de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Literas atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes ratas et firmas ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et Delegatos,

etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore, quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus Octobris, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

Elenchus communiorum casuum Episcopalium.

I. Excommunicationes Episcopis reservatae.

(Cfr. etiam supra pag. 234.)

II. Peccata Episcopis reservata.

Casuum episcopalium duo sunt genera. Quidam reservantur Episcopis propria, activa et ordinaria potestate et voluntate; quidam aliena et extraordinaria. *Prioris generis sunt,* quos *ipsi* reservant pro circumstantiis locorum, temporum, subditorum, et quos exprimunt in synodalibus decretis, litteris approbatoriis aut pastoralibus. *Posterioris generis sunt,* qui statuuntur ab altiori potestate, quorum absolutionem tamen Episcopis concedit vel reservat altior potestas (vide supra pag. 234). Huiusmodi generis insuper sunt ordinarii casus papales occulti, qui ex pag. 239 absolvi possunt ab Episcopis. Neque vero eo ipso, quo casus aliquis alias pontificius devolvitur ad Episcopos, potest quilibet confessarius sine speciali commissione ab eodem casu absolvere.

Plerumque de iure particulari Episcopis reservantur *ordinarie sine censura* et *aliquando cum censura* nonnulli ex sequentibus casibus:

I. Adulterium publicum. II. Bestialitas. III. Concubinatus. IV. Crimen incendiariorum. V. Crimen laesae maiestatis. VI. Divinatio. VII. Falsificatio instrumenti publici. VIII. Fornicatio etc. a clericis patrata. IX. Homicidium voluntarium. X. Incantatio. XI. Incestus, praesertim in primo et secundo gradu. XII. Infanticidium propriae prolis. XIII. Iurium ecclesiasticorum defraudatio. XIV. Legatorum piorum impeditio aut suppressio. XV. Machinatio in vitam coniugis. XVI. Percussio parentum. XVII. Periurium in iudicio. XVIII. Procuratio

abortus foetus etiam non animati. XIX. Raptus. XX. Sacrilegium in materia furti. XXI. Sodomia. XXII. Sortilegium. XXIII. Stuprum violentum. XXIV. Superstitio cum abusu rei sacrae. XXV. Veneficium.

Quinam ex supra positis casibus in sua dioecesi sint reservati, et utrum forte aliae insuper reservationes exsistant, quisque videat in libello censurarum et peccatorum reservatorum singulis dioecesibus proprio.

IV. Formae absolutionis a peccatis et censuris.

1. Forma absolutionis. (Ex Rit. Romano.)

1. *(Confessarius) cum poenitentem absolvere voluerit, iniuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit:*

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.

2. *Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit:*

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

3. *Si poenitens sit laicus, omittitur verbum* suspensionis.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.

4. *In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus omitti potest* Misereatur *etc. et satis erit dicere:* Dominus noster Jesus Christus *etc. ut supra usque ad illud:* Passio Domini [1]) *etc.*

5. *Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit:*

Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

2. Forma absolutionis ab excommunicatione in foro exteriori.

(Ex Rit. Romano.)

1. Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato certa forma sit praescripta, illa omnino servanda est: si vero in mandato seu commissione dicitur: *In forma Ecclesiae consueta absolvat;* haec servanda sunt:

2. Primo, ut excommunicatus ei, ob cuius offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praebeat, aut saltem, si eam praestare non potest, iuret se, ut primum poterit, satisfacturum.

3. Secundo, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, iuramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiae, quae illi fient pro tali causa: ac praecipue ne deinceps delinquat contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo censuram incurrit.

4. *Denique hunc absolvendi ritum* [2]) *observabit: Poenitentem coram se utroque genu flexo, in humero (si vir fuerit) usque ad camisiam exclusive*

---

[1]) Etiam *exclusive*, si ita expedire putetur.

[2]) Vide pag. 225.

denudato, virga aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo totum Psalmum Miserere mei, Deus etc., cum Gloria Patri *etc.*

5. *Deinde surgit, et aperto capite dicit* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera etc.

V. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam) Domine. — *R*. Deus meus, sperantem in te.

V. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* in ea).

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

V. Esto ei Domine turris fortitudinis

R. A facie inimici.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram, et hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

6. *Mox sedet, et cooperto capite dicit:*

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius et sanctissimi Domini nostri Papae *(vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis Superioris)* mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi (*vel* incurrisse declaratus es), propter tale factum (*vel* causam etc.); et restituo te communioni et unitati fidelium, et sanctis Sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti.

7. *Quod si sacerdoti nulla sit a Superiore praescripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiae communi, vel consueta absolvat; tunc nihilominus pro rei gravitate praedictam caeremoniam*

et preces adhibeat; at vero si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius, et sanctissimi Domini nostri Papae *(si a Papa fuerit delegatus)*, *(vel* Reverendissimi Episcopi *N., vel talis* Superioris) mihi concessa absolvo te, *etc. ut supra.*

3. Forma absolutionis ab excommunicatione in foro interiori.

(Ex Rit. Romano.)

In foro autem interiori, confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat iuxta formam communem supra (pag. 242) praescriptam in absolutione sacramentali.

4. De modo absolvendi a suspensione, vel ab interdicto extra vel intra sacramentalem confessionem.

(Ex Rit. Romano.)

1. *Si sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione, vel interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac formula:*

Poenitens dicat: Confiteor Deo, *etc.* *Sacerdos:* Misereatur tui, etc. Indulgentiam etc.

Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolvo te a vinculo suspensionis (*vel* interdicti), quam (*vel* quod) propter tale factum (*vel* causam) incurristi (*seu* incurrisse declaratus es), in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

5. Forma dispensationis super irregularitate.

(Ex Rit. Romano.)

Si confessario, sive in foro conscientiae, sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate,

tunc, postquam absolverit a peccatis, addat consequenter:

Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate (*vel* irregularitatibus, *si sunt plures)* in quam (*vel* in quas) ob talem causam (*vel* tales causas, *eas exprimendo)* incurristi: et habilem reddo, et restituo te exsecutioni ordinum, et officiorum tuorum, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Si nullum habet ordinem, dicatur: Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos *(vel etiam ad alia, iuxta tenorem mandati).*

Quodsi necesse sit, titulum beneficii restituere, et fructus male perceptos condonare, subiungat:

Et restituo tibi titulum (*seu* titulos) beneficii (*seu* beneficiorum), et condono tibi fructus male perceptos, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Advertat autem sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suae terminos excedat.

V. Formae commutationis et dispensationis votorum et impedimentorum Matrimonii.

Praenotanda: 1. Commutatio votorum saepe fieri *debet* in Confessione: quare quilibet attendat suas facultates.

2. Quoad dispensationes votorum et impedimentorum Matrimonii sufficit quidem utcumque indicare voluntatem praesentem, quia nulla forma praescripta est. Pro maiore tamen confessariorum commodo ex *P. Navar. Manuduct. ad praxim exsecutionis litterarum sacrae Poenitentiariae* (edit. Leodien. 1733), ex *Monacelli* Formulario legali practico parte I pag. 260 sqs. (edit. III, Rom. 1844) et aliis probatis auctoribus adiicienda visa sunt, quibus confessarius, *si facultatem circa illa vota, impedimenta etc. obtinuerit,* uti possit.

1. Forma dilationis simplicis voti ingrediendae religionis

(pro iis qui votum nondum bene possunt implere).

Post consuetam absolutionem sacramentalem a censuris et peccatis subiungat confessarius:

Insuper tibi dilationem ad implendum votum religionis, quod emisisti, concedo, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Passio Domini nostri etc.

2. Forma absolutionis a transgressione simplicis voti ingrediendae religionis

(pro eo qui cum tali voto matrimonium alioquin legitime contraxit et consummavit). *Dicatur post absolut. sacr.*

Deinde te, non obstante voto religionis, quod alias emisisti, in Matrimonio remanere et debitum coniugale exigere (et reddere) posse declaro, in nomine Patris †, etc.

Passio Domini nostri etc.

3. Forma absolutionis a transgressione voti castitatis

(pro iis, qui similiter cum *hoc* voto matrimonium inierunt). *Adiungat confessarius:*

Item te, non obstante voto castitatis, quod emisisti et transgressus es, in dicto Matrimonio remanere et debitum coniugale reddere posse et debere declaro et ut idem debitum etiam exigere licite possis, tecum dispenso. In nomine Patris † etc.

Passio Domini nostri etc.

4. Forma commutationis voti simplicis religionis.

Absolutioni consuetae confessarius subiungat:

Et auctoritate Apostolica[1]) mihi specialiter dele-

---

[1]) Vel *Archiepiscopali*, vel *Episcopali;* prout facultas dispensandi obtenta est a sacra Poenitentiaria, vel ab Ordinario; quod valet etiam de sequentibus formulis.

gata, ego tibi votum religionis, quod emisisti, in opera pietatis, quae tibi praescripsi, [1]) *ad effectum licite contrahendi Matrimonium* (vel: *ad effectum remanendi in saeculo in vita caelibe*, vel: *absolute*, prout pro diversa causa facultas data sit) dispensando commuto. In nomine Patris † etc.

Passio Domini nostri etc.

5. Forma commutationis voti castitatis.

Et auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi votum castitatis, quod emisisti, *ad effectum, ut matrimonium contrahere et debitum coniugale reddere et exigere tibi liceat* (vel ut supra in n. 4), in opera tibi praescripta dispensando commuto. In nomine Patris † etc.

Passio Domini nostri etc.

6. Forma commutationis voti simplicis castitatis et religionis.

Item auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi vota religionis et castitatis, quae emisisti (ad effectum, ut matrimonium legitime contrahere et in eo debitum coniugale reddere et exigere tibi liceat), in opera pietatis, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris † etc.

Passio Domini nostri etc.

7. Forma commutationis votorum peregrinationis Sedi Apostolicae reservatorum.

Item auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi votum peregrinationis, quod emisisti, in (peregrinationem, eleemosynam, seu alia pietatis)

---

1) Cfr. pag. 204 seqq.

opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris † etc.

Passio Domini nostri etc.

8. Forma dispensandi super impedimento occulto affinitatis proveniente ex copula illicita ad contrahendum.

Similiter post absolutionem a censuris et peccatis in forma solita addatur:

Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento *primi* (seu *secundi*, seu *primi et secundi*, seu *secundi) gradus affinitatis,* ex copula illicita a te habita cum matre (vel sorore etc.) mulieris, quacum contrahere intendis, proveniente; ut ea non obstante Matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare ac in eo remanere possis et valeas. In nomine Patris † etc.

Insuper eadem auctoritate prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris † etc.

Passio Domini nostri etc.

9. Forma dispensationis super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita proveniente ad remanendum.

Item: Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus, ex copula illicita, quam cum matre (vel sorore) tuae putatae coniugis antea habuisti, ut illo non obstante (renovato consensu cum praefata coniuge),[1]) Matrimonium cum illa contrahere, consummare et in eo remanere licite valeas et possis. In nomine Patris † etc.

---

[1]) De quo cfr. infra *de Matrimonio.*

Et pariter eadem auctoritate prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fore decerno et declaro. In nomine Patris † etc.

Passio Domini nostri etc.

10.[1]) Forma dispensationis eorum, qui petentes dispensationes a Dataria super impedimento publico, tacuerunt impedimentum occultum — ad contrahendum.

Insuper auctoritate Apostolica . . . mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa copula, quam cum tua consanguinea (seu affine) habuisti, proveniente, ut praefato impedimento non obstante, Matrimonium cum illa ad formam litterarum dispensationis, quam a Sede Apostolica obtinuisti, contrahere licite possis et valeas. In nomine Patris † etc.

11. Forma absolutionis et dispensationis eorum, qui vigore dispensationis a Dataria obreptitie vel subreptitie obtentae super publico impedimento, Matrimonium invalide contraxerunt.

Insuper auctoritate Apostolica . . . mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa cognitione[2]) in litteris dispensationis, cuius vigore contraxisti, non expressa, proveniente, ut denuo Matrimonium cum illa contrahere renovato consensu [de quo vide *infra de Matr.*], et consummare ac in eo remanere licite possis ac valeas. In nomine Patris † etc.

---

[1]) Quae in formulis 10 et 11 exprimuntur, pro dispensationibus post 25. Junii 1885 datis iam obiecto carent: quare abhinc fere eae tantum causae occultae separatim a causis publicis declarandae occurrent, pro quibus exemplar dispensatione habes hic in n. 8 et 9.

[2]) Vel nominetur alia causa, ob quam reticitam prior dispensatio invalida erat

Pariter eadem auctoritate prolem, si quam susceperis et suscepturus sis, legitimam esse et fore decerno et declaro. In nomine Patris † etc.

12. Forma dispensationis pro consanguineis vel affinibus, qui, ignorantes gradum prohibitum, Matrimonium contraxerant, publicationibus in ecclesia factis

(si res secretum postulat).

Insuper auctoritate Apostolica . . . mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento tertii gradus affinitatis, ut illo non obstante cum putata coniuge, praevia renovatione prioris consensus, Matrimonium secrete inter te et ipsam contrahere et consummare ac debitum coniugale exigere et reddere possis. In nomine Patris † etc.

Et pariter eadem auctoritate prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam, legitimam esse et fore decerno et declaro. In nomine Patris † etc.

13. Forma dispensandi cum iis, qui, praecedente adulterio et fide data, Matrimonium contrahere desiderant.

Insuper auctoritate Apostolica . . . mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio et fide data proveniente, ut illo non obstante cum muliere tecum rea Matrimonium publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere et consummare, debitumque coniugale exigere et reddere possis. In nomine Patris † etc.

Pariter eadem auctoritate prolem susceptam (non tamen in adulterio conceptam) et suscipiendam legitimam fore pronuntio et declaro. In nomine Patris † etc.

14. Forma dispensandi cum iis, qui cum occulto impedimento criminis Matrimonium contraxerunt.

Et insuper auctoritate Apostolica . . . mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento

criminis, ex adulterio et fide data proveniente, ut illo non obstante Matrimonium cum tua putata coniuge contrahere, consummare ac debitum coniugale exigere et reddere valeas. In nomine Patris † etc.

Pariter eadem auctoritate prolem, si quam susceperis (non tamen ex adulterio conceptam) et quam suscepturus es, legitimam esse et fore decerno et declaro in nomine Patris † etc.

15. Forma dispensationis in radice.

Item: Ego potestate Apostolica mihi specialiter et expresse demandata, Matrimonium a te N. N. cum N. N. in consensu adhuc permanente nulliter contractum, in radice eius sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro in nomine Patris † etc.

Passio Domini etc.

16. Modus restituendi ius petendi debitum.

a) Si amissum fuit per affinitatem ex copula illicita.

Item: Et insuper auctoritate Apostolica . . . mihi specialiter delegata, dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua uxore ex illicita copula a te habita cum eius sorore (vel matre), debitum coniugale a tua uxore etiam petere licite possis et valeas. In nomine Patris † etc.

b) Si amissum fuit per votum castitatis.

Item auctoritate Apostolica . . . mihi specialiter delegata, ut, voto castitatis, quod emisisti, ad hunc effectum suspenso, debitum coniugale licite exigere possis, tecum dispenso. In nomine Patris † etc.

VI. Norma confessionis generalis per interrogationes instituendae.

Prius dicat poenitens, quae scit, nisi praeferat statim interrogari. Ante omnia interrogandum, sitne poenitens Matrimonio iunctus, annon, quo munere fungatur, quot annos natus, num semper christiane vixerit; praecipue ex qua causa instituere velit confessionem generalem.[1])

I. praec. An contra fidem voluntarie dubitasti? dubia aliis communicasti? Aliter contra fidem egisti, locutus es? coram pluribus vel quot? eosne seduxisti? Contra religionem et sacerdotes locutus es? Aliorum sermones audivisti, approbasti, promovisti? Pravos libros et ephemerides (contra fidem, an mores?) emisti, legisti, aliis legenda dedisti vel permisisti?

An unquam desperasti de salute et divina misericordia? . . . Praesumens de divina misericordia peccasti? in peccatis perseverare proposuisti?

An superstitionem exercuisti? sortilegos adiisti? serio? (magnetismus? tabulae rotantes . . .) — Sacris rebus abusus es, vel irreverenter eas tractasti? Sacramenta indigne suscepisti? (. . . etiam extr. unctionem, matrim., confirm.)

II. Blasphema verba protulisti? (etiam mente blasphema?) — maledicta in alios congessisti? verba sacra cum ira in Deum dixisti? Contra Deum divinasque ordinationes iratus vel non contentus fuisti? idque manifestasti? Falsone iurasti? aut cum dubio periculove peierandi? (consuetudo?)

---

[1]) Loco Interrogatorii, quod priores editiones huius *Manualis* exhibent, inserui illud, quod in mea *Theologia morali II n. 351* dedi, hac sola mutatione, quod interrogationes de VI. praecepto suo ordine inter praecepta decalogi transtuli. *Editor.*

in iudicio, et cum alieno damno? — Fecistine aliquod votum, quod non impleveris?

III. Diebus dominicis et festis semper totum Sacrum audisti? In ecclesia scandalose non egisti? Sine necessitate serviles labores exercuisti (diu? coram aliis?) — Expendantur et explicentur causae excusantes.

IV. Parentes suntne superstites? Graviterne eos offendisti? inobedientia vel frequenti vel in rebus gravibus? (contra eorum praeceptum familiaritatem cum altero sexu fovisti, periculosa consortia adiisti?) ex animo eos contempsisti? cum contemptu iis respondisti? ad gravem moerorem commovisti? iniuriosis et asperis verbis eos allocutus es? iis maledixisti idque serio vel ipsis audientibus? . . . eorumne te puduit? curam eorum in necessitatibus habuisti? ultimam eorum voluntatem implevisti?

In famulatu hero fidelitatem servasti? non contemptim et asperis verbis eum gravi iniuria affecisti? secreta non revelasti? famam apud vicinos non laesisti? An in rebus prohibitis obedivisti? In domo aliis, praesertim liberis, scandalo non fuisti? — (Similiter interroga de aliis Superioribus, num offensi fuerint, et quare) — (Ipsos heros vel Superiores vero): Curam famulorum egisti? malos famulos expulisti — vel si forte sat gravis causa eos retinendi fuit, cohibuisti et innoxios reddidisti? nihil mali eis permisisti? eos ad officia religionis implenda induxisti?

(Parentes ipsi interrogandi): filiis providisti? correxisti et punivisti, cum prudentia tamen et sine ira? pueros non una dormire permisisti cum puellis? Scivistine semper, ubi et cum quibus conversarentur? Eos in religione et oratione ad Deum et Mariam instituisti? heris vel scholis pravis non commisisti? Adultis non permisisti familiaritatem

periculosam cum diverso sexu? si matrimonium intendunt, non solum cum sola esse permisisti? Nunquam coram liberis liberius locutus es? in nulla re scandalo eis fuisti? Cum coniuge pacifice? etc. . . .

V. Nunquam ira te abripi sivisti? Maledicta protulisti? Mala optasti proximo? ex animo? gravia? De aliorum malis gavisus es? Invidiam fovisti? Malum intulisti, aut inferre inferrive voluisti? Rixa? Ebrietatem incurristi? plenam? in eo statu mala perpetrasti, aut facere consuevisti? officia tua et familiae curam propterea neglexisti? (Occasio, consuetudo!)

VI. Contra sanctam puritatem acciditne aliquid? — In iuventute forte seductus (cta) es? — qua aetate? tactus, an peiora? cum puellis an pueris? tecum ipso? (sequelaene aderant, vel: tibine satisfecisti, vel: pollutio? in feminis, nisi ipsae clarius rem exprimant, saepe sufficit: „valdene excitata eras?“)

[NB. Postquam confessarius in genere cognoverit, usque ad impura facta perventum esse, interroget prius de actionibus, dein de sermonibus, tum de cogitationibus, et cogitationes et sermones resumens de desideriis.] Igitur: Postea acciderunt etiam peiora? Cum altero sexu? Peccatum completum? evasitne praegnans? . . . (Si negatur: scisne, unde id acciderit? an erat tale peccatum, ut praegnans evadere posset? — alioqui de onanismo[1]) vel abortu, sed caute.) Quoties alias tacti-

1) Ex declaratione S. Poenitentiariae d. d. 13. Nov. 1816 et 1. Febr. 1823 uxor viri onanistae, si post debitas admonitiones nihil proficiat virque instet minando verbera, mortem aut alia gravissima mala, vel si male habenda sit a viro suo et grave inde incommodum sibi timere possit, si debitum neget, potest citra peccatum permissive se

bus peccasti (obscoenis? maxime si negatur: vel ex prava intentione, vel cum voluptate? an sine prava intentione et superficie tenus tantum in superiore corporis parte supra vestes?), amplexibus et osculis? (cum mora et ardore, vel cum prava voluptate?) Cum eadem persona semper? etiam cum persona cognata, matrimonio (voto) obstricta? Estne in eadem domo tecum, an saepe visitasti? vis eam matrimonio tibi iungere? Accideruntne alia tecum, si solus eras? tactus an peiora? tunc etiam alia desideria? An aliud quid accidit? cum sodalibus pravis conversatus es? . . . (ut explicetur, si quid actum est cum eodem sexu). Etiam postea de male gestis gavisus es eaque approbasti? — *Aspectus* inhonesti?

Alias etiam inhoneste locutus es? *sermones* miscebas? (de altero sexu?) an unum alterumve verbum tantum? idque *valde* obscoenum? sermones pravos ex prava libidine et intentione seducendi, coram quot? (Si poenitens est matrimonio iunctus: coram personis solutis? si negat: erantne valde obscoeni, vel ex prava intentione?)

Quoties alias pravam cogitationem fovisti voluntarie (cum pravis motibus vel libidine, de altero sexu? . . .) — Quoties inter sermones et cogitationes processisti ad desideria? cuius rei? in quasnam personas? cognatas, matrimonio iunctas? . . .

(Si poenitens matrimonio iunctus est:) Etiam post matrimonium aliquid accidit? . . . prava de-

habere; imo S. Lig. illam *causam gravem*, ex qua mulier possit crimen viri permittere, etiam mitius intelligit. Quapropter mulier non est perturbanda, modo ipsa ne consentiat, sed potius, quantum data occasione potest, virum a crimine avertere conetur, neve alio modo, v. g. interposito instrumento, generatio impediatur, sed vir tantum citius se retrahat.

sideria in alienas personas? . . . in matrimonio christiano more vixisti? (contra finem matrimonii? sed non semper interrogandum) si uxor est: virone obsecundas? (debitum coniugale non negasti?)

An nunc omnia peccata contra sanctam puritatem dixisti? Cogita, num quid te remordeat. Fortasse non amplius poteris confessionem generalem denuo instituere.

VII. Proximum in re nulla laesisti? in emendo et vendendo. (Damnum, furtum? Num restituisti? cur nondum? . . .)

VIII. In re gravi mentitus es, cum damno alieno? Aliis detraxisti (quod narraveras, eratne falsum an verum? ignotum an notum?) coram pluribus? Aliorum sermones diffamantes approbasti auscultando et promovisti? . . . Secutane sunt alia damna? (Restitutio famae etc., et causae excusantes.) Temeraria iudicia gravia voluntarie fovisti? cum aliis communicasti?

Praecepta Ecclesiae. Jeiunia ecclesiastica servasti? (Cur non? . . . edoceantur —) abstinentiam a cibis vetitis (carnes, carnes et pisces simul?) — (De Communione paschali et annua confessione fere aliunde constabit.)

Quaedam de vitiis capital. et peccatis alienis. Valde superbe cum aliis egisti? Pauperes dure et aspere repulisti? (Beati misericordes! . . .) Avarus divitiis inhiasti vel anxie possedisti? — De peccatis te iactasti? de quibus? — Aliis peccata suasisti? laudasti? mandasti? quum facile posses, non impedivisti?

Spectacula, choreae etc.? Ornatus muliebris inhonestus? ex prava intentione? aliave industria alios pelliciendi?

Obligationes status? . . . Cogita paululum, num aliud quid habeas, quod conscientiam mordeat? Fortasse ultima confessio erit. Dein seria exhor-

tatione et subiectis motivis poenitens ad contritionem peccatorum inducatur et propositum cavendi abhinc ab omni peccato saltem mortali.

De SS. Eucharistiae Sacramento.[1])

(Ex Rituali Romano.)

1. Omnibus quidem Ecclesiae catholicae Sacramentis religiose, sancteque tractandis, magna ac diligens cura adhibenda est: sed praecipue in administrando ac suscipiendo sanctissimae Eucharistiae Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons auctorque, Christus Dominus.

2. Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, et administret, tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque [2]) suscipiat, praesertim in maioribus anni solemnitatibus.

---

1) Cfr. *Zuccherii,* Decisiones Patavinae de vener. Euch. Sacramento. Patavii 1721.

2) De frequenti aut quotidiana Communione vide *Decretum S. C. C. d. d. 12. Febr. 1679,* approbatum ab Innocentio PP. XI.: Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 7 cap. 12 n. 6—9;* Scaramelli *Directorium* asceticum cap. X § 6; S. Alph. lib. 6 n. 254 et *Praxis confessarii* cap. 9 n. 149—155 et *Defensio Communionis frequentis* cum Appendice brevi ad istam Defensionem (quae duo ultima S. Liguorii opuscula in editione Ratisbonensi a. 1864 habentur in tomulo, qui inscriptus est, „Der Katechet"). — De Communione puerorum Conc. prov. a. 1860 hoc salutare tulit decretum: „Consuetudo salutaris in multis locis observata, qua per duos vel tres post pri-

3. Ideo populum saepius admonebit, qua praeparatione, et quanta animi religione ac pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accedere: ut praemissa sacramentali Confessione, omnes saltem a media nocte ieiuni,[1]) et utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viris quantum fieri potest a mulieribus separatis.

4. Moneantur praeterea communicantes, ut sumpto Sacramento non statim ab ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut exspuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant: sed, qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione Dominica, in cuius memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur.

5. Curare porro debet, ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium Communioni satis[2]) esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia,[3]) eaque munda, et suo operculo bene clausa,

---

mam Communionem annos singulis, si fieri potest, vel alternis mensibus ad sacram synaxim recipiendam omnes congregantur, ubi viget, retinenda, ubi desideratur, introducenda est." *(Conc. prov. Colon. 1860, pag. 133.)*

[1]) Nonnisi a ieiunis, quoties non tamquam viaticum administratur, sanctissimum hoc Sacramentum sumi potest norintque sacerdotes, nonnisi penes Summum Pontificem ius esse dispensandi in lege universali et sanctissime servanda. *(Conc. prov. Colon. 1860, pag. 111)*

[2]) Servetur consuetudo dividendi consecratas particulas, si adsit necessitas. *(S. R. C. D. auth. n. 2704 ad 1)*

[3]) S. R. C. interrogata „An permitti possit ciborium seu pyxis, monstrantia et lunula ex cupro deaurato", die 31. Aug. 1867 *(D. auth. n. 3162 ad VI)* respondit: Affirmative.

albo velo cooperta, et quantum res feret, ornato in tabernaculo clave obserato.[1])

6. Hoc autem tabernaculum conopeo,[2]) decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum[3]), in altari maiori, vel in alio,[4]) quod venerationi et cultui

---

1) Parocho per se privative est ius retinendi clavem tabernaculi, in quo reconditur SS. Sacramentum. *(S. R. C. 14. Nov. 1693.)* — Praestat, ut duae sint, ut, una forte amissa, ad manum habeatur altera. *(Acta et Decreta Synodi Dioecesanae Quinque Ecclesiensis anno 1863 celebratae, p. 17.)*

2) I. e. velo ad instar tentorii. — Hoc conopeum potest confici ex panno, sive gossipio, sive lana, sive cannabe contexto; potest esse vel coloris albi vel eiusdem coloris, cuius sunt pallium altaris et cetera paramenta pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colorem violaceum in exsequiis defunctorum. *(S. R. C. D. auth. n. 3035 ad 10.)*

3) Vasa sacrorum oleorum, vel reliquiae, vel aliud in tabernaculo non debent asservari *(S. Congr. Episc. 3. Maii 1693).* — An toleranda vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi sacras reliquias pictasque imagines tabernaculo, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat, S. R. C. D. auth. n. 2613 ad 6 decreto gener. respondit: assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandum omnino esse; quod Pius VII. confirmavit atque typis evulgari mandavit. — An ante ostiolum tabernaculi SS. Sacramenti retineri possit vas florum, vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum, imagine Domini nostri in eodem insculpta? *S. R C. D. auth. n. 2067 ad 10* resp. negative; posse tamen in humiliori et decentiori loco. — Non est necessarium, interiora tabernaculorum panno serico albo contegere, si intus habetur auratura *(S. R. C. D. auth. n. 3254 ad VII);* alias requiritur *(D. auth. n. 4035 ad IV).*

4) Sed in uno tantum altari designando ab Episcopo. *(S. R. C. D. auth. n. 1946 ad 3.)* — Ferri nequit consuetudo asservandi SS. in pluribus altaribus, illudque ratione festivitatis transferendi ad aliud altare *(S. R. C. D. auth.*

tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum, ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel saltem una die noctuque [1]) perpetuo colluceat; curabitque parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra mundaque sint, et conserventur.

7. Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit. [2]) Hostiae vero, seu particulae conse-

---

n. 3104 ad XIII). — Si SS. Sacramentum in ecclesia cathedrali vel collegiata in altari maiori asservari nequeat, non custodiatur in altari amovibili, sito in medio ecclesiae, sed collocetur in aliquo decenti sacello, quod non sit e conspectu chori *(S. R. C. D. auth. n. 2903):* ergo in altari fixo laterali.

[1]) „Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum esse prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetabilibus,“ decrevit S. R. C. *D. auth. n. 3121;* quod die 14. Julii Pius IX. confirmavit. — „Minime adhiberi posse (sc. pro libitu) petroleum vel aliud oleum ex vegetabilibus ad illuminandam ecclesiam, sed in casu tantum necessitatis ex prudentia Ordinariorum“ (S. R. C. 20. Martii 1869): quod intellige de lumine *ad cultum* serviente (S. R. C. *D. auth. n. 3859).* — Lampadem praecavendi humoris causa licet velo cooperiri *(S. R. C. 16. Sept. 1865 D. auth. n. 3137 ad II).*

[2]) Hanc *frequentem* renovationem *Caeremoniale Epp. lib. I c. 6 n. 2* vult fieri saltem semel in hebdomada. Interrogata, an stricte et rigorose obliget haec rubrica *Caeremonialis Episcoporum,* S. R. C. respondit „Affirmative“. S. C. Episc. die 5. April. 1573 decreverat, renovationem SS. Sacramenti fieri debere qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies, et S. R. C. 3. September 1672 responderat: „In renovatione, quae quolibet octavo die fieri debet de augustissimo Eucharistiae Sacramento, consumi debet tum hostia, tum etiam particulae, quae exsistunt in tabernaculo, post sumptionem S. Sanguinis ante purificationem.“

crandae sint recentes, [1]) et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat, vel sumat. [2])

8. Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames: ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii eius generis pu-

---

Ita ex antiquo Ecclesiae usu, de quo cfr. *Martène* „de antiquis Ecclesiae ritibus“ l. 1 c. 5 art. 3 n. 9. Quamquam, si loci et temporis conditiones omne periculum initii corruptionis inducendi excludunt, dilatio ad quindecim dies toleratur. Qui vero ultra mensem renovationem differunt (ex mente Romsée tom. 1 p. 2 art. 13) non videntur esse immunes a periculo gravis irreverentiae erga tantum Sacramentum, maxime quando tempus est humidum. Nemo etiam putet, se hic consuetudine contraria excusari posse; nam S. R. C. D. auth. n. 2650 ad I, 1 et 2 similes consuetudines, quae sunt contra reverentiam SS. Sacramento debitam, plane reprobat, utpote detestabiles corruptelas. (Cf. plures synodos recentiores, v. g. *Syn. dioec. Quinque eccles. a. 1863. Syn. dioec. Paderborn. a. 1863 p. I c. 24 n. 2.)*

1) Optandum est, ne excedant quindecim dies, vel si diligenter conservantur, summum sit mensis a tempore, quo confectae sint. Incuria parochorum et aliorum hac in re grave peccatum constituere potest (ait Gardellini tom. III append. I pag. 7). Quodsi huiusmodi abusum tolerare videatur parochus, eius vicarii aut alii sacerdotes in eadem ecclesia inservientes istis hostiis uti nequeunt *(S. R. C. 16. Dec. 1826 l. c.* Cfr. *Gury n. 315. II).*

2) Novas consecratas hostias nunquam cum veteribus miscere licet; nec licet veteres conservatas species superimponere noviter consecratis, sed in alia pyxide vel vase sunt conservandae, nisi prius distribui, vel a sacerdote in Missa sumi possunt. (Sequitur ex decreto *S. R. C. 3. Sept. 1672).*

blici peccatores,[1]) nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint.

9. Occultos[2]) vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.

10. Amentibus praeterea seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.

11. Iis etiam, qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius Sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet.

Ordo ministrandi sacram Communionem.

a) Extra Missam. (Ex Rit. Rom.)

1. *Sacerdos*[3]) *sanctissimam Eucharistiam ministraturus, hostiis seu particulis pro populi multitudine consecratis, vasculoque uno vel pluribus, decenti et commodo loco expositis, cum vino et aqua ad purificationem eorum, qui Communionem sumpserint, et ante eos linteo mundo extenso, lotis prius*

---

[1]) Manifesti peccatores ii censentur, „quorum peccata noscuntur aut per iudicis sententiam, aut propriam confessionem in iudicio factam, aut per evidentiam facti, quae nulla possit tergiversatione celari." (S. Thom. part. III, qu. 80, art. 6; *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 1, cap. 11, n. 8.)* Cfr. Köln. Pastoralbl. 1868 n. 6.

[2]) *Bened. XIV. de Syn dioec. lib. 7 cap. 11 n. 2—7.*

[3]) Diaconus in ordine tantum diaconatus constitutus extra casum necessitatis non potest distribuere fidelibus Communionem *(S. R. C. D. auth. n. 2504).* — Regulares SS. Eucharistiam in suis ecclesiis ministrare possunt, excepto tamen per se die paschatis.

manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris officio illius diei convenientis,[1] *praecedente clerico seu alio ministro, procedit*[2] *ad altare manibus iunctis et accensis cereis, facta prius et postea genuflexione, extrahit pyxidem, et illam super corporale depositam discooperit. Minister genibus flexis, nomine populi, ad cornu Epistolae facit confessionem generalem dicens:* Confiteor Deo etc.

2. *Tum sacerdos iterum genuflectit, et manibus iunctis ante pectus vertit se ad populum (advertens, ne terga vertat Sacramento) et in cornu Evangelii dicit:*

Misereatur vestri[3] omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.

R. Amen. *Et addit:* Indulgentiam, absolutionem †, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.

R. Amen.

Dicens: Indulgentiam, etc. *manu dextera in formam crucis signat communicandos.*

3. *Deinde ad altare se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem prehendit; et duobus digitis pollice*

---

[1]) De colore stolae pro administranda SS. Eucharistia extra Missam decr. *in D. auth. n. 2740 ad 12* nunc sic exhibetur: „An stola pro ministranda SS. Eucharistia extra Missam esse debeat coloris officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel etiam esse possit alba, prout valde conveniens sacramento Eucharistiae, ceu multi cencent Doctores?" R.: „*Affirmative ad utrumque.*"

[2]) Quotiescumque sacra Communio extra Missam finitam administratur, bursa cum corporali adhibenda est: et haec rubrica non est directiva, vel ad libitum, sed praeceptiva. Decet, ut ipse sacerdos bursam deferat *(S. R. C. 24. Sept. 1842 D. auth. n. 2850 ad 3).*

[3]) Semper dicitur in plurali numero, licet unus esset communicandus *(Gavant. et Baruffaldus i. h. l.).*

et indice Sacramentum accipit, et elevat, conversusque ad populum in medio altaris dicit clara voce [1]) Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. [2]) *Mox subdit*: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea, *quod iterum ac tertio repetit; qua formula etiam utendum est, cum feminae Communio administratur.*

4. *Postea ad communicandum accedit, incipiens ab iis, qui sunt ad partem Epistolae;* [3]) *sed primo, si sacerdotibus, vel aliis ex clero danda sit Communio, iis ad gradus altaris genuflexis praebeatur; vel si commode fieri potest, intra sepimentum altaris sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent.*

5. *Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum,* [4]) *et faciens eum eo signum crucis super pyxidem simul dicit:* Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen. [5])

6. *Ubi vero omnes communicaverit, sacerdos reversus ad altare dicere poterit:* O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria

---

[1]) Oculis in SS. Sacramentum intentis. *(Cav.)*

[2]) Non licet haec dicere idiomato vulgari *(S. R. C. D. auth. n. 2725 ad 5).*

[3]) In Communione monialium habentium fenestrellam in parte Evangelii sacerdos debet descendere et reverti per gradus anteriores, non laterales altaris *(S. R. C. 15. Sept. 1736 Gard. n. 4055 ad 8).*

[4]) Non licet dare plures particulas uni communicanti *(Decr. univers. S. C. C. approb. ab Innoc. XI. 12. Febr. 1679 et promulgatum).*

[5]) Haec verba debent dici intra spatium signi crucis et porrectionis particulae, adeo ut immissa particula in os communicantis finiatur quoque ipsa formula; nec sub pronuntiatione unius formulae communicent duae vel tres personae *(Baruffaldus).*

Passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

V. Panem de coelo praestitisti eis.

Minister respondet: Omne delectamentum in se habentem. *Tempore paschali additur:* Alleluia.

7. *Mox sacerdos dicit: V.* Domine, exaudi orationem meam. — *R.* Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.[1] *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.[2] *R.* Amen.

Tempore paschali dicitur oratio:

Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde; ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

8. *Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhaeserit, illud in pyxidem deponat, et eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, et abstergat purificatorio. Postea genuflectens reponit Sacramentum in tabernaculo, et clave obserat.*[3]

---

[1]) Omnes hi Versiculi dicuntur *(S. R. C. 24. Sept. 1842 Gard. n. 4947 ad 3).*

[2]) In recentioribus editionibus Rit. Romae haec invenitur conclusio.

[3]) A sacerdote redeunte ad altare post fidelium communionem genuflectendum est antequam cooperiat sacram pyxidem, et iterum genuflectendum est, antequam, pyxide in tabernacula reposita, ipsius tabernaculi ostiolum claudat *(S. R. C. D. auth. n. 3116: quod ubique servari mandavit.)*

9. *Deinde*[1]) *extenta manu dextera, benedicit*[2]) *iis, qui communicarunt, dicens:* Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et maneat semper.

R. Amen.

b) Intra Missam. (Ex Rit. Rom.)

1. *Statim post Communionem sacerdotis celebrantis fieri debet*[3]) *(nisi quandoque ex rationabili*

---

1) Elevat et extendit manus, quin osculetur prius altare *(S. R. C. D. auth. n. 2704 ad 6).*

2) Haec benedictio [manu, non vero pyxide *(S. R. C. D. auth. n. 2725 ad 1):* nisi forte sit consuetudo contraria, quam aboleri, populum offendat (S. R. C. n. 3287 15. Febr. 1873)] semper dari debet, etiam exposito SS. Sacramento, quotiescumque S. Communio distribuitur extra Missam, etiamsi fiat immediate ante vel post Missam, nisi, si fiat ante Missam, constet, omnes usque ad finem Missae in ecclesia esse mansuros; neque datur eo casu, quo SS. Communio immediate ante vel post Missam de Requie distribuitur *(S. R. C. 27. Junii 1868 D. auth. n. 3177).*

3) Quaestionem super Communione fidelium in Missis defunctorum cum paramentis nigris iam ab anno 1683 agitatam *S. R. C. 27. Junii 1868 l. c.* generali decreto a Pio IX. 23. Julii confirmato solvit respondendo: „Affirmative, seu posse in Missis defunctorum cum paramentis nigris Sacram Communionem fidelibus ministrari etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse etiam in paramentis nigris ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa immediate quoque ante eandem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2. Novembris Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum, prout cautum est in decreto Sacrae huius Congregationis diei 16. Septembris anni 1801."

causa[1]*) post Missam sit facienda), cum Orationes, quae in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.*

2. *Itaque sacerdos, sumpto sacratissimo Sanguine, antequam se purificet* [facta genuflectione, *Rit. celebr. Miss. tit. 10, n. 6*], *ponit particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi in principio positae fuerint in pyxide; et genuflectit, ministro interim faciente confessionem, ut supra. Postea vertens se ad populum, in cornu Evangelii dicit:* Misereatur vestri, *etc. et eo, quo supra dictum est, modo, porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens a ministris altaris, si velint communicare.*[2]*) Finita Communione, revertitur ad altare, nihil dicens; non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Deinde dicit secreto:* Quod ore sumpsimus *etc. ut in Missali, se purificat, et Missam absolvit.*

c) Immediate ante vel post Missam.

Sacerdos casula et omnibus aliis vestibus sacris indutus, collocato calice ad cornu Evangelii et bursa in loco solita, et explicato corporali, tabernaculum aperit, genuflectit et facit omnia, quae supra *(pag. 263 ad a)* descripta sunt.

Nullo modo licet, sed omnino prohibetur communicare fideles in *nocte Nativitatis Domini* post cantatam primam Missam *(S. R. C. 20. April. 1641*

---

1) E. g. si multi essent communicandi et populus proinde Missam audiens taedio afficeretur *(Man. Eccl. Rom. n. 138)*; immo hodierna consuetudo id ex leviori causa permittit.

2) Quia ratione ministerii, non praeeminentiae, praeferendi intra Missam sunt ceteris, quamvis dignioribus *(S. R. C. D. auth. n. 1074)*. Dum celebrans Communionem administrat, minister debet manere genuflexus in latere Epistolae.

n. 752 cfr. Correspondance de Rome tom. I pag. 22, 144, 377, 385, 499 et Analecta Juris Pontifici, Ser. II pag. 1798); et hoc decretum ligat omnes non habentes privilegium in contrarium *(S. R. C. 23. Martii 1686 n. 1761)*; nec in die Parasceves; neque in Missa Sabbati sancti, nisi adsit consuetudo *(S. R. C. 23. Sept. 1837 Gard. n. 4815 ad II, Correspondance de Rome tom. I pag. 23 et 223)*; expleta vero Missa possunt fideles cum particulis praeconsecratis communicari in Sabbato Sancto.

d) De Communione infirmorum.

(Ex Rituali Romano.)

1. Viaticum sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio ac diligentia aegrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono, parochi incuria, privatos decedere. [1]) Cavendum autem in primis est, ne ad

---

[1]) SS. Viaticum administrandum est pueris mox decessuris, si parochi eos compererint tantam assecutos iudicii maturitatem, ut cibum istum caelestem et supernum a communi et materiali discernant; haud enim leviter delinquere credimus, qui pueros etiam duodennes et perspicacis ingenii sinunt ex hac vita migrare sine Viatico hanc unam ob causam, quia scilicet nunquam antea, parochorum certe incuria et oscitantia, Eucharisticum panem degustarunt. . . . Verum Doctores communiter fatentur, tantam non desiderari aetatem, ut quis in mortis articulo puer et possit et debeat sanctissimo Viatico muniri. Quinimmo Suarez expresse docet, omnibus, qui sint doli capaces, positis in vitae discrimine, illud esse ex divino praecepto porrigendum . . . illis scilicet, quos parochi diligenti praemisso examine tanta compererint pollere ingenii perspicacia, ut latentem sub speciebus sacramentalibus Christum et firmiter credant, et reverenter adorent *(Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 7 cap. 12 n. 1 et 3)*.

indignos cum aliorum scandalo deferatur; quales sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati aut denuntiati, nisi sese prius sacra Confessione purgaverint, et publicae offensioni, prout de iure, satisfecerint.

2. Hortetur parochus [1]) infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiam si graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicuius celebritas id suadeat; [2]) neque ipse illam ministrare recusabit.

3. Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile

---

1) Ius habent *regulares* Viaticum (idem dicendum de aliis Sacramentis et de sepultura) dandi non tantum suis professis et novitiis, sed etiam suis famulis, dummodo ii famuli actu inserviant, intra septa monasterii degant, et sub regularium obedientia (non quidem religiosa, sed domestica) vivant *(S. C. C. Junii 1587* et *25. Jan. 1738* et *Bizarri*, Collectanea pag. 618). Ad parochum vero spectat, ministrare Sacramenta famulis et famulabus *monialium,* quamvis exemptarum *(S. C. C. 19. April. 1691).*

2) Fideles habitualiter infirmi chronici ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes ex indulto S. D. N. Pii PP. IX. acquirere possunt omnes et singulas indulgentias plenarias iam concessas vel in posterum concedendas, quas alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit Communio et visitatio alicuius ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario iniungenda fideliter adimpleant *(Decretum Urbis et Orbis 18. Sept. 1862; Decr. Ind. auth. n. 393).* Quod quidem non valebat pro iis, qui in Communitate morantur: postea vero Leo XIII. de 16. Jan. 1886 hoc etiam ad illos extendit, *si* vere fuerint impediti.

est, quod eam amplius sumere non poterit. Quodsi aeger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, eius pio desiderio parochus non deerit. [1])

4. Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non ieiunis; id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest. Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine [2]) communicant, danda est Eucharistia

---

[1]) Utrum et quoties S. Communio dari possit his aegrotis non ieiunis, vide infra pag. 278.

[2]) Quid si infirmi morbus sit diuturnus, nec tamen periculosus, darine potest ei SS. Communio etiam non ieiuno, si sine cibo aut potu manere omnino non potest?

Respondeo fere cum Scavini (tom. III n. 286): in hoc singulari casu conveniunt, non licere, si frequentius fieret per annum; tum quia esset contra praxim et piorum sensum; tum quia illusorium tunc redderetur Ecclesiae praeceptum de ieiunio servando. Num autem id liceat in Paschate ad praecepto satisfaciendum, non vero, si ex devotione fiat alii aliter sentiunt: Alii absolute negant etiam pro Paschate Communionem dari posse, cum lex ieiunii strictissima sit ad Sacramenti reverentiam inducta, et hoc ideo magis, quia communiter auctores quoad infirmos ab ea lege excludunt tantummodo casum morbi periculosi; neque obstare dicunt praeceptum Paschatis adimplendi quod quando non possit consuli reverentiae Sacramenti, putant cessare. — Alii in Paschate seu pro Communione paschali permittunt non ieiuno communicare, nisi summo mane S. Eucharistia ieiuno possit afferri; alias putant legem S. Communionis *annuae*, utpote quodammodo divinam, praevalere. Quae sententia probabilis est. Expedit tamen petere dispensationem, quo liberius et saepius S. Communio non ieiuno possit administrari: quam dispensationem

ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet.

5. Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cuiusvis rei praetextu ad ostendendum non deferatur.

6. Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu,[1]) superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus, cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente.

7. Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum, aliquod campanae ictibus iubeat convocari parochianos, seu confraternitatem[2]) sanctissimi Sacramenti (ubi fuerit instituta), seu alios pios Christifideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis seu intorticiis comitentur, et umbellam seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant. Praemoneat, ut aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in quo sanctissimum Sacramentum decenter deponatur.

8. Parentur luminaria, ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua. Praeterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cuiusque facultate.

9. Ubi vero convenerint, qui Eucharitiam, comi-

S. Pontifex seu S. Congregatio iam non ita difficulter concedit iis, qui ieiuni manere non possunt.

1) I. e. superpelliceo et stola uti debet sacerdos. Cfr. quae supra pag. 130 n. 7 habentur.

2) De norma erigendi et aggregandi confraternitates, de modo easdem regendi etc. in genere et de nonnullis confraternitatibus in specie vide *Instruct. pastoral. Eystett.; Maurel-Schneider (Beringer),* die Ablässe etc. 12. Aufl. Paderborn 1900.

taturi sunt, sacerdos indutus superpelliceo [1]) et stola, et, si haberi potest, pluviali albi coloris, acolythis seu clericis, aut etiam presbyteris (si locus feret) superpelliceo pariter indutis comitatus, decenter et de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel unam tantum (si longius aut difficilius iter sit faciendum) ponat in pyxide, seu parva custodia, quam proprio suo operculo cooperit, et velum sericum superimponit; ipse vero sacerdos, imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, et deinde umbellam seu baldachinum subeat, nudo capite [2]) processurus.

10. Praecedat semper acolythus, vel alius minister deferens laternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat); sequantur duo clerici, vel qui illorum vices suppleant, quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, et bursam cum corporali, quod supponendum erit vasculo sanctissimi Sacramenti super mensa in cubiculo infirmi, et cum linteolo purificatorio ad digitos sacerdotis abstergendos, alter librum Ritualem deferat, et campanulam iugiter pulset. Succedant deinde deferentes intortitia.

---

1) Quod si quis parochus loci rationem obstare putet (sc. cur non publice administretur secundum rubricas), ea de re ad Ordinarium perscribat, qui expensis rationibus, quid agendum sit, statuet *(Conc. prov. Colon. 1860 p. 115)*.

2) Sive die, sive nocte; absque speciali Sedis Apostolicae gratia non licet uti pileo (bireto) neque pileolo parvo *(S. R. C. 13. Aug. 1695 D. (auth. n. 1931)*. Die 12. Sept. 1857 *D. auth. n. 3059 ad XIX.* S. R. C. commisit Episcopo Molin. et deinceps etiam aliis Episcopis, ut pro suo arbitrio et prudentia indulgerent, ut parochi . . . capite pileo cooperto Viaticum deferre valeant, si hiemali tempore ab aëris inclementia pro valetudine timere debeant.

Postremo sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella, dicens Psalmum *Miserere* etc., et alios Psalmos et Cantica.[1]) Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum,[2]) necesse erit, vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, et ad collum appensa apte includere, et ita ad pectus alligare atque obstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat.

11. *Ingrediens vero locum, ubi iacet infirmus, dicat: V.* Pax huic domui, *R.* Et omnibus habitantibus in ea.

12. *Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, et mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens Antiphonam:* Asperges me,[3]) Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor: *et primum versum Psalmi* Miserere mei, Deus, *cum* Gloria Patri, Sicut erat, etc. *Deinde repetitur Antiph.* Asperges me etc. *Postea:*

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum etc.

---

[1]) Non est reprobandum, feria VI in Parasceve, si quis SS. Viaticum deferat ad infirmum, private et submissa vel submisissima voce eum recitare Psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat *Gloria Patri* etc.; et populum sine benedictione dimittat, quia (eo die) in publica ecclesia SS. Sacramentum non debet recondi *(S. R. C. 15. Maii 1745 D. auth. n. 2383).*

[2]) Viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum etc. ut a parocho deferri possit equitando, *S. R. C. 23. Jan. 1740* indulsit, ad arbitrium tamen Episcopi.

[3]) Etiam tempore paschali *(S. R. C. 11. Febr. 1702 n. 2089 ad 7 in D. auth.).*

Oremus. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

13. *His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoscat, num sit bene*[1]) *dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri; et illum audiat, atque absolvat: quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat.*[2])

14. *Postea facta de more confessione generali, sive ab infirmo, sive eius nomine ab alio, sacerdos dicit:* Misereatur *etc.* Indulgentiam, etc.[3])

---

1) Si sacerdos cum S. Sacramento ad infirmum adveniens eiusque confessionem excipiens, eum indispositum invenerit, imprimis satagere debet confessarius omni modo possibili poenitentem ad meliorem frugem adducere. Si res non succedat, seu si infirmus v. g. occasionem proximam peccati abrumpere, aut restitutionem gravem et certo debitam facere non promittat, absolvi non potest. Quoad Communionem enixe inducendus est poenitens, ut peracta Confessione publice declaret, se nolle adhuc S. Eucharistiam suscipere. Quodsi hanc declarationem praestet, iam evanescit difficultas; patet enim, Eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget, atque communicare velit, Eucharistia eidem, licet indisposito, ministranda est, si aliter confessionis sigillum non servatur intactum *(Gury II n. 309, quaest. 10).* Sed haec difficultas minor est, si *prius* confessio potuit audiri; aut etiam, si consuetudinem habet sacerdos, plures particulas consecratas secum ad aegrotos deferendi.

2) Habes in appendice II formulas actuum virtutum vulgari sermone adiectas, quibus infirmus facile disponitur ad devote et fructuose suscipiendum SS. Viaticum.

3) Utitur sacerdos numero singulari (Baruffaldus i. h. l.).

15. *Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo, dicens:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, *et more solito ter dicat:* Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

16. *Et infirmus simul cum sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce: tum sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat:* Accipe, frater (*vel* soror), Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam. Amen.

17. *Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario:* Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

18. *Quodsi mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto,* Misereatur *etc. praedictis precibus omnibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur.*

19. *Postea sacerdos abluat digitos, nihil dicens; et infirmo datur ablutio. Deinde dicat: V.* Dominus vobiscum, *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro (*vel* sorori nostrae) sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpori, quam animae prosit ad remedium sempiternum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *R* Amen.[1])

20. *His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet, praeter-*

1) Multum iuvat in gratiarum actionem cum infirmo recitare preces, quae vulgari sermone habentur in II. appendice.

quam in casu iam dicto), genuflectit, surgit, et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine, quo venerat, revertitur ad ecclesiam dicendo Psalmum: Laudate Dominum de coelis etc. *et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.*

21. *Cum pervenerit ad ecclesiam, ponit Sacramentum super altare, adorat, deinde dicit:*

V. Panem de coelo praestitisti etc. etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus,[1]) qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti; tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugitur sentiamus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

22. *Deinde annuntiat indulgentias a Summis Pontificibus concessas sanctissimum Sacramentum comitantibus.*

23. *Postea cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.*

24. *Quodsi ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet veneratione, Sacramentum ad ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est, tunc ea infirmo administrata, sacerdos, praedictis precibus recitatis, eum manu benedicit, et una cum aliis privato habitu, exstinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, ad ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur.*

---

[1]) Tempore paschali haec eadem Oratio dicitur, non vero illa *Spiritum nobis* etc. *(S. R. C. 11. Febr. 1702. D. auth. n. 2089 ad 7).*

Licetne Communionem iterum ministrare periculose decumbenti infirmo, qui iam in eodem morbo Viaticum suscepit et ieiunus manere nequit?

Respondendum: Vera et communis est sententia affirmans, quam cum plurimis et gravissimis auctoribus tuetur Benedictus XIV. in opere *de synod. dioces.* lib. 7 cap. 12. n. 4 dicens: „Absque formidine se aliqua involvendi controversia et potest et interdum debet Episcopus constituere, ne parochi renuant sanctissimam Eucharistiam iterato deferre ad aegrotos, qui, etiam perseverante eodem morbi periculo, illam saepius per modum Viatici, cum naturale ieiunium servare nequeant, percipere cupiunt . . . , nullum invenimus alicuius nominis theologum, qui neget, et licitum et pium et laudabile esse, illud saepius repetere.“ Ratio est, quia hoc Sacramentum aegrotis datur non tantum ad satisfaciendum praecepto, sed etiam et praecipue ad superandas tentationes, quae tempore gravis morbi magis urgent. Et hoc quidem non solum, si novum redeat periculum, sed etiam si idem perduret, ut docet praefatus Pontifex in citato opere hisce verbis. „Insinuet Episcopus parochis, *posse et debere* SS. Viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, praesertim si ipsimet aegrotantes iterum caelestem illum panem esuriant, et si velit (Episcopus), poenam etiam decernat in parochos, qui post plurimum temporis Eucharistiam ad eundem infirmum eam devote efflagitantem denuo deferre obstinate detrectant falsis quibusdam et emendicatis praetextibus.“ — Hinc etiam supervacaneum est, quaerere, quot dies inter Communiones intercedere debeant. Nam reverentiae SS. Sacramenti non adversatur, si etiam postero die iterum detur, quando aegrotus ad id dispositus est: quare hanc dispositionem, eamque praesentem,

non praeteriti temporis, respice, vel etiam infirmi necessitatem et consolationem. — Facilius sane concedi potest Communio infirmis religiosis vel aliis personis piis in monasterio degentibus, sive sint ieiunae, sive non, quam ceteris, quia tunc minor habetur apparatus populique admiratio, cum sacra Eucharistia non sit publice per plateas deferenda. (Cfr. *S. Alph.* lib. 6 tract. 3 cap. 2 n. 285; *Baruffaldus* in h. l.; *Clericatus* de ven. Euch. Sacram. decisio IX; *Hagerer,* tractatus de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, tit. IX. num. 155 et 156 et Kölner Pastoralblatt a. 1873 pag. 3.)

De Sacramento extremae Unctionis.

(Ex Rituali Romano.)

1. Extremae Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, tamquam coelestis medicina non animae solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo. [1])

---

[1]) „Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti *videantur.*" (Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 3.) — Unde ad praebendum hoc Sacramentum, exspectandum non est ultimum vitae tempus, sed conferri debet, ut primum *prudenter timetur de morte aegroti* (Cat. Rom. II. VI, 9), et gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam, omnis salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat:

2. In quo illud in primis ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante extremam Unctionem Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur.

3. Habeat igitur parochus loco nitido [1]) et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo, diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis feria V. in Coena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto,[2]) renovandum

---

quia sic moribundus frustratur uberiori fructu Sacramenti: dein quia, si forte reus esset peccat mortalis, cuius non recordatur, et compos rationis Sacramentum suscepisset, auxilio attritionis gratiam sanctificantem fuisset adeptus, qua nunc fortasse privatur; demum quia virtute huius Sacramenti forte consecutus esset sanitatem corporis, si tempore congruo ipsi collatum fuisset. (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 8 c. 7.)* Cur autem rarissime nostro tempore convalescant aegroti hac Unctione percepta (ait Card. Bellarminus), ratio est, quia serius, quam oporteret, hoc Sacramentum recipiunt. Quare suadendum videtur (cum Castropalao), ut detur extrema Unctio statim a ministrato Viatico, quia iam censetur infirmitas grave vitae periculum inducere.

[1]) Sacerdotes curam animarum exercentes non possunt pro sua commoditate apud se in domibus suis retinere sacrum Oleum infirmorum, excepto tamen casu magnae distantiae ab ecclesia vel specialis S. Sedis licentiae: quo in casu omnino servetur, etiam domi, rubrica quoad honestam, decentem tutamque custodiam. (Cf. *S. R. C. 16. Dec. 1826 n. 2650 ad III.)* Sane non peccat parochus, qui sacrum Oleum domi retinet, si crederet nocte se vocandum et periculum foret, ne vocatus sero veniret: domi vero retinere ad maiorem tantum commoditatem, est contra praeceptum. (Cfr. S. Alph. lib. 6 n. 730.)

[2]) Sc. in lampade, quae ardet ante SS. Sacramentum *Conc. prov. Mediol. IV).*

est. Id tamen, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest.[1])

4. Oleum porro ipsum vel per se solum, vel in bombacio, seu re simili servari potest; sed ad evitandum effusionis periculum multo commodius ad infirmos defertur in bombacio.

5. Debet autem hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint,[2]) tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

6. Infirmis autem, qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes

---

1) Cfr. S. Alph. *l. 7 n. 708,* Lacroix *l. 6 p. 2 n. 2093.* Bened. XIV. *Institutio 81.* — Potest parochus tali casu oleo benedicto superaddere saepius oleum non benedictum, dummodo singulis vicibus minor quantitas addatur non benedicti: nam ita faciendo licitum et validum erit Sacramentum, quamvis consideratis additionibus una sumptis non benedictum esset in maiori quantitate, prout declaravit S. C. S. Officii die 23. Sept. 1682 *(Monacelli,* Formularium legale practicum tom. II pag. 13 edit. Rom. 1844). — Sacerdos ne in casu quidem necessitatis ad validitatem Sacramenti uti potest oleo a se benedicto, prout declaravit *S. C. Inquisitionis d. 13. Jan. 1611* et *Greg. XVI. d. 14. Sept. 1842.*

2) Fideles omnes, qui graviter decumbunt, modo olim rationis fuerint compotes, ut peccata committere potuerint, capaces sunt huius Sacramenti; hinc etiam aetate iuniores, licet primam Communionem nondum susceperint *(Conc. prov. Col. pag. 115.* Cfr. Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 8 cap. 6).*

effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur.

7. Sed si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.

8. Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis penitus denegetur.

9. Non ministretur etiam praelium inituris, aut navigationem aut peregrinationem aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.[1])

10. Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat, antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: Per istam sanctam unctionem, etc. ut infra; deinde si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae, suo loco positae.

11. Si vero, dum inungitur, infirmus decedat, presbyter ultra non procedat, et praedictas Orationes omittat.

12. Quod si dubitet, an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens: Si vivis, per istam sanctam unctionem, etc. ut infra.

13. Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum Confessionem ad exitum vitae properare, tunc cum sacro Viatico poterit et Oleum infirmorum ad eum deferri per ipsum sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam; si tamen alius presbyter vel diaconus, qui Oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur, qui super-

---

1) Periculosam operationem chirurgicam admittentes, nisi letalis corporis affectio accedat, hoc Sacramento muniri *antea* non debent *(Instr. past. Eystetten)*.

pelliceo indutus cum Oleo sacro occulte delato sequatur sacerdotem Viaticum portantem; et postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur a sacerdote.

14. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.[1])

15. Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit: nempe oculi, aures, nares, os et manus; attamen pedes etiam et renes ungendi sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

16. Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, presbyteris exterius ungantur.

17. Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quae paria sunt, sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo huiusmodi paria membra perunxerit.

18. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

19. Huius autem Sacramenti forma, qua sancta Romana Ecclesia utitur, solemnis illa precatio est, quam sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait:

20. Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, (*sive:* per auditum, etc.) deliquisti. Amen.

---

1) Cfr. Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 8 cap. 8 n. 3 et 4*; *Augsb. Pastoralblatt* a. 1860 num. 19; *Köln. Pastoralblatt* a. 1878, pag. 1.

Ordo ministrandi Sacramentum extremae Unctionis.

(Ex Rituali Romano.)

1. *Sacerdos igitur Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos destinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos, et aquam ad abluendas sacerdotis manus; ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.*

2. *Deinde convocatis*[1] *clericis seu ministris, vel saltem uno clerico, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, et librum Ritualem deferat, ipse parochus decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute deferat, ne effundi possit. Quodsi longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas Olei sacculo aut bursa inclusum, ut dictum est, ad collum appendat, ut commodius et securius perferat. Procedat autem sine sonitu campanulae.*

3. *Cum perventum fuerit ad locum, ubi iacet infirmus, sacerdos intrans cubiculum dicit:*

Pax huic domui, *R.* Et omnibus habitantibus in ea.

4. *Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo*[2] *stolaque violacea indutus, aegroto crucem*

---

[1]) Statuimus autem, ut ubique illud aeque ac Viaticum publice administretur secundum rubricas. Quodsi quis parochus loci rationem obstare putet, ea de re ad Ordinarium perscribat, qui expensis rationibus, quid agendum sit, statuet *(Conc. prov. Colon. pag. 115)*.

[2]) An Sacramentum extremae Unctionis cum sola stola

pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis eum aqua benedicta, et cubiculum et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam Asperges *etc. Quodsi aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de huius Sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus sit, eius animam confirmet, et in spem erigat vitae aeternae.* [1])

5. *Postea dicat* [2]):

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini etc.

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Introeat, Domine Jesu Christe, domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu, aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia, caritas fructuosa, sanitas sempiterna; effugiat ex hoc loco accessus daemonum; adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum, et benedic † nostrae conversationi: sanctifica nostrae humilitatis ingressum, qui sanctus et qui pius es, et permanes cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

Oremus, et deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo benedicat † hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det eis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, et ab omni perturbatione, ac

administrari possit? *R.* Negative, et eliminata consuetudine, servetur Ritualis Romani praescriptum *(S. R. C. 16. Dec. 1826 n. 2650 Q. II ad 2);* nisi periculum sit in mora.

[1]) Quod facile fit recitando cum infirmo vulgari sermone preces in appendice II. positas.

[2]) Cfr. statim infra n. 6, ubi concludere potes, has tres orationes, si complures aegroti v. g. in nosocomio ungendi sunt, dici posse super omnes simul.

sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Oremus. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

6. *Quae Orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta confessione generali,*[1]) *latino vel vulgari sermone, sacerdos dicat:* Misereatur *etc.* Indulgentiam *etc.*

7. *Antequam parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent; et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero vel qualitate, recitent septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat:*

In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, exstinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

8. *Deinde intincto pollice*[2]) *in Oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic sub-*

---

[1]) Quando aegrotus Viatico et extrema Unctione simul reficitur, *Confiteor* bis debet recitari *(S. C. Indulg. 5. Febr. 1841 v. Decr. auth. n. 286).*

[2]) I. e. summitate pollicis, ubi adest eiusdem digiti pulpula, non vero unguis *(Baruffaldus).* Tempore pestis unctio potest fieri mediante virga *(Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 13, cap. 19 n. 29, 30)*; extra casum necessitatis autem non licet uti virgula *(S. R. C. 9. Maii 1857, n. 3051 ad II).*

scriptis; aptando proprio loco verba formae in hunc modum:

Ad oculos.[1]). Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.

9. *Minister vero, si est in sacris, vel ipsemet sacerdos post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiiciat in sacrarium.*

Ad aures.[2]) Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad nares.[3]) Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad os, compressis labiis.[4]) Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum et locutionem deliquisti. Amen.

Ad manus.[5]) Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. Amen.

10. *Et adverte, quod sacerdotibus, ut dictum est, manus non inunguntur interius, sed exterius.*

---

1) Ut commode inungantur, oculi debent claudi, et unctio fieri super ambas palpebras *(Baruffaldus i. h. l.).*

2) Scilicet in lobulo vel ima auricula, non helice vel alveolo eiusdem, ut facilius abstergi possit *(Baruffaldus i. h. l.).*

3) Nempe melius ad narices, quae sunt nasi alae laterales, ad evitandam sternutationem, quae aliter faciendo facile oriretur *(Baruffaldus i. h. l.).*

4) Sed si infirmus non audiret et esset in agone positus, ore hiante, sufficit, ut sacerdos labium seu superius, seu inferius ungat ad libitum suum *(Baruffaldus i. h. l.).*

5) Hoc est in media palma utriusque manus *(Baruffaldus i. h. l.).*

Ad pedes.[1]) Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti. Amen.

Ad lumbos sive renes. Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem delequisti. Amen.

11. *Haec autem unctio ad lumbos, ut dictum est, omittitur semper in feminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt.* [2])

12. *Quibus omnibus peractis, sacerdos dicit:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.
V. Salvum fac servum tuum,[3])
R. Deus meus sperantem in te.
V. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,
R. Et de Sion tuere eum.
V. Esto ei, Domine, turris fortitudinis,
R. A facie inimici.
V. Nihil proficiat inimicus in eo,
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

---

1) In planta vel desuper. Episcopos Rhedonen. exposuit S. R. Congregationi, diversimode in sua dioecesi sese parochos gerere hac in re, et ab aliis pedum plantam, ab aliis superiorem partem inungi, interrogavit porro, *utra pedum pars, superiorne an inferior ungenda sit.* S. R. C. die 27. Aug. 1836 n. *2743* ad 1 respondit: „Nihil innovandum", i. e. praeceptum ea de re non exsistere.

2) Unctionem renum apud viros semper omitti, ubi haec consuetudo est, Ecclesia tolerat quidem, at cupit, ut haec consuetudo paullatim emendetur *(S. R. C. D. auth. n. 3075).*

3) Ubique variatio generis facienda est, quando Versiculi et Orationes recitantur pro muliere *(S. R. C.* 12. Aug. 1854 ex *Collectan. Mission.* ed. *1893* n. *1162);* si dicuntur super plures aegrotos, sumitur numerus pluralis.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

P. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Domine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei; cura, quaesumus, Redemptor noster, gratia sancti Spiritus languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, et dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiae tuae restitutus, ad pristina reparetur officia: Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, famulum tuum N., in infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove, quam creasti, ut castigationibus emendatus, se tua sentiat medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis; ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut famulum tuum ab aegritudine liberatum, et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

13. *Ad extremum, pro personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur et ad fugandas daemonum tentationes roboretur.* [1])

---

[1]) Quem in finem poterit sacerdos cum infirmo vulgari sermone orationem recitare in appendice II. positam.

14. *Denique aquam benedictam, et crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter aspiciat et pro sua devotione osculetur et amplectatur.*

15. *Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum parochum accersant, ut morientem adiuvet, eiusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, sacerdos animam Deo rite commendabit.*

16. *Quae autem pertinent ad visitationem curamque infirmorum, et ad iuvandos morientes, ad commendationem animae, et ad exsequias, infra suis locis praescribuntur.* (Vide infra in seq. cap. huius II. Partis n. IV.)

Commoditatis gratia hic sequitur, qui ex Rituali alio loco ponendus esset:

Modus a Benedicto XIV. approbatus, pro opportunitate temporis servandus ad impertiendam benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

(Ex Rituali Romano.)

1. *Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et extremae Unctionis*[1]*) illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant,*

---

[1]) Multi falso intelligentes id, quod saepius constitutum erat, hanc benedictionem cum plenaria indulgentia valere pro solo *vero articulo* mortis, putabant, sacerdotes non posse valide eam impertire in solo mortis *periculo.* Verum id plane licere atque etiam valere, S. C. I. et R. 19. Dec. 1885 expresse nunc dixit. Nam ille verus articulus, pro quo solo indulgentia valeat, non indicat tempus, quo sacerdos debeat benedictionem dare, sed quo S. Pontifex vult *effectum huius benedictionis oriri.*

seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. [1] *Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.*

2. *Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi iacet infirmus, dicat:* [2] Pax huic domui *etc. ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam* Asperges me etc.

3. *Quodsi aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit.* [3]

4. *Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem, et vitâm sit consecuturus aeternam.*

5. *Postea dicat:*

V. Adiutorium nostrum † in nomine Domini, etc.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae), neque vindictam sumas de pec-

---

1) Etiam pueris, qui ob defectum aetatis primam Communionem nondum instituerunt, impertienda est (*S. R. C. 16. Dec. 1826 n. 2650 ad postrem.*); modo peccati capaces fuerint (*Gardellini in nota*).

2) Haec omittit, quoties statim post extremam Unctionem hanc benedictionem impertitur.

3) *Hanc* rem summi momenti habe, ut Benedictio *valeat.*

catis eius. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Salvum fac servum tuum *(vel* ancillam tuam *et sic deinceps).*

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. *(vel* famulam tuam), quem *(vel* quam) tibi vera fides, et spes christiana commendant. Visita eum *(vel* eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge: ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat, et in Sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

6. *Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus:* Confiteor, *etc. sacerdos dicat:* Misereatur, *etc.*

Deinde:

Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro, Apostolo suo, dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis,

et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, † et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

7. *Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.* [1])

Notanda: 1. Recitatio confessionis, i. e. *Confiteor* in Sacramento Poenitentiae habita, non sufficit pro recitatione illius praescriptae, quando impertienda est benedictio cum indulgentia in articulo mortis, *iuxta praxim et rubricas, nisi necessitas urgeat (S. C. I. 5. Febr. 1841, Decr. auth. n. 286 ad 5).*

2. Juxta praxim et rubricas necesse est, tribus vicibus recitare *Confiteor*, quando administratur sacrum Viaticum, extrema Unctio. et impertitur indulgentia in articulo mortis *(S. C. I. ibid. ad 6)*.

3. Non potest infirmus in eodem articulo mortis pluries lucrari indulgentiam plenariam a pluribus sacerdotibus facultatem impertiendi habentibus *(S. C. I. ibid. ad 7)*.

4. Non potest haec benedictio pluries impertiri permanente infirmitate etsi diuturna *(S. C. I. 12. Mart. 1855 D. auth. n. 362)* [accipitur tantum in *vero* articulo mortis, *ib. n. 9, S. C. I. 23. April. 1675*], sed semel tantum in eodem statu morbi *(S. C. I. 23. Sept. 1775 D. auth. n. 237)*; potest vero iterari, si infirmus convaluerit, ac deinde

[1]) Periculo instante statim dicatur: *Dominus noster* etc. aut dum proxime urget mors: „Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris et Filii † et Spiritus sancti. Amen." (Ita Proprium ad Rituale Romanum pro Archidioecesi Ultraiectensi a. S. R. C. die 18. Febr. 1875 approbatum pag. 346.)

quacumque de causa in novum mortis periculum redeat *(S. C. I. 12. Febr. 1842 D. auth. n. 300)*. Prohibitum est, impertiri pluries infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto illam benedictionem in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus ratione confraternitatis alicuius *(S. C. I. 12. Mart. 1855 l. c.)*. Inutiliter haec fierent, quia aegrotus vi praecedentis benedictionis indulgentiam non lucratur nisi in ipso ultimo vitae momento. [1])

5. Haec indulgentia potest, si sit periculum in mora, tum valide tum licite concedi iis, qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti vel Poenitentiae, vel Eucharistiae vel extremae Unctionis, vel ullo horum, subitoque vergunt in interitum *(S. C. I. 23. Sept. 1775 l. c. ad 5)*.

6. Invocatio oralis, aut si haec impossibilis est, saltem mentalis (sc. nominis Jesus), de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac benedictione missis, praescribitur, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, ut conditio sine qua non indulgentiae vi istius benedictionis lucrandae *(S. C. I. ibid. ad 6)*.

7. Sacerdos non valide confert indulgentiam plenariam in articulo mortis, omissa formula a Summo Pontifice praescripta ob libri deficientiam, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva *(S. C. I. 5. Febr. 1841 l. c.)*.

---

[1]) *Melata* tamen in dissert. de Bened. Papali tenet, prohiberi quidem iteratam indulgentiae applicationem, non ipsam benedictionem: communis sententia utramque censet prohiberi.

De Sacramento Matrimonii.

I. Instructio Ritualis Romani.

1. Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat, qui et quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt: An inter eos sit aliquod canonicum impedimentum; utrum sponte, libere, et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere; utrum sint in aetate legitima, ut vir saltem quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleverit, et uterque sciat rudimenta fidei,[1]) cum ea deinde filios suos docere debeant.

2. Noverit ex probatis auctoribus, quae sint canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, et quae contractum dirimant; et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractae.[2])

3. Habeat in primis ipse bene cognita praecepta illa omnia, quae in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere sacri canones, et praecipue sancta Synodus Tridentina iussit; dabitque operam, ut illa in parochia sua accurate exacteque serventur.

4. Praesertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, necnon clandestina, et quaelibet Matrimonia, quae aliter quam praesente parocho

---

[1]) Cfr. Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. 8 cap. 14.*

[2]) *Synodus dioecesana Quinque-Ecclesiensis* a. 1863 p. 39 „non," ait, „intermittant parochi singulis annis circa Epiphaniam in una vel altera concione caste et prudenter de Matrimonio sermonem facere, eius impedimenta tum impedientia, tum dirimentia, saltem maxime obvia et communiter in praxi occurrentia, clare et ad intellectum facili modo exponere."

vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii decretis irrita omnino ac nulla esse.

5. Est autem proprius parochus, qui adesse debet, is, in cuius parochia Matrimonium celebratur, sive viri, sive mulieris.

6. Caveat praeterea parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos ac peregrinos, et qui incertas habent sedes, neque item eos, qui antea coniugati fuerint, ut sunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum qui peregrinantur, nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eoque habita eiusmodi Matrimonii celebrandi licentia, quae gratis concedatur.

7. Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho continuis diebus festis in ecclesia intra Missarum solemnia ad ipsius Concilii praescriptum publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.

8. Si vero vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia fiant denuntiationes: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra parochus non procedat.

9. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiet denuntiatio, vel saltem, parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant; ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi aliter Ordinarius ipse expedire iudicaverit.

10. Has autem denuntiationes parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.

11. Si vero infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

12. Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter Missarum solemnia parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone:

13. *Notum sit omnibus hic praesentibus, quod N. vir, et N. mulier, ex tali vel tali familia et parochia, Deo adiuvante, intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quam primum nobis denuntiare debeat; et hoc admonemus primo,* si fuerit prima; vel *secundo, si* fuerit secunda; vel *tertio,* si fuerit tertia denuntiatio.

14. Moneat parochus coniuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis praesentibus; quae benedictio a nullo alio, quam ab ipso parocho, seu ab alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, fieri debet.

15. Caveat etiam parochus, ne, quando coniuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est. Sed viduae nuptias

non benedicat, etiamsi eius vir nunquam uxorem duxerit.

16. Matrimonium in ecclesia maxime celebrari decet: sed si domi celebratum fuerit praesente parocho et testibus, sponsi veniant ad ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat, sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa, ut infra dicetur.

17. Admoneantur praeterea coniuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad sanctissimam Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant,[1]) et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae, verbisque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam sancte coniuges debeant convivere.

18. Postremo meminerint parochi, a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschae inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiae vero, qua decet modestia et honestate, fiant; sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum.

---

[1]) Sancta Synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur et ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pie accedant (Conc. Trid. Sess. 24 de reform. Matrim. cap. 1). „Id, ut ab omnibus praestetur, parochi sedulo adlaborabunt“ *(Conc. prov. Col. p. 116).* — Commendent ipsis Confessionem generalem. Cfr. *Münst. Pastoralblatt* a. 1871 num. 12 et a. 1872 n. 1, 2, 3.

19. Quae omnia fere ex sacri Concilii Tridentini decretis desumpta, et item alia, quae ibi de Matrimonio rite contrahendo praecipiuntur, sunt diligenter observanda.

II. Variae instructiones ex theologia morali et ex iure canonico.

1. De sponsalibus.[1]

Sponsalia sunt *promissio futuri Matrimonii vera, voluntaria, deliberata et mutua, signo aliquo sensibili expressa inter Personas determinatas et de iure ad contrahendum habiles.*[2]

Omnia sponsalia, sive publice sive clandestine contracta, hisce conditionibus vestita, per se vera et rata subsistunt, et *ex iure naturali* gravem inducunt obligationem tum contrahendi Matrimonium tempore praefixo, vel congruo, tum non transeundi ad alia vota; *ex iure canonico* autem pariunt impedimentum *publicae honestatis* dirimens matrimonium *sponsi* cum matre, filia et sorore *sponsae,* et *sponsae*

[1]) Cfr. *Lambertini* Institutio 46, *Ferraris* Prompt. biblioth. v. Sponsalia, Münst. Pastoralbl. a. 1863 num. 9 et Augsb. Pastoralblatt a. 1861 num. 35, 40 et a. 1866 num. 17—20.

[2]) Sponsalia, quae fiunt, dum subest impedimentum dirimens, ex decisionibus S. C. C. (e. g. 12. Dec. 1733) nondum subsistunt, nec pariunt impedimentum publicae honestatis; inducere tamen possunt obligationem exspectandi eventum petitionis de obtinenda dispensatione, si impedimentum sit dispensabile. — Sponsalia cum parte acatholica contracta ex se nulla sunt ut sponsalia, saltem ante obtentam dispensationem, idque in foro tam externo, quam interno; nec nascitur ex eis fides sponsalitia, quia, quod vetitum est, nemo potest spondere; contrahi tamen aliunde potest obligatio moralis, qua vel petenda sit dispensatio, vel facienda restitutio. Post dispensationem valida esse possunt, sed facilius solvuntur, quia Ecclesia mixta Matrimonia per se non approbat, sed tantum permittit.

cum patre, filio et fratre sponsi: quod impedimentum perdurat etiam sponsalibus solutis, modo vere omnes dictae conditiones adfuerint.

Obligatio sponsalium etiam iuramento firmatorum *ex utraque parte tollitur* aut exstinguitur:

1. Per consensum mutuo (etiam sine causa) revocatum. 2. Per dissensum unius partis pubertatem [1]) adeptae, si impubes contraxit; tempore autem impubertatis solvere prohibetur *(Ferraris num. 19 et 20)*. 3. Per susceptionem ss. Ordinum, vel professionem religiosam. 4. Per impedimentum Matrimonii superveniens. [2]) 5. Per conditionem appositam non impletam.

Una vero pars tantummodo potest resilire, si voluerit, quando ad id altera pars ipsi causam praebuerit: 1. Per Matrimonium cum alia persona *valide* etsi *illicite* initum, quia supervenit impedimentum ligaminis; ex parte tamen ita contrahente manet obligatio parti laesae satisfaciendi, ac damna resarciendi. 2. Per fornicationem alterius partis sponsalia aut subsequentem, aut antecedentem ignoratam. 3. Per discessum in alias terras inscia aut invita altera parte ac diuturnam in iis absentiam, vel nimiam nuptiarum dilationem. 4. Per ingressum in novitiatum ordinis religiosi. 5. Per sponsalia cum alia persona inita.[3]) 6. Licet etiam uni resilire, si ex parte alterius notabilis mutatio in

---

[1]) Pubes factus debet resilire statim, i. e. intra triduum a die legalis pubertatis et cogniti privilegii.

[2]) Qui apposuit impedimentum, per se debet mediis ordinariis dispensationem petere, et suspenditur tantum pro illo obligatio sponsalium; pro parte vero innocenti omnino tollitur ita, ut non teneatur accipere dispensationem.

[3]) Nova sponsalia, quae post sponsalia iam valide cum alia contracta ineuntur cum tertia, *ipso iure* sunt *nulla pro* foro tam interno quam externo.

bonis sive animi, sive corporis, sive fortunae accidat, quae si fuisset cognita, contractum impedivisset.

Quando causa dissolvendi sponsalia est certa, *per se loquendo* nulla de iure communi requiritur auctoritas iudicis ad dissolvenda dicta sponsalia, sive publica, sive occulta; potest tamen ad id requiri auctoritas iudicis *per accidens,* ut si sponsalia sint publica, et causa ea dissolvendi sit occulta; ratione scandali evitandi requiritur tunc iudicis interventus. Quando sponsalia sunt *certa,* causa autem ea dissolvendi *dubia* de iure vel de facto, tunc necessario requiritur iudicis auctoritas pro utroque foro. Iudex autem in causis sponsalium et Matrimoniorum est solus ecclesiasticus *(Ferraris v. Sponsalia* num. 120—123).

2. De examine sponsorum.[1]

Parochus *ratione officii sui* id pro viribus agere debet, ut Sacramentum Matrimonii non solum valide, sed etiam licite administretur; unde positive scire debet, non adesse impedimenta, quibus actus, ad quem sua praesentia cooperatur, vel invalidus vel illicitus fiat; eiusmodi autem scientiam sufficientem imprimis sibi comparare potest ex sponsorum examine. *Lege* etiam *positiva*[2]) iubetur parochus investigare, utrum aliquod impedimentum obstet.[3]) Parochus igitur, qui proclamationes et

---

1) Cfr. *Münst. Pastoralblatt* a. 1865 num. 10 et 11; a. 1867 num. 4; *Augsb. Pastoralbl.* a. 1867 num. 26—31; *Dubois*, Der prakt. Seelsorger (ed. II) pag. 502—523.

2) Cfr. Bened. XIV. Litt. Apost. „*Mimiam licentiam*" ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae a. 1743 et *de Syn. dioec. lib. 8 cap. 14 n. 3 et 6.*

3) Idem ex particularibus Constitutionibus fere omnium dioecesium sancitum est. Expedit, ut hoc faciat, antequam

copulationem facturus est,[1]) tum sponsum, tum sponsam *seorsim caute et, ut dicitur, ad aurem, explorare debet* (verba sunt Bened. XIV. in Constit. mox citata): a) Num sponte et vero cum animi consensu utraque pars matrimonium contrahere intendat. b) Num voto castitatis, promissione Matrimonii alteri facta, vel alio impedimento sint ligati. Debita prudentia verbisque modestis, ubi opus videtur, ad impedimentum affinitatis ex copula illicita cum consanguineo alterius partis habita advertendum est. c) Si sponsi sint filii aut filiae familias, aut minores, parochus exploret, num cum consensu parentum, vel eorum, qui parentum locum tenent, sponsalia contraxerint. d) Num separate vivant tam die, quam nocte; vel si prius sub eodem tecto habitaverint, an ex tempore sponsalium separati fuerint. (Cfr. Bened. XIV. *Institutio 80,* Conc. Trident. *Sess. 24 cap. 1 de ref. Matrim.)* e) Num sint catholici et in fide catholica sufficienter instructi.[2]) Quibus in locis et quamdiu in singulis locis ultimis annis degerint.

3. De proclamationibus.[3])

Proclamationes (seu banna) sunt promulgationes publicae matrimonii a sponsis ineundi, faciendae frequenti populo eum in finem, ut si quis aliquod

---

proclamationes in ecclesia fiant; quia non raro in hoc examine inveniuntur impedimenta. (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 8 cap. num. 3.)*

[1]) Nisi consuetudo, praxis aut statuta particularia aliud exigant.

[2]) De hoc puncto examen simul cum utraque parte institui potest; si vero aliunde constet, sponsos satis instructos esse in doctrina christiana, examen de hoc puncto potest iisdem condonari.

[3]) Cfr. *Gasparri, de Matrimonio* n. 149 seqq.

impedimentum inter sponsos norit, illud quam primum ad praecavenda varia mala ad parochum deferat; necnon ut populus ad supernam benedictionem futuris coniugibus suis precibus impetrandam excitetur. Maximi momenti est, probe intelligere illud Concilii Trid. Decretum de reform. Matrim. c. 1 „Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis[1]) in ecclesia intra Missarum[2]) solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum."

1. Qua in parochia fieri debent proclamationes? [3])

Resp. in propria parochia. Propria vero parochia est illa, in qua nupturientes, pro tempore proclamationes fiunt, vel verum domicilium vel quasi-domicilium habent.

Ad *domicilium verum* alicubi acquirendum requiritur habitatio cum voluntate ibi semper habitandi, et acquiritur ipso primo habitationis die. — Ad *quasi-domicilium* requiritur et sufficit actualis habitatio cum voluntate ibi manendi notabili tempore, vel maiore parte anni: cfr. infra *de clandestino matrimonio.*

Quasi-domicilium habere censentur studiosi in academiis, milites in praesidiis, opifices ac famuli, qui maiore anni parte alicubi habitant, vel habitatum venerunt, unde et Communionem paschalem ibidem recipere tenentur. — Si sponsi ex diversis parochiis sunt, in utriusque parochia fieri debent proclamationes; si quis plura habet vera domicilia,

[1]) Etiam dominicis; non festis abrogatis *(S. C. C. 1823).*

[2]) Proclamationes quandoque, iusta tamen ex causa, cum licentia Episcopi fieri possunt inter solemnes Vesperas.

[3]) Cfr. Gasparri l. c. n. 162 et 163.

in singulis parochiis fieri debent proclamationes. — Si quis praeter verum domicilium acquisivit quasi-domicilium, in utraque parochia fieri debent proclamationes, dummodo in loco quasi-domicilii per integrum mensem habitaverit; si secus, sufficit, ut proclamatio solum in vero domicilio peragatur.

Si quis, veteri domicilio relicto, novum incoluerit, triplex evenire potest casus: a) Si nondum sex menses praeterlapsi sunt, ex quo vetus domicilium reliquit, et simul in novo domicilio nondum per mensum integrum habitavit, solummodo in veteris domicilii parochia fiunt proclamationes, licet copulatio pertineat ad novi domicilii parochum. b) Si post domicilii mutationem unus saltem mensis, nondum tamen medius annus effluxit, in utriusque domicilii parochia fieri debent proclamationes. c) Si post mutationem domicilii medius annus [1]) peractus est, solummodo in novi domicilii parochia fieri debent proclamationes. — Si nupturiens ultimis annis passim in loco originis, vel parentum versatus quidem est, sed iam per annum integrum, ex quo sui iuris est, in alio loco statuit proprium ac verum domicilium, sufficit proclamatio in hoc loco; si autem verum quidem fundavit domicilium, sed nondum per sex menses ibi *habitavit,* proclamatio tam in hoc vero, quam in ultimo quasi-domicilio erit facienda. Si nupturiens, licet proprium domicilium fixerit, ultimis annis ita frequenter et per longiora temporis spatia in loco originis vel parentum est versatus, ut praeter domicilium ab ipso electum etiam illa loca tamquam domicilia retinuisse videatur, in iisdem etiam fieri debet proclamatio.

---

1) Hoc tempus plerumque sufficit: videndae tamen sunt loci consuetudines et leges, quae aliquando longius tempus iam elapsum requirunt.

Minores proclamari debent tum in parochia, in qua habitant, tum in parochia parentum aut eorum, sub quorum potestate sunt in ordine ad Matrimonium.

Famuli proclamari debent in parochia heri, apud quem famulantur, et alibi, ubi forte quasi-domicilium retinuerint ex sua vel parentum habitatione. Qui perpetuo laborant vel famulantur in una parochia, et in altera fixam habent domum vel cubiculum, in ista posteriore publicandi sunt.

Milites proclamandi sunt in praesidiis seu locis, ubi degunt, et insuper in parochia parentum, si sint minores, et, si sint maiores, in loco, in quo residebant ante militiam.

Nupturientes *vagi* praeter proclamationem in parochia, ubi tempore nuptiarum commorantur, etiam in loco originis, vel saltem ubi diutius commorati sunt, proclamari debent.

Pro Archidioecesi Coloniensi hac de re exstat decretum Josephi Clementis, Archiepiscopi et Electoris d. d. 26. Sept. 1718 huius tenoris:

„ . . . *declaramus, imprimis ex responso S. Congregationis Concilii Tridentini interpretum, propriam parochiam, in qua proclamandi sunt sponsi, esse illam, in qua contrahentes habitant, quo tempore Matrimonium contrahunt. Quando autem noviter aliquis inhabitare parochiam coeperit, priori, in qua diu habitavit, deserta, hoc imposterum observabitur: Si infra sex menses veterem parochiam quis mutavit cum nova, proclamationes fiant in utraque, et a veteri parochia afferantur solae testimoniales de non reperto canonico impedimento; si vero per sex saltem menses incoluerit novam, necesse non erit, eum in alia, nequidem originis, (exceptis casibus infra notatis) proclamari, sed satis est, si id fiat in parochia, quam modo inhabitat. Si tamen talis*

proclamandus minus esset in parochia notus, testimonia a parocho loci, in quo diutius habitavit, seu in quo magis possit esse notus, necnon etiam originis, pastori suo moderno ante afferat, quam copuletur. Quod idem in casu transmigrationis etiam non novissimae, sed antiquae, prudens parochus, si consideratis sponsi aut sponsae aetate, aut aliis circumstantiis de impedimento aliquo dubitet, observabit. Circa famulos, ancillas, studiosos et milites, qui quasi-domicilium alicubi dumtaxat habent, et non fixum, modoque in uno loco per unum aut alterum annum, modo in alio loco per simile spatium habitant, et sic frequenter, et pro lubitu mutant, atque discedunt, seu etiam ad longum tempus negotiorum causa in aliquo loco commorantur, statuimus, ut praeter proclamationes in locis antiquae et recentioris habitationum, seu etiam diuturnioris morae, supradicto modo factas, seu praeter eorundem locorum parochorum testimonia, etiam in locis originis proclamentur, aut saltem ab eiusdem loci parocho testimonia libertatis sui status producant. Ne autem sponsi ex hac multiplicitate proclamationum seu afferendorum testimoniorum extraordinarie graventur, serio mandamus, ut pro iisdem proclamationibus seu testimoniis nonnisi semel simplicia iura inter pastores habitationum et originis pro rata dividenda solvantur."

2. Quibus ex causis super proclamationibus ab Ordinario dispensatur?

1. Ut proclamationes omnes remittantur, praeter eam, quam Rituale Romanum proponit *(supra pag. 296 n. 9)*, adesse debent *urgentes, legitimae, gravissimae et ineluctabiles causae* (Bened. XIV. Constit. *Satis vobis* d. d. 17. Nov. 1741 et *Nimiam licentiam* d. d. 18. Maii 1743; cfr. Sanchez *de Matrim lib. 3 disput. 7)*; usu veniunt sequentes: a) verecundia vel infamia contrahentium, si nimi-

rum ipsorum conditio ita est parata, ut per publicas proclamationes honor eorum laederetur; e. g. si iam ab omnibus pro veris et legitimis coniugibus habentur, dum tamen in concubinatu vivunt. b) Si Matrimonium legitima forma contractum, sed ex impedimento occulto invalidum, in foro externo coram parocho et testibus debet revalidari. c) Si quis in mortis articulo constitutus, vel ob salvandam conscientiam, vel ad reparandum honorem, aut ad prolem legitimandam ducere debeat mulierem ab ipso corruptam, vel concubinam.

2. Ut una vel altera proclamatio ex concessione Ordinarii in diem ferialem transferatur, aut etiam penitus remittatur, iustae quidem requiruntur causae, sed sufficiunt minus graves, v. g.: a) Magna disparitas inter contrahentes. b) Si imminet tempus clausum et urget honestum motivum Matrimonii statim celebrandi. c) Si periculum est in mora v. g. ne sponsus mutet voluntatem; ne exoriantur scandala et inimicitiae; ne concubinarii, licet ad tempus separati, recidant in carnale commercium. d) Si ex nuptiarum dilatione rationabiliter timeatur notabile damnum temporale aut pro una aut pro utraque parte. e) Si sponsus sponsam alioqui honestam defloravit, et ex nuptiarum dilatione periculum immineat, ne ante Matrimonium edat prolem. f) Si per nuptias statim celebrandas sponsa liberetur ex manibus iniqui tutoris.

3. Facilius, quam plena proclamationum dispensatio, facultas dari potest, ut statim contrahatur matrimonium, sequantur proclamationes, interdicto interea matrimonii usu.

4. De impedimentis Matrimonii.

Impedimentum Matrimonii est defectus alicuius conditionis a competente lege aut pro validitate, aut pro liceitate eiusdem requisitae.

Quae obstant, ne valide contrahatur Matrimonium, dicuntur impedimenta dirimentia; quae vero impediunt, quominus licite ineatur, impedimenta prohibentia, seu impedientia.

A. De impedimentis impedientibus.

Impedimenta impedientia exprimi solent hoc versu:

„Sacratum tempus, vetitum, sponsalia", votum, quibus plurimi adiungunt impedimentum mixtae religionis.

1. **Sacratum sive clausum tempus** ex decr. Conc. Trid. *(Sess. 24 cap. 10 de reform. Matrim.)* est a Dom. I. Adventus usque in diem Epiphaniae, et a feria IV. Cinerum usque in octavam Paschae, utrimque inclusive.[1] — Lege quidem communi non Matrimonii contractio, sed solum nuptiarum solemnitates interdicuntur *(S. R. C. 14. Aug. 1858 n. 3079 ad I):* at lege particulari in aliquibus locis etiam ipsum matrimonium interdicitur nisi adfuerit dispensatio Episcopi. Inter illas autem solemnitates lege communi vetitas recensentur nuptiarum benedictio solemnis dari solita intra Missam, et ipsa Missa pro sponso et sponsa, sponsae in domum traductio, convivia atque tripudia.

2. **Vetitum Ecclesiae** est prohibitio ecclesiasticae potestatis speciali de causa procedens, v. g. si adsit suspicio alicuius impedimenti, de quo veritas inquirenda est; si quis contra Matrimonium intercedit; si deficit scientia catechismi,[2] vel pro rerum

---

[1] Benedictionem et Missam pro sponsis elapso tempore vetito suppleri convenit. (Ita recens decret. univ. *S. Inq. 31. Aug. 1881: v. Lehmkuhl, Theol. moral. vol. II n. 694 not.).*

[2] Matrimonio iungendi non sunt, si parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem seu feminam, quae

adiunctis consensus parentum, vel si exsistit publica indignitas; si desunt testimonia aut alia documenta necessaria etc.

3. **Sponsalia**, ubi valide cum una persona inita sunt, nec legitime dissoluta, ipso naturali iure impediunt Matrimonium cum qualibet alia persona contrahendum.

4. **Votum**, per quod hic intelligitur votum simplex castitatis, vel non nubendi, vel ingrediendi religionem, vel suscipiendi ordines sacros.

5. **Mixta religio**, i. e. catholica et acatholica, attamen christiana. [1])

Haec coniugia nulla quidem lege ecclesiastica irritantur; Ecclesia tamen ea semper prohibuit et detestata est; ac consequenter generatim illicita sunt. Huius prohibitionis ratio praecipua est *periculum perversionis*, vel saltem *indifferentismi*, vel *pravae liberorum educationis*, *dissidiorum* inter membra familiae, quod illis coniugibus ob diversi-

---

ad salutem necessaria sunt, ignorare. . . .“ *(Bened. XIV. Constit.* Etsi minime *7. Febr. 1742 § 11).* Si vero unus vel uterque sponsus praedicta explicite scire ac memoria retinere non valeat, parochus hoc eiusdem Benedicti XIV. monitum sequatur: „Unum tamen advertendum addimus, nimirum quandoque evenire, ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat et credat, cetera pariter, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit; sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriae post adhibitam diligentiam illa memoria retinere et recitare non valeat: in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a Matrimonio..., sed curabit parochus, ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab eius mente penitus elabantur“ *(De Synodo dioec. lib. 8 cap. 14 num. 6).*

[1]) Cfr. *Reinerding,* Die Principien des kirchlichen Rechtes in Ansehung der Mischehen. Paderborn 1851. Acta S. Sedis vol. VI pag. 456.

tatem religionis frequenter imminet. Periculo tandem exponitur *fides Matrimonii,* cum pars haeretica ex causis utique levissimis Matrimonii vinculum spernere et ad alias nuptias transire possit. Immo, si illa pericula reapse locum habent, plerumque illicitum est tale Matrimonium ipso iure naturali; si vero illud minime timendum sit in casu quodam particulari, adhuc prohibitum manet hoc coniugium lege ecclesiastica a Conciliis et Summis Pontificibus lata, sine cuius proin relaxatione licite iniri non potest; non enim lex generalis obligare desinit, si in uno alterove casu cesset eius motivum. His adde quandam communicationem in sacris cum parte haeretica. Quamquam enim non ea habetur communicatio, quae strictius dicitur in sacris, in ritu scil. haeretico, et est lege divina prohibita, tamen est in eodem Sacramento cum haeretico intima participatio eaque ex parte haeretici facile sacrilega, ad quam permittendam sane non quaelibet ratio sufficit, idque multo minus, cum plura saepe pericula, ut dictum est, accedant. (Cfr. *S. C. C. 28. Aug. 1852 num. VII Moguntina; Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 8 cap. 12 et 13, et lib. 6 cap. 5 num. 3; S. Alph. lib. 6 num. 895.)*

Cum hic agatur de universali totius Ecclesiae disciplina ac lege, sequitur, summum legislatorem, i. e. solum Romanum Pontificem, ab illo impedimento prohibente dispensare posse, exclusis Episcopis, nisi a summo Pontifice dispensandi facultatem obtinuerint: quam nunc sive ad quinquennium sive pro determinato numero casuum obtinent per S. Officium.

Quando *graves ob causas* [1]) Apostolica Sedes huius-

---

1) Ut causae sat graves sint, ex mente S. Sedis per se eae esse deberent, quae *ad publicum bonum magis conducant.*

modi Matrimonia mixta ineundi facultatem impertitur, propterea illa nondum approbat, sed saepe ea aegre tantum patitur, soletque opportunas cautiones dandas[1]) adiicere de conditionibus necessariis

---

Eiusmodi forent: a) si princeps acatholicus exhibitis cautionibus ducere velit catholicam, indeque magna catholicae religionis commoda forent speranda; b) si spes probabilis adsit, ut familia acatholica ad fidem veram inclinans, per Matrimonium mixtum ad Ecclesiam revertatur; c) si Matrimonium mixtum unicum sit remedium, ut liberi iam ex alio Matrimonio mixto procreati, in religione catholica educentur; d) si magna scandala ex diffamatione, gravidatione vel alio modo oritura evitari nequeant, nisi per Matrimonium mixtum. — Causae vero, quae privata commoda magis respiciunt v. g. aetas superadulta, angustia loci, incompetentia dotis, bonum pacis, sponsalia bona fide contracta, ob quae timendum foret, ne sponsa remaneret innupta ac diffamata, non quidem per se sufficiunt, attamen earundem causarum ratio habetur, dummodo aliae rerum circumstantiae concurrant, quibus illis pondus accrescat: aliquando etiam, ut maiora mala ex culpa sponsorum oritura impediantur, ecclesiastica lex relaxatur.

[1]) Iudicium, *an* et *quanam forma* cautiones sufficiant, relinquitur ei, qui dispensationem concedit; nulla absolute pro omnibus casibus praescripta est forma. Secundum hodiernam praxim in pluribus dioecesibus utraque pars *seorsim* ac separata, et quidem pars acatholica vel *loco iuramenti*, vel *sub formali etiam iuramento* ad protocollum coram duobus testibus promissiones emittit. Nimirum *pars acatholica promittit:* 1) se partem catholicam in libero exercitio religionis catholicae nunquam impedituram; 2) se curaturam esse, ut omnes utriusque sexus liberi in Ecclesia catholica baptizentur, educentur atque in catholica schola instituantur; 3) copulationem unice in ecclesia catholica peragendam esse, seque penitus renuntiare copulationi vel ante vel post coram ministro protestante faciendae. *Pars catholica* promittit simpliciter absque iuramento: 1) se pro viribus et quidem per strenuum religionis exer-

implendis, et quidem *lege divina ac naturali id exigente, tum ne coniux catholicus ab haeretico perverti possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam, ut proles utriusque sexus ex tali Matrimonio procreanda in religionis catholicae sanctitate omnino educetur.* Omnino igitur illicitum, immo etiam invalidum est iure naturali inter futuros coniuges pactum de educanda prole partim in religione patris, et partim in religione matris.

Si ob defectum causae sufficientis, aut opportunarum cautionum dispensatio super impedimento mixtae religionis locum non habeat, nec proclamationes fiant, nec litterae testimoniales scribantur, et ab *assistentia,* quam dicunt *passivam,* per se abstinendum est, nisi id in maius malum vergat. [1])

---

citium ac bonum exemplum, per instructionem et monitionem curaturam, ut pars acatholica ad veram fidem convertatur; 2) se omnes utriusque sexus liberos in catholica religione educaturam; 3) copulationem unice in ecclesia catholica peragendam. *(NB.* Conditionem tertiam aliquando ex prudentia reticeri posse, colligetur ex *Instructione ad Epp. Hannov. v. Archiv für kath. Kirchenrecht vol. 15 pag. 332 seqq., Lehmkuhl, Theol. mor. II n. 696.)*

1) „Abstinere catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur" *(PiiVIII. Breve ad Episcopos Rhenan. d. d. 25. Mart. 1830).* Attamen ex litteris Greg. XVI ad Eppos Bavariae 12. Sept. 1834 datis patet, proclamationes etc. et passivam assistentiam potius praestandas esse, si matrimonium illud impediri iam non possit atque, nisi coram catholico parocho, certo coram acatholico contractum iri, vel coram magistratu civili tantum, satis praevidetur. Cooperatio ad peccatum contrahentium ex parte parochi, qui approbationem nullam ostendat, materialis est; est autem gravis causa hanc praestandi ea, ut peccata contrahentium diminuantur, et pars

Si dispensatio concessa est, nec proclamationes, nec testimoniales a ministro acatholico petuntur: in hoc casu regulariter quidem licitum reputari debeat eiusmodi Matrimonium, nihilominus s. mater Ecclesia etiamtum normalem observari praxim peroptat, ex qua hoc etiam casu *omittuntur proclamationes, ac sola praestatur assistentia passiva in loco non sacro* ita, ut parochus sola veste talari indutus nihil agat vel dicat, sed *solummodo consensus declarationem tacens accipiat.* (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 6 cap. 5 n. 5 et S. C. Inq. 28. Aug. 1839.)* Sed ad praecavenda maiora mala in casu necessitatis mitiorem formam agendi prudenti Episcoporum iudicio licitam declarandam Pius IX. permisit Lit. encycl. d. d. 15. Nov. 1858 (cfr. *Acta S. Sedis vol. VI pag. 456),* exclusa sola Missa cum *solemni* benedictione, permisso ecclesiastico ritu Ritualis et praevia proclamatione.

Quaeritur 1°, quidnam agere debeant parochus et confessarius circa Matrimonia mixta ineunda? Pro viribus debent prohibere, quominus eiusmodi sponsalia ineantur.[1] Quando in irritum cadunt monita, distinguendum est: a) *aut adest in tali conversatione cum haeretico proximum peccandi periculum,* quo casu debet catholicus ab ea abstinere, et, si renuat, non potest absolvi, quia simpliciter est indispositus; b) *aut non adesse videtur tale periculum;* tunc si *catholica pars habet causam, et propositum non contrahendi* Matrimonium cum acatholica *nisi praestitis cautionibus et dispensatione obtenta,* edocenda quidem est et monenda, ut nihilominus illam conversationem abrumpat; attamen si

---

catholica non ita plene ab Ecclesia abalienetur. — Cfr. simile responsum S. Officii 17. Sept. 1871 apud *Feje, de impedim. matr.* ed. 2 pag. 436.

[1]) Cfr. *Münst. Pastoralblatt* a 1864 num. 1.

nolit, *non est deneganda absolutio,* quia id, quod facere intendit, non est absolute illicitum; c) si vero pars catholica propositum habeat ineundi Matrimonium quocumque casu, licet non exhibeantur cautiones, nec dispensatio concedatur, sane pro foro interno non est capax absolutionis, nisi serio promittat, statim se abrumpere velle eiusmodi connexionem, vel saltem mutet illud propositum, ita ut spondeat, se abstinere velle nisi pars acatholica cautiones praestet ac dispensatio impetretur. — Si sponsi mixtae religionis iam fecerunt sponsalia, hoc servandum est axioma: Quamvis pars catholica nihil dixerit de cautionibus; quamvis etiam temere se periculo committat, immo occulte forsan pactum sit de haeretica prolis educatione, tamen pro foro externo de censuris nondum constat;[1]) ergo in foro externo *ex hoc capite* non est repellenda a Sacramentis: Confessarius fortasse denegare absolutionem debet ob censuram et indispositionem, sed ad Confessionem admittat. Si denegari *publice* debet SS. Eucharistia, hoc ideo est, quia agitur de notorio peccatore; si fieri potest, Ordinarius consulatur. Si in sponsalibus cautiones exhibitae sunt, si petitio dispensationis promissa est et insuper gravis causa exsistit, absolutio non est deneganda. Si tanta causa non subest, videat confessarius, utrum severior agendi modus expediat, an secus. Attamen moneat saltem poenitentem, non valere talia sponsalia, nisi obtenta prius dispensatione, meliusque esse, ab eis etiam nunc recedere. — Si a proposito desistere nolit, sed a parocho expostulet, ut petat dispensationem, hic

---

1) Abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur et graviora rei catholicae mala obveniant" *(Pii VIII. Breve ad Episcopos Rhenanos d. d. 25. Mart. 1830).*

perpendat: a) num vere adsint sufficientes cautiones, b) num exsistant graves causae. Nisi ita sit, preces ne condat: si pars catholica est pertinax, *id* pro causa dispensationis ad Ordinarium deferat.

Quaeritur 2°, quid agendum sit, si pars catholica spretis monitionibus absque dispensatione coram protestante ministro valide quidem contraxerit?[1]) *In foro interno,* si pars illa facti poenitens, dolorem suum de crimine admisso manifestet, et ante Confessionem sinceram emittat protestationem de compartis procuranda conversione, item promittat se curaturam ut proles omnis in religione catholica educetur, necnon reparetur pro viribus scandalum, potest absolvi ab habente facultatem et secreto S. Communionis particeps fieri. Ita praeter Pium VIII. modo citatum etiam Pius VI. in suo Rescripto ad Card. de Frankenberg, Archiepiscopum Mechliniensem d. d. 13. Julii 1782. — Censemus tamen, eiusmodi poenitentes aliquando per aliquod tempus probandos esse, ut de eorum praedictis dispositionibus confessario sufficienter constare possit. Quaestio vero, an ad sacram Communionem, imprimis publice,

---

[1]) Ut facilior parti catholicae ad poenitentiam pateret aditus, et graviora mala praecluderentur, Pius VIII. Summus Pontifex voluit et mandavit, ut Matrimonia mixta, quae posthac in huius provinciae dioecesibus contraherentur, non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, si iisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur. — Quoad illos, qui, necessariis cautionibus non interpositis, nec impetrata Ecclesiae licentia, nuptias inierunt, ex eiusdem Summi Pontificis literis patet, eos tum solum, si de culpa dolent, et se ad illa, quae Ecclesia in permittendis mixtis Matrimoniis exigere solet, praestanda vere paratos exhibent, absolutionis esse capaces. (Cfr. *Conc. prov. Colon. p. 118 et 119; Augsb. Pastoralbl.* 1873, pag. 46.)

possint admitti, ex se est res *fori externi,* et pendet ab ea circumstantia, num in publico sufficienter reparatum sit scandalum; quarehac de re consulendus est Ordinarius, qui decidet, quasnam pro foro etiam externo conditiones praestare debeat pars catholica poenitens, ut plene cum Ecclesia reconcilietur et a censuris absolvatur. In Bavaria Episcopi, consulta S. Sede, statuerunt, ut res in solo foro interno per confessarium componatur; in aliis Germaniae dioecesibus compluribus Ordinarii exigunt, ut reconciliatio et absolutio a censuris fiat in foro externo per parochum et per recursum ad Ordinariatum.

B. De praecipuis impedimentis dirimentibus.

Impedimenta dirimentia comprehenduntur hisce versibus:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si Clandestinus et Impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Praecipuum discrimen advertendum est inter impedimenta *publica* et *occulta.*

Publica dicuntur ea, quae vel *suapte natura,* vel *per rerum circumstantias* sunt *notoria*, aut saltem in foro externo probari possunt. Huc pertinent *cuncti gradus prohibiti tam consanguinitatis, quam affinitatis ex copula licita, cognatio legalis et spiritualis, publica honestas*, *ordo* et *votum solemne.* Quamvis enim fieri possit, ut haec impedimenta in singulis casibus de facto ignorentur et lateant, nihil tamen minus de iure praesumuntur esse *publica.* Alia autem impedimenta, imprimis quae ex crimine, et quidem potissimum ex copula illicita proveniunt, aut publica aut occulta esse possunt,

pro rerum circumstantiis. Si de eiusmodi impedimento inter multos constat, dicitur *notorium:* quoties tale impedimentum per iudicialem sententiam, vel per aliud authenticum documentum probari potest, quamvis de facto adhuc ignoretur, *publicum* censetur. Si rumor vel fama adeo fertur de impedimento, ut rationabiliter illud credatur exsistere, pariter *publicum* est censendum.

Occulta dicuntur ea impedimenta, quae vel a nullo, vel a tam paucis sciuntur, ut neque sint famosa, neque manifesta, neque notoria notorietate facti vel iuris. Inter occulta Matrimonii impedimenta ea praecipue recensentur, quae *ex defectu consensus interni,* vel *ex copula illicita cum consanguineis coniugis in primo vel secundo gradu ante nuptias habita,* vel *ex crimine homicidii* aut *adulterii* oriuntur.

a) De impedimento *Erroris.*

Error versari potest vel *circa personam,* vel *circa qualitates,* inter quas numeratur *fortuna.*

Error circa personam — i. e. qui concernit substantiam et individuum personae, quacum Matrimonium contrahitur, ita ut, cum quis intendit contrahere cum una certa et in mente sua determinata persona, per errorem contrahat cum alia — *iure naturali irritat Matrimonium, quia per eiusmodi errorem tollitur consensus. Error circa qualitates personae* tunc solum irritat Matrimonium, si eiusmodi error qualitatis redundet in substantiam personae, i. e. si qualitas ita est parata, ut persona, quacum errans contrahit, plane sit alia, quam ea, quacum contrahere intendebat; ratio est, quia in hoc casu circa personam non praestatur consensus.

b) De impedimento *Vis et Metus.*

Vis et Metus Matrimonii valorem impediunt, quia consensus libertatem in utroque vel in altero contrahente non reliquunt integram. Immo lex positiva id effecit, ut, manente metu, Matrimonium ne a volente quidem valide contrahi possit.

Metus igitur irritat Matrimonium a) quando ita perturbat usum rationis, ut tollat advertentiam et libertatem; b) quando, licet non tollat libertatem, est tamen gravis, iniuste et in ordine ad Matrimonium incussus.

c) De impedimento *Cognationis.*

Cognatio, quae Matrimonium dirimit, triplex est, carnalis seu naturalis (quae dicitur consanguinitas), spiritualis, et legalis.

Cognatio carnalis, seu consanguinitas, est propinquitas personarum ab eodem stipite descendentium.

In consanguinitate tria distinguenda sunt, *stipes, linea, gradus.*

Stipes dicitur ea persona, ex qua originem ducunt, qui inter se consanguinitate coniuncti sunt; perinde est, utrum haec persona sit vir an femina.

Gradus est distantia, quae est inter consanguineos et communem stipitem, a quo ducunt originem; inde gradus numerantur ratione distantiae.

Linea est ordo, sive series personarum ab eodem stipite per varias generationes descendentium. Linea *diversos gradus* habet, et est duplex, *recta,* et *obliqua* seu *collateralis* vel *transversalis. Linea recta* est series personarum, quarum aliae ab aliis descendunt vel immediate, ut filii a parentibus, vel mediate, ut nepotes ab avis vel a proavis etc., et haec est vel *ascendentium,* qua nempe ascenditur ad progenitores, patrem et matrem, inde ad

avum et aviam, inde ad proavum et proaviam, inde ad abavum et abaviam; vel *descendentium,* qua descenditur ad progenitos, ad filium et filiam, inde ad nepotem et neptem, inde ad pronepotem et proneptem, inde ad abnepotem et ad abneptem.

Linea obliqua seu *collateralis* est ordo seu series personarum, quae ab eodem quidem stipite descendunt, ita tamen, ut earum una non descendat ab altera.

Consanguinei collaterales sunt:

a) Ex parte patris: *propatruus* seu frater proavi, *proamita* seu soror proavi, *patruus magnus* seu frater avi, *patruus* seu frater patris, *amita* seu soror patris, patrueles seu filii fratrum ex parte patris.

b) Ex parte matris: *proavunculus* seu frater proaviae, *promatertera* seu soror proaviae, *avunculus magnus* seu frater aviae, *matertera magna* seu soror aviae, *avunculus* seu frater matris, *matertera* seu soror matris, *consobrini* seu filii fratrum ex parte matris.

c) Ex utraque parte: *amitini* seu filii fratris et sororis; *sobrini,* horum filii; *nepotes,* filii fratris; *pronepotes,* horum filii.

Linea collateralis est *aequalis* vel *inaequalis;* aequalis est, quando personae in utraque linea collocatae aequaliter distant a communi stipite, ut duo fratres; inaequalis autem, cum eiusmodi personae a communi stipite inaequaliter distant, ut frater eiusque sororis filia.

Ad cognoscendos gradus consanguinitatis hae serviunt regulae:

Reg. 1. *In linea recta tam ascendentium, quam descendentium tot sunt gradus, quot sunt generationes*; sive *tot numerantur gradus, quot personae, stipite dempto.* Sic filius, vel filia uno gradu a

patre distat, nepos vel neptis ab avo duobus gradibus etc.

Reg. 2. *In linea collaterali aequali*, i. e. si personae aequaliter distant a communi stipite, *tot sunt gradus, quot sunt personae in una parte, stipite dempto*; vel *quo gradu ab eodem stipite singulae personae distant, eodem distant inter se*; vel *tot gradibus inter se distant, quot gradibus, seu generationibus distant a communi illo stipite.* Sic frater et soror sunt inter se in primo gradu; patrueles seu filii duorum fratrum in secundo gradu inter se consanguinei; idem de aliis dicendum est.

Reg. 3. *In linea collaterali inaequali* i. e. si personae inaequaliter distant a communi stipite, in eo sunt gradu consanguineae inter se, quo remotior *distat a stipite;* vel *tot sunt gradus, quot personae in parte remotiori, stipite dempto.* Sic frater coniunctus est in secundo gradu cum filia fratris sui; dicitur tamen *in secundo gradu attingente primum*: id quod observari et exprimi debet, quando agitur de petenda dispensatione.

Evenire autem potest, ut sponsi multiplici cognatione coniuncti sint, videlicet ita ut *multiplici modo* ab uno eodemque communi stipite descendant, aut ita ut eorum ortus ad *plures communes* stipites deducatur. Quae attendi debent, si agitur de petenda dispensatione. (Cfr. infra pag. 354 sqq.)

Consanguinitas in linea recta dirimit Matrimonium in infinitum, ut aiunt, idque, ut videtur, iure naturae; unde ascendentes cum suis descendentibus, et vicissim nunquam possunt validum inire Matrimonium. Praecipua huius impedimenti ratio petitur ex reverentia ac subiectione, quam ipsa natura inspirat erga parentes, quaeque familiaritati ac aequalitati coniugali valde repugnat. Constat quoque, infideles solo ductu rationis a tali matrimonio abhorruisse.

In linea autem collaterali consanguinitas Matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive, non quidem iure naturae, excepto forte primo gradu, sed iure ecclesiastico, ob necessitatem cohibendi concupiscentiam inter consanguineos; nam libidini fraenum laxari videretur, si Matrimonium inter personas illas iniri posset, quas simul habitare, aut saepius conversari plerumque necesse est. Accedit reverentia sanguini debita. Diximus iure ecclesiastico; nam in nova lege nullus consanguinitatis gradus ex praecepto divino positivo Matrimonium dirimit, sed Ecclesiae suae curam hanc et potestatem reliquit Salvator noster, ut pro circumstantiarum varietate ac necessitate impedimentum hoc ad varios gradus extenderet vel restringeret. Hinc. Conc. Trid. Sess. 24 can. 3 anathema dicit asserentibus, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant.

Cognatio spiritualis est propinquitas personarum iure ecclesiastico introducta ratione Baptismi et Confirmationis. Haec propinquitas iuxta s. Thomam in eo fundatur, quod utrumque Sacramentum sit spiritualis quaedam generatio seu nativitas, minus perfecta in Baptismo, quae assimilatur nativitati in utero, dum infans adhuc debilis est ac fovendus; perfecta vero in Confirmatione, per quam, inquit s. Doctor, homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi, quaeque comparatur nativitati ex utero.

Cognatio haec spiritualis vel Matrimonium praecedit, vel illud iam legitime contractum subsequitur. In primo casu constituit impedimentum, quod dirimit Matrimonium inter certas personas postea

contrahendum. Olim quidem ad plures hoc extendebatur; sed Conc. Trid. Sess. 24 *de reform. Matrim. cap. 2* illud ita restrinxit, ut iam solus baptizans et susceptores [1]) ex una parte singuli impedimentum contrahant cum prole baptizata eiusque parentibus ex altera parte. [2]) Similiter in Confirmatione. In secundo autem casu, dum scilicet cognatio Matrimonio iam legitime contracto supervenit, v. g. dum quis propriam utriusque, vel compartis prolem baptizat, vel tenet, tunc quidem illud Matrimonium non dirimit, utpote indissolubile, neque eius legitimum usum impediri, contra nonnullos S. Alphonsus ex *hodierna* praxi docet.

Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Legalis dicitur, quia tam ipsa adoptio, quam inde proveniens cognatio ex lege, iure scilicet Romano, ortum habent. Adoptio

---

[1]) 1. Susceptores nec inter se, nec cum baptizante ullum contrahunt impedimentum: unde ex hoc capite nihil obstat, quominus patrinus ac matrina eiusdem alienae prolis inter se Matrimonium ineant; item nec quominus duo coniuges simul de fonte levent eandem alienam prolem. 2. Ille, qui alterius nomine prolem alienam suscipit in Baptismo, vel tenet in Confirmatione, non contrahit cognationem spiritualem. 3. Etiam ex Baptismo ob necessitatem domi privatim (non solemniter) collato a susceptoribus contrahi cognationem spiritualem, S. C. C. tenet; at non contrahitur, quando caeremoniae solummodo supplentur.

[2]) Cognatio spiritualis inter baptizantem et susceptores cum prole baptizata, dicitur cognatio spiritualis in prima specie; cum eiusdem parentibus dicitur cognatio spirituales in secunda specie. Similiter in confirmatione. — Si quis *plures eiusdem personae filios* eodem Sacramento teneat, *cognationem spiritualem non augeri*, et consequenter opus non esse ad dispensationis validitatem, ut in supplici libello haec circumstantia exprimatur: decrevit *S. Officium* d. 29. April. 1894 *(Acta S. Sedis* vol. 27, p. 316).

autem est assumptio legitima personae extraneae in filium vel filiam per summi principis rescriptum. Itaque leges romanae turpe ac inhonestum reputantes, Matrimonium inter eos iniri, qui etiam imaginaria ac legali illa cognationis specie coniunguntur, irritas declararunt nuptias inter personas sequentes:

1° Inter adoptantem et adoptatum, huiusque descendentes, usque ad quartum gradum inclusive, quasi in linea recta, per similitudinem ad cognationem carnalem.

2° Inter adoptatum vel adoptatam et filios ac filias adoptantis, saltem dum huius liberi sub potestate paterna sunt, quasi in linea collaterali.

3° Inter adoptantem et uxorem adoptati ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, quasi in linea recta per modum affinitatis. In primo et tertio casu impedimentum erat perpetuum, ita ut, etiam soluta adoptione, perseveraret; in secundo autem casu illud impedimentum tamdiu durabat, quamdiu adoptio, vel subiectio filiorum naturalium.

Porro cognationem hanc legalem cum impedimento iuxta leges civiles inde proveniente recepit approbavitque Ecclesia, ut patet ex responso Nicolai I. ad consulta Bulgarorum; atque ex hac Ecclesiae approbatione provenit, ut legalis cognatio Matrimonium impediat seu dirimat, ut dicit S. Thomas.

d) De impedimento *Affinitatis*.

Affinitas est propinquitas personarum orta ex perfecta copula carnali, sive licita per Matrimonium, sive illicita extra Matrimonium; seu est cognatio quaedam communicata ratione copulae; qui enim per hanc fiunt una caro, sibi mutuo

communicant suos consanguineos, faciuntque illos alteri esse affines.

Contrahitur affinitas inter solum virum et consanguineos mulieris carnaliter cognitae, atque inter solam mulierem et consanguineos viri, non autem inter consanguineos inter se.

Habet quoque affinitas lineas et gradus suos sicut consanguinitas (Vide supra pag. 318).

In linea *recta* affinitas, sive oritur ex copula licita, sive ex illicita, Matrimonium dirimit in infinitum, ita ut inter unam partem et alterius ascendentes aut descendentes contrahi nequeat.

In linea autem *collaterali* affinitas ex copula licita Matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive; ex copula illicita usque ad secundum gradum inclusive [1]) *(S. C. C. 4. Jul. 1768)*.

Personae, quibuscum uxor, viro mortuo, non potest valide contrahere Matrimonium ob impedimentum affinitatis: a) *in primo gradu:* pater, fratres et filii mariti, si ex alio Matrimonio, vel ex illicita copula habuit filios; b) *in secundo gradu:* avus mariti, fratres patris mariti, fratres matris mariti, nepotes mariti ex eius fratre vel sorore,

---

1) Ex chirographo Gregorii PP. XVI. ad Pro-Datarium 22. Nov. 1836 habetur, non dispensari nisi urgentissima causa et de ea expresse testante pro conscientia Episcopo, *in primo consanguinitatis mixto cum secundo consanguinitatis*, ut si Titius ducere velit filiam fratris sui, aut sororis suae, scilicet suam neptem ex parte fratris aut sororis, *vel in primo affinitatis mixto cum secundo affinitatis gradu,* ut si Titius ducere velit filiam fratris suae uxoris, scilicet suam neptem ex parte uxoris *(Scavini tom. IV pag. 629 ed. 5 Paris):* haec, si agitur de impedimento publico: aliud est in impedimento occulto ex crimine orto, praecipue post matrimonium specie tenus contractum.

nepotes mariti ex eius filio vel filia, si is ex alio Matrimonio vel ex illicita copula filiam aut filium habuit; c) *in tertio gradu:* proavus mariti, fratres avi mariti, fratres aviae mariti; pronepotes mariti ex eius fratre vel sorore, pronepotes mariti ex eius filio vel filia, si is ex alio Matrimonio filium aut filiam habuit: d) *in quarto gradu:* abavus mariti, fratres proavi mariti, fratres proaviae mariti, abnepotes mariti ex eius fratre vel sorore, abnepotes mariti ex eius filio vel filia, si is ex alio Matrimonio filium aut filiam habuit.

Personae, quibuscum maritus, uxore mortua, non potest valide Matrimonium contrahere ob impedimentum affinitatis: a) *in primo gradu:* mater, sorores et filiae uxoris, si ea ex alio Matrimonio vel ex illicita copula filiam habuit; b) *in secundo gradu:* avia, sorores matris uxoris, sorores patris uxoris, neptes uxoris ex eius fratre vel sorore, neptes uxoris ex eius filio vel filia, si ea ex alio Matrimonio vel ex illicita copula filiam aut filium habuit; c) *in tertio gradu:* proavia uxoris, sorores aviae uxoris, sorores avi uxoris, proneptes uxoris ex eius fratre vel sorore, proneptes uxoris ex eius filio vel filia, si ea ex alio Matrimonio filium aut filiam habuit; d) *in quarto gradu:* abavia, sorores proaviae et sorores proavi uxoris, abneptes ex fratre vel sorore uxoris, abneptes ex filio vel filia uxoris, si ea ex alio coniugio filium vel filiam habuit.

Ut facile et certo cognoscatur, in quonam gradu affinitas inter duas personas exsistat, videndum est, quo gradu una persona sit consanguinea eius partis, quacum altera persona habuit carnale commercium. — Secundum hodiernam Ecclesiae disciplinam tres pro hac materia assignari solent regulae, nimirum:

Reg. 1. Inter duas personas, quarum neutra copulam habuit cum consanguinea alterius, affinitas esse non potest.

Reg. 2. Affinitas non parit affinitatem. Unde pater et filius ducere possunt matrem et filiam; duo fratres duas sorores; filius Joannis v. g. ex priore Matrimonio, nuptias inire potest cum filia novercae suae, quam haec ex anteriore quoque Matrimonio genuit; vitricus cum vidua privigni et noverca cum marito privignae (Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 9 cap. 13 num. 4)*.

Reg. 3. Qualis est gradus consanguinitatis ab una parte, talis est affinitas ab altera parte; cum enim vir et mulier sint una caro, una quoque utriusque fit propinquitas. Tanta ergo erit distantia affinitatis inter virum et consanguineos mulieris, quanta est distantia consanguinitatis inter mulierem ipsam eiusque consanguineos, et vicissim.

Disputatur inter theologos, quonam iure, utrum ecclesiastico tantum, an etiam naturali affinitas in primo gradu lineae rectae, dum ex copulo matrimoniali oritur, Matrimonium dirimat. Haec controversia parum ad praxim refert, cum constet (ut adnotat Benedictus XIV. *de Syn. dioec. lib. 9 c. 13 n. 9)*, Summos Pontifices, pluries rogatos, a simili dispensatione danda semper abstinuisse. De aliis autem gradibus tum lineae rectae, tum collateralis satis convenit inter Doctores, nullum scilicet ex illis iure naturali Matrimonium irritare. Quod etiam evidens fit ex praxi Ecclesiae, quae in illis gradibus frequenter dispensavit, atque etiam nunc dispensat. Idem dic, propter eandem rationem, de primo gradu lineae rectae, quando affinitas oritur ex copula illicita.

Qui peccavit cum duabus sororibus aut consobrinis germanis, aut cum matre et filia, nullam harum ducere potest absque dispensatione. Si vero

quis peccavit cum matre mulieris, quam ducere intendit, ante huius nativitatem, nunquam conceditur dispensatio, ne forte propriam filiam ducat in Matrimonium, nisi *certo* monstretur, hanc cognationem non exsistere.

Datur etiam affinitas, quae advenit Matrimonio iam contracto per completam copulam formaliter incestuosam unius coniugis cum consanguinea vel consanguineo alterius usque ad secundum gradum, et non ultra, ut patet ex declaratione Gregorii XIII. Haec non dirimit quidem Matrimonium, utpote quod sola morte dissolvatur, sed privat reum iure petendi debitum, donec dispensetur; reddere tamen innocenti, si illud petat, tenetur. Ab illo autem impedimento secundum *communem sententiam* excusat ignorantia *facti;* si v. g. maritus rem habet cum consanguinea uxoris in secundo gradu, sed omnino ignorans, eam esse consanguineam *(S. Alph. lib. 6 n. 1073)*. Etiam ignorantia *iuris,* i. e. si vir accedit ad consanguineam uxoris, nesciens praeter legem divinam adesse legem Ecclesiae id prohibentem, *probabilius* et *verius* excusat ab impedimento *(S. Alph. lib. 6 n. 1072)*. Immo solius ignorantia *poenae,* i. e. si quis habeat scientiam legis et facti, sed nesciat, tali fascinore amitti ius petendi debitum, secundum S. Alph. *(lib. 6 n. 1074)* satis probabiliter excusat.

Ab impedimento affinitatis, quae advenit Matrimonio iam contracto, dispensare potest Episcopus, sive vi legitimae consuetudinis, sive vi quinquennalium fori interni.

Denique advertendum, ad contrahendam quamcumque affinitatem requiri copulam perfectam, per quam vir et mulier fiunt una caro; in dubio autem praesumiter copula perfecta, si fuit perfecta ex parte viri.

e) De impedimento *publicae Honestatis.*

Publica honestas est propinquitas quaedam seu species affinitatis, orta ex sponsalibus, vel ex Matrimonio rato.

Impedimentum, quod inde oritur, fundatur in eo, quod minime decens seu honestum videatur, ut quis eam ducat, cum cuius consanguinea iam certam connexionem contraxit, sive per sponsalia, sive per Matrimonium: per hoc enim mulier fit vera mariti uxor, etiam ante consummationem; et per sponsalia imperfecte saltem coniunguntur.

Ante Concilium Trid. hoc impedimentum oriebatur ex omnibus sponsalibus absolutis, etiam invalidis, dummodo invalida non erant ex defectu consensus. Similiter oriebatur ex Matrimonio rato, etiam invalido, eodem modo ac dictum est de sponsalibus. In utroque autem casu impedimentum generatim extendebatur, ut consanguinitas et affinitas ex copula licita, usque ad quartum gradum inclusive. Hanc disciplinam, quoad impedimentum ex sponsalibus proveniens, immutavit Conc. Trid. *(Sess. 24 de reform. Matrim. cap. 3)*, 1° illud restringendo ad sola sponsalia valida et vera, licet sint clandestina, i. e. sine parocho aut testibus contrahantur; 2° statuendo, ut primum gradum non excederet. Itaque hodie, suppositis sponsalibus validis, impedimentum oritur tantum inter sponsum ac sororem, matrem, filiam sponsae; et vicissim inter sponsam et fratrem, patrem, filium sui sponsi. Notandum insuper est, non desinere impedimentum, si sponsalia valida quacumque de causa dissolvantur. At nihil immutavit Conc. Trid. circa hoc impedimentum, quatenus ex Matrimonio rato nascitur; itaque etiam hodie extenditur usque ad quartum gradum inclusive, et quidem ex Ma-

trimonio quoque invalido, modo invaliditas non proveniat ex defectu consensus. [1])

f) De impedimento *Criminis.*

Nomine *criminis,* quo Matrimonium ineundum irritum redditur, intelligitur adulterium simul cum homicidio, vel quodlibet seorsim, si modo certae concurrant conditiones, quae in iure canonico exprimuntur.

Impedimentum hoc ab Ecclesia inductum est, ut adulteria et iniquae machinationes contra legitimos coniuges hoc saltem freno cohiberentur, dum scirent homines, se his criminibus maculatos ad Matrimonium minime pervenire posse.

Contrahitur autem 1) ex solo adulterio; 2) ex solo homicidio; 3) ex adulterio simul et homicidio.

1. *Ex solo adulterio* oritur hoc impedimentum, a) dum inter adulteros sive post adulterium, sed vivente adhuc comparte, promissio ab una parte facta et ab alia parte acceptata est de Matrimonio

---

1) S. Congregatio Concilii ad dubium „*An actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis,*" die 13. Martii 1879 respondit: „*Negative, et consulendum Sanctissimo, ut id declarare ac statuere dignetur.*" Facta autem de praemissis relatione SS. D. N. per R. P. D. Secretarium S. C. C. in audientia diei 17. eiusdem mensis, Sanctitas Sua declaravit et statuit, „*praememoratum actum . . . in locis, ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. Sess. 24 cap. 1 de reform. Matrim., sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est (matrimonio ecclesiastico iam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi), meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum iustitiae publicae honestatis non producere.*" (Cfr. Thesaur. Resolut. S. C. C. tom. 138 pag. 183.)

post mortem compartis contrahendo; b) sive ante adulterium illa promissio facta neque retractata est; c) dum in iisdem circumstantiis Matrimonium non quidem promittitur, sed de facto attentatur.

Adulterium autem ab utraque parte debet esse formale; unde si una pars sit libera et simul alteram partem coniugatam esse ignoret, impedimentum non contrahitur.

2. *Ex solo homicidio* ut impedimentum oriatur, requiritur et sufficit, ut mors coniugis reipsa sequatur ex machinatione *utriusque* sive physice, sive moraliter, v. g. mandato, consilio etc. Disputatur autem, quousque requiratur, ut homicidium procedat ex intentione aut spe Matrimonium ineundi. Licet iura hanc intentionem expresse non requirant, videntur eam supponere ex fine legis. Sat probabile est, requiri eam intentionem saltem ex alterutra parte ita habitam, ut hac de re externe aliquo modo possit constare. Ceterum in foro externo semper praesumitur talis intentio, quando fit conspiratio et postea Matrimonium initur: et ita etiam pro foro interno in praxi praesumendum est.

3. *Ex homicidio cum adulterio.* Pro hoc casu sufficit, ut *alteruter* adulterorum aliquid machinetur seu influat efficaciter in mortem propriae, vel alterius compartis.[1]) Num requiratur simul intentio Matrimonii ineundi, eadem est quaestio ac

---

1) Bened. XIV. epist. ad Ignat. Realem 11. Oct. 1757 asserit, nullo exemplo constare, Summum Pontificem unquam dispensasse in huiusmodi impedimento publico, dum coniugis occisio secuta fuerat. Unde in facultatibus extraordinariis dispensandi in quibusdam impedimentis, quae Episcopis a S. Sede concedi solent, dum de criminis impedimento agitur, generatim hic casus excipitur; *neutro tamen coniugum machinante.*

in praecedenti casu; in foro externo praesumitur adfuisse. [1])

g) De impedimento *Clandestinitatis.*

Matrimonium clandestinum dicitur illud, quod contrahitur sine solemnitate ab Ecclesia requisita, nempe sine assistentia parochi proprii, vel alius sacerdotis de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duorum vel trium testium.

Huiusmodi Matrimonia clandestina olim fuisse valida, satis declaravit Conc. Trid. Sess. 24 de reform. Matrim. cap. 1, ubi anathemate quoque damnat eos, qui negant, ea vera et rata esse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Semper tamen Ecclesia eadem improbavit, et quidem praecipue propter pericula ac gravissima peccata, quae inde evenire solebant, praesertim dum quidam, relicta sua uxore, quacum prius clam contraxerant, cum alia palam contrahebant, et cum ea in continuo adulterio vivebant.

Huic gravissimo malo ut occurreret ac mederetur Tridentina Synodus, *(Sess. 24 de reform. Matrim. cap. 1)* sequens decretum tulit: *Qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero . . . huiusmodi contractui interfuerint, . . . graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. . . . Decernit insuper, ut huismodi decretum in unaquaque parochia*

---

[1]) Morte illata, intentio Matrimonii in foro externo praesumitur *(Correspondance de Rome a. 1852 col. 57).*

suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos. — In hoc decreto ostendit Conc. Trid., se non irritare solum Sacramentum, sed etiam contractum; immo ideo Sacramentum, quia contractum; contractum vero se irritare, reddendo personas inhabiles ad sic contrahendum.

Ex dictis sequitur, contractus clandestinos irritos esse in omnibus [1]) et solis parochiis ot locis, ubi Concilii decretum (qua tale) promulgatum fuit; quam promulgationem fieri voluit in singulis parochiis. Haec autem promulgatio facta praesumitur, ubicumque decretum illud usu receptum est. Ita iussu Pii VI. a particulari Congregatione Cardinalium declaratum est Episcopo Lucionensi die 28 Mart. 1793; idque conformiter ad resolutionem sacrae Congregationis Concilii d. d. 26. Sept. 1602, quae sic sonat: *Publicatio praesumitur, ubi id decretum fuit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum.* In aliis vero locis, ubi praefatum decretum nec publicatum, nec usu receptum est, valida adhuc sunt Matrimonia clandestina tam catholicorum, quam haereticorum *(Analecta iuris Pontificii a. 1853, col. 1066; cfr. Benedict. XIV. de Synod. dioec. lib. 12 cap. 5 n. 6)* [2]).

---

[1]) Ex Brevi Pii VIII. ad *Episcop. Rhenan. d. d. 25. Mart. 1830* matrimonia *mixta* in Rhen. et Westf. valida esse, etsi clandestine ineantur, vide pag. **315** not. **1**.

[2]) Per litteras apostolicas d. d. 15. Febr. 1892 Leo XIII. decrevit, ut etiam pro locis, in quibus coniugia clandestina valida habentur ... copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, neve pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur (quin tamen hoc decreto necessitas formae tridentinae servandae inducatur ad matrimonii validitatem, ubi illa forma modo necessaria non est.)

Cum circa hoc Concilii Tridentini decretum varia diversis temporibus exorta fuerint dubia, opportunum sit, praecipua hic recensere, paucisque resolvere.

1º *Quis censendus sit parochus proprius?* (Cfr. Nouvelle rêvue théol. tom. 12 pag. 578.)

Resp. Per parochum proprium intelligitur ille, qui proprius alicuius personae parochus seu sacerdos censetur pro Communione paschali, parochus scilicet domicilii, aut quasi-domicilii, [1]) idque sive viri, sive mulieris; Concilium enim circa hoc nihil determinavit, uti nec circa locum; unde validum erit Matrimonium, modo coram alterutrius sponsi porocho contrahatur, sive in propria parochia, sive alibi *(S. C. C. anno 1573, 1595:* cfr. Bened. XIV. *Instit. 33 et 88; decr. Cl. XI. 11. Jan. 1702; S. Alphons. l. 6. n. 1086 et 1087).*

Dum contrahentes in diversis districtibus parochialibus habitant, seu domicilium, vel quasi-domicilium habent, parochus eos licite coniungere

---

[1]) Cfr. pag. 303 Acquiritur quidem quasi-domicilium statim ipsa habitatione cum intentione manendi stabili modo alicubi per tempus notabile; attamen novus parochus sponsos ordinarie coniungere nequit, antequam per unum saltem mensem in sua parochia habitaverint (Bened. XIV. in Const. *Paucis abhinc hebdomadibus)*, quo melius scilicet deficientibus aliis argumentis, voluntas figendae habitationis probetur. Quae voluntas si revera abest, habitatio per mensem lege *communi* non efficit, ut quasi domicilium habeatur. Pro Statibus foeder. Americae septentr. autem speciali privilegio concessum est 6. Maii 1886, ut commoratio continua per mensem sine ulteriore animo habitandi sufficiat ad quasi-domicilium pro iis, qui e loco ubi viget lex Trident. in alium locum se transferunt: Zitelli *Apparatus iuris eccles.* p. 387. — Si quando dubium de valore oritur propter matrimonium ante mensem novae habitationis contractum, ad S. Concilii C. recurratur.

non potest, nisi acceptis prius litteris testimonialibus alterius parochi, quibus constet, nihil ex illa parte obstare, quominus ad Matrimonii celebrationem procedatur.

Episcopus per se, vel per alium sacerdotem a se deputatum valide assistit Matrimoniis omnium dioecesanorum suorum etiam invitis parochis; est enim proprius sacerdos sive parochus in tota dioecesi sua.

Similiter parochus per se, vel per sacerdotem a se delegatum valide assistit Matrimonio,[1]) licet ab Episcopo ipsi interdictum fuerit, ne eidem assistat nisi praeviae quaedam conditiones sint observatae, v. g. nisi debitae praecesserint proclamationes Parochus enim quoad *valorem* iure sibi ab Ecclesia concesso utitur; neque in potestate Episcopi est, novum statuere impedimentum dirimens, quod a solo Summo Pontifice, vel cum Concilio oecumenico induci potest. Prohibitio itaque Episcopi solummodo efficit, ut parochus *illicite* Matrimonio assistat.

Vagi autem, et qui nullibi fixas sedes habent, contrahere debent coram parocho loci, in quo degunt, dum contrahere volunt, quia nullus alius est proprius eorum parochus. Monet tamen Tridentinum (Sess. 24 cap. 7) omnes, ad quos spectat, ne genus hoc hominum ad Matrimonium facile admittant: *Parochis autem praecipit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint;* quam quidem licentiam Episcopus ex Instructione S. C. C. non concedit, nisi ei de statu libero authentica fides

---

[1]) Utrum et quando vicarii vel capellani valide Matrimonio assistere possint, vide *Augsb. Pastoralbl.* a. 1862 n. 39; 1864 n. 47 et 51; 1866 n. 30; *Köln. Pastoralbl.* a. 1868 pag. 148.

Ordinarii originis exhibeatur *(Scavini ed. Par. 5 IV pag. 603; cfr.* etiam *Acta S. Sedis VI pag. 442.)*

2° *Qualis praesentia parochi requiratur et sufficiat? — et quid de testibus?*

Resp. Requiritur et sufficit, ut parochus simul cum testibus praesens, tamquam talis a contrahentibus adhibeatur, atque etiam intelligat, quid ab ipsis agatur, ut scilicet tamquam testis de Matrimonii veritate coram Ecclesia fidem facere possit. Unde, etsi ad hunc finem non foret vocatus, sed casu, aut alia de causa, etiam invitus et per vim compulsus adesset: item, etsi extra ecclesiam, vel etiam extra parochiam fieret, etsi reclamaret, vel reluctaretur: validum nihilominus esset Matrimonium, modo adverteret, illud coram se contrahi; hoc enim sufficit, ut veritatem Matrimonii testari valeat; neque enim consensum parochi requirit Ecclesia, sed meram praesentiam, ut de Matrimonio contracto sibi constare possit *(Vide Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 13 c. 23 n. 1, 4 et 5).*

Quodsi parochus, licet materialiter praesens, a contrahentibus tamquam talis non adhibeatur, i. e. si ipse contrahentes non videat neque auribus verba eorum percipiat, seu si voluntas contrahentium ipsi non satis manifestatur: nullum erit Matrimonium, quia tunc eidem non assistit tamquam testis auctorizabilis pro Ecclesia. Si tamen ipse parochus tantum affectavit se non videre aut audire, cum revera tamen viderit atque intellexerit, validum est Matrimonium, ut approbante Pontifice S. C. C. anno 1753 declaravit. (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. l. c. n. 11.)*

Ex Conc. Trident. *(Sess. 24 de reform. Matrim. cap. 1)* certum est, non sufficere unicum testem pro valore Matrimonii. Patet etiam ex responso

negativo S. C. C. die 14. Januarii 1673, dato ad quaestionem „an stante bona fide sustineri possit pro valido Matrimonium coram parocho et unico teste contractum?"

Duo testes praeter parochum sufficiunt, nec requiruntur tres. Si vero duo sint abhibiti sed ante consensus declarationem alter eorum improvise locum copulationis reliquerit [1]) et verba consensum declarantia non audiverit, vel saltem signa non viderit, Matrimonium nulliter erit contractum, nisi aliae personae in ecclesia ita adfuerint, ut de actu ipso testimonium possint deponere.

In testibus nulla specialis qualitas a Conc. Trid. requiritur (Giraldi *Expositio iuris Pontif. II. 549)*; unde necesse non est, ut sint *omni exceptione maiores,* sed qualescumque, etiam feminae, pueri, infames, haeretici, schismatici, et infideles sufficiunt, modo eum habeant rationis usum, ut de contracto Matrimonio testari valeant. Standum tamen praxi, qua vagi et incerti domicilii testes, et pueri non accersuntur. Notandum insuper est, simul debere praesentes esse parochum et testes, nec sufficere, si adsint successive; Concilium enim Tridentinum satis illud indicat et vult, ut possint utrique de uno eodemque actu testari.

Nulla lege statutum est, ut testes expresse ad actum sint rogati; sed sufficit, si casu adsint, vel vi detineantur (S. Alph. *Homo apost. tract. 18 n. 70).*

Ad testimonium deponendum non requiritur, ut testes cognoverint, cuius nominis, familiae et conditionis sint contrahentes; bene autem requiritur,

---

[1]) Aeditui, qui quandoque in pauperum copulationibus tamquam testes adhibentur, saepius edoceri oportet, saltem eo temporis momento, ubi consensum contrahentes declarant, nullo modo eos abesse debere.

ut contrahentes ita saltem aspiciant et ad id, quod agitur, adeo advertant, ut postea dicere possint, hos esse, qui matrimonium contraxerint.

3° *Quid, si parochi proprii praesentia haberi non possit?*

Resp. Matrimonia, dum communiter neque ad parochum, neque ad Superiorem legitimum ullatenus, aut tantum difficillime seu periculosissime accessus patet, valida ac licita sunt, quoties duo saltem testes praesentes fuerint. Ita non semel declaratum fuit a Pio VI. tempore revolutionis Gallicae. In tali casu curare debent contrahentes, ut quoad fieri potest, coram testibus catholicis contrahant.

4° *Quid, si parochus sit intrusus?*

Resp. „Quoniam intrusus minime est parochus legitimus, neque ullum habet titulum, seu verum seu coloratum, Matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est; qua etiam de causa fideles abstinere debent, ne, parocho suo legitimo praetermisso, adeant intrusum. Caveant etiam fideles, qui matrimonio iuncti fuerint a parocho illegitime intruso, ne se sistant, ut ab eo ritu quovis sacro et religioso rursus Matrimonio coniungantur, vel ab eo petant veniam, qua possint ab alio sacerdote Matrimonii Sacramento coniungi et sacro ritu copulari.“ Ita Pius VI. in Instructione *Laudabilem* ad Episcopos Galliae, die 26. Sept. 1791 data.

5° *De ministro acatholico.*

Cum in quibusdam regionibus incolae, ut Matrimonium eorum censeatur validum, prolesque legitima, coram ministro haeretico vel infideli sese sistere debeant, eoque praesente, quandam matrimonialis contractus speciem inire: de hac re respondit S. C. S. Officii 29. Nov. 1674 hisce verbis: „Quatenus minister assistit Matrimoniis catholicorum ut minister politicus, non peccare contrahentes; si vero assistat ut minister addictus sacris,

non licere, et tunc contrahentes peccare mortaliter, et esse monendos." [1]) Caveant vero, ne a ministro caeremonias religiosas interponi permittant. (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 6 cap. 7 n. 2;* et Archiv für kathol. Kirchenrecht, 1866 tom. I. p. 232 et Acta S. Sedis vol. 16 pag. 207.)

6° *An valet Matrimonium, si sponsus catholicus et sponsa catholica e loco, ubi Tridentina lex viget, se in terras conferant, ubi Tridentinum non fuit promulgatum, aut si per tales terras transeant, ibique clandestine contrahant?*

Resp. 1° Si tales personae se in eiusmodi terras conferunt animo ibi figendi domicilium vel quasi-domicilium, validum ibi contrahunt Matrimonium clandestinum, quia non agunt in fraudem legis, immo sic est declaratum ab Urbano VIII. 14. Aug. 1627, *in una Coloniensi.* 2° Si tales personae alio fine, quam contrahendi Matrimonium v. g. negotiationis aut peregrinationis causa in locum non recepti Concilii Tridentini se conferunt, aut illic conveniunt, non est certum, eos valide ibidem Matrimonium contrahere posse sine praesentia sui parochi et testium, nisi acquisiverint ibidem verum vel quasi-domicilium. Cfr. hac de re S. C. C. in declaratione citata d. d. 14. Aug. 1627 confirmante Urbano VIII. 3° Si tales personae in eiusmodi terras se conferant neque quasi-domicilii figendi, neque negotiorum causa, sed praecise, ut ibi clandestine contrahant ac brevi redeant, *certum omnino* est, tale Matrimonium esse invalidum. Urb. VIII. ibid. (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 13 cap. 4 num. 10 et Institutio 33a.)*

7° *Quid, si quis e loco promulgati et recepti Concilii se confert ad locum, ubi promulgatum et re-*

---

1) Hanc monitionem aliquando silentio premi posse dictum est supra in fine notae, quae incipit pag. 311.

ceptum Concilium non est, ibique cum incola illius loci Matrimonium contrahit?

Resp. Sponsi, quorum unus habet domicilium in loco, ubi receptum est decretum Concilii Tridentini, et alius, ubi non est receptum, si contrahant clandestine in loco, ubi non est receptum Tridentinum, valide contrahunt, quia sponsus loci, ubi Tridentinum non est receptum, lege Concilii non tenetur, et privilegium suum alteri communicat, propter individuitatem contractus. (Cfr. *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 6 cap. 6 num. 12* et *Clemens XIII. in responso ad Archiep. Mechlin. a. 1767.)*

8 ⁰ *Quid de formalitatibus coram magistratu laico secundum leges civiles praestandis?*

Resp. Dum fideles, ut civilibus gaudeant iuribus ac privilegiis, Matrimonii sui declarationem facere tenentur coram magistratu civili, illud prae oculis semper habere debent, nullam ab ipsis Matrimonium contrahi, sed actum mere civilem exerceri, saltem ubi lex Trid. de clandestinitate viget: immo etiam ubi non viget, non *licet* isto actu verum matrimonium *velle* et sic clandestine contrahere. Atque hac de re monendi maxime sunt, si lex civilis hanc civilem declarationem ante religiosam exigit. Nota etiam, quod dixit Pius VI. in responsis ad Episcopum Lucionensem: „Nunquam etiam licebet fidelibus declarationem edere Matrimonii iam contracti magistratui civili, si forte astringantur aliam iniquissimam sane declarationem facere, se scilicet haud esse catholicos. . . . Sed ne fidelibus quidem permittendum, ut Matrimonii iam contracti declarationem coram civili magistratu faciant, si ob istam catholici pro non catholicis habeantur . . . quia publica hominum opinione pro heterodoxis reputantur omnes, qui civili magistratui sua Matrimonia declarant“ *(Pius VI. in dicta Instructione Laudabilem).*

5. De dispensationibus super impedimentis Matrimonii.

Quum matrimonii impedimenta, tam dirimentia, quam mere prohibentia, legi universali a SS. PP. statuta sint, Episcopis *per se* nulla competit potestas dispensandi in impedimentis Matrimonii, *nisi iuris* vel *Summi Pontificis concessio,* aut *consuetudo legitima* id permiserint.

In impedimentis vero, quae *iure divino,* seu *naturali* Matrimonium dirimunt, nec Summus Pontifex potest dispensare (solvere tamen potest vinculum Matrimonii rati nondum consummati). Eius generis sunt *ligamen, consanguinitas in linea recta, impotentia perpetua, error circa substantiam personae, sive in eam redundans, aetas carens usu rationis, defectus consensus propter vim et metum.*

In impedimentis prohibentibus et impedimentis dirimentibus, iure ecclesiastico statutis, Summus Pontifex dispensat.

Duo sunt Romae praecipua dicasteria, per quae Summus Pontifex dispensationes concedit, i. e. *Sacra Poenitentiaria,* et *Dataria.* [1])

Dispensationes *pro foro interno* pendent a sacra *Poenitentiaria;* dispensationes *pro foro externo* pendent pro canonice pauperibus sive a Dataria sive a Poenitentiaria, pro divitibus a Dataria tantum. At hoc loco *pauperem* accipere debemus eum, cui tot reditus, deductis oneribus, non supersint, quibus decenter pro sua conditione possit ali; eum, qui ex sua industria et labore tantum vivit, sensu canonico dicunt *miserabilem.* Deinde bene notan-

---

[1]) Dispensationes in impedimento *mixtae religionis* per se a S. Officio conceduntur. — In *casibus extraordinariis* quoad *omnia* impedimenta matrimonialia recurri potest ad *S. Congregationem super negotiis ecclesiasticis extraordinariis.* — Pro regionibus, quae subsunt S. Congregationi de Propag. Fide, haec omnes procurat dispensationes.

dum est, nobilem pauperem dici posse, etsi rusticum ex iisdem possessionibus divitem iure dicamus, et eum, qui degat in civitate, recte numerari inter pauperes, licet, si in pago vel oppidulo degeret, esset dicendus dives. [1]) — Unde sequitur, ad impetrandam *dispensationem in impedimentis occultis* ad sacram *Poenitentiariam, in impedimentis publicis* sive ad *Datariam* sive ad *Poenitentiariam* esse recurrendum. — In *matrimoniis invalidis* ob impedimentum publicum, sive bona sive mala fide *contractis,* dispensat S. Poenitentiaria pro canonice pauperibus; pro divitibus in eo solum casu, quo matrimonium bona fide contractum est.

Indispensabilia sunt impedimenta, quae 1) *ex defectu consensus,* 2) *ex impotentia,* 3) *ex errore* procedunt, 4) impedimentum *ligaminis* post consummatum Matrimonium, 5) impedimentum *consanguinitatis* in linea recta et primi gradus in linea collaterali, i. e. inter fratrem et sororem.

Vix unquam conceditur in nostris regionibus dispensatio super impedimentis 1) *cultus disparitatis*

---

1) Ex Brevi Pii VI. anni 1788, et ex posteriore declaratione anni 1841 ii reputabantur *pauperes,* quorum fortuna in capitali sive aliis bonis valorem circiter *3000 francorum* non excedit; ii vero, quorum bona ultra quantitatem et valorem *10000 francorum* non exurgit, dicuntur *fere pauperes.* Ex quibus constitutionibus et ex doctrina canonistarum fit, ut non ex solo valore patrimonii, neque secundum unam certam regulam universalem definiendum sit, qui sit pauper, qui miserabilis. In Ordinariorum prudenti aestimatione situm esse debet, quis secundum personarum locorumque circumstantias iudicetur pauper, quis non. — Quam maxime expedit, ut in libello supplici semper exprimatur, si conditio oratorum pauper est, nam si in casu canonicae paupertatis preces remittuntur ad S. Poenitentiariam, dispensatio citius, nonnunquam quam citissime conceditur, non ita apud Apostolicam Datariam.

inter baptizatos et non baptizatos,[1]) 2) *criminis* ex occisione coniugis, sive utroque, sive uno tantum mortem machinante, si crimen est publicum.[2]) 3) *affinitatis* ex Matrimonio ortae, in primo gradu lineae rectae,[3]) 4) *ordinis sacri,* 5) *professionis religiosae:* nisi tamen agatur de imminente periculo mortis, pro quo quae facultas concessa sit, v. pag. sequenti 343.

Satis difficulter sperari potest dispensatio super impedimentis: 1) *ligaminis* ex Matrimonio rato, non consummato, 2) *criminis,* etsi occultum est, si fit cum mortis machinatione, cum effectu secuto, 3) *consanguinitatis secundi gradus,* qui attingit primum, ita ut intercedat respectus parentelae, 4) *affinitatis secundi gradus,* qui mixtus est primo, 5) *cognationis spiritualis* inter levantem et levatum.

Ex iuris concessione vel ex consuetudine, vel ex

---

1) Verum si agatur de tali matrimonio mixto (sume inter partem catholicam et hebraeam), quod vitari vix possit, praesertim in matrimonio civiliter iam contracto: *S. Officium* concedere solet dispensationem sub consuetis conditionibus, quae pro matrimoniis mixtis requiruntur.

2) Cfr. nota 1 supra pag. 330 posita.

3) Si agatur de affinitate ex copula licita in linea recta, Sancta Sedes respondet: „non concedi"; si agatur de affinitate ex copula illicita, pariter in linea recta, non sine difficultate dispensatio conceditur, cui semper adiiciuntur clausulae speciales. Quare S. Poenitentiaria ad maiorem etiam cautelam, ne error quilibet obrepat ex aliqua aequivocatione vel errore, cum de affinitate agatur ex copula licita, in rescriptis adiungere solet, *in linea collaterali*, ut excludat lineam rectam. ... Inutiliter S. Sedi preces porriguntur, ut dispensatio obtineatur pro Matrimonio contrahendo inter privignum et novercam, inter soceram et generum, et viceversa, sc. generatim super impedimento affinitatis in linea recta ex copula licita *(Acta S. Sedis* vol. II pag. 127 et 128).

privilegio a S. Sede specialiter concesso Episcopi[1]) facultatem habent dispensandi:

1) *super omnibus impedimentis impedientibus, quae iure ecclesiastico statuta sunt*, excepto unico casu, si Summus Pontifex Matrimonium interdixerit; — *quoad ea vero impedimenta mere impedientia, quae in ius divinum seu naturale redundant*, Summo Pontifici reservata est dispensatio: ita in voto ingrediendi religionem et perpetuae castitatis, et in matrimonio mixto.

2) *Quoad impedimenta dirimentia* in casu necessitatis *periculi mortis* Leo XIII. decreto S. Officii d. d. 20. Febr. 1888 omnibus Ordinariis amplissimam dedit facultatem, etiamsi de casu publico agatur. Videlicet ut: „*locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo mortis periculo* constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super *impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente*“:[2]) ita tamen, ut si qua dispensatio in religiosa professione vel in sacro subdiaconatus sive diaconatus ordine danda fuerit, et dispensati post matrimonium rite celebratum convaluerint, Ordinarii debeant de imper-

---

[1]) Parochus et confessarius scire debent, quibusnam in casibus dispensare possit Ordinarius, ne sine causa recurrant ad sacram Poenitentiariam: nisi forte ratio secreti sacramentalis postulet vel suadeat, ut, praetermisso Ordinariatu, statim ad eam recurratur (van der Velden, *Praxis admin. Sacr. Poen. p. 213*).

[2]) Etiam super forma Trid., si observari nequeat, seu clandestinitate: S. Off. 13. Dec. 1899. — Includitur facultas *legitimandae prolis,* non tamen adulterinae, neque eius quae proveniat ex laeso voto sollemni sive religionis sive sacri ordinis: id. 8. Jul. 1903.

tita dispensatione S. Officio notitiam dare et interim omni ope curare, ut scandalum, si quod adsit, eo meliore modo, quo fieri possit, removeatur. Quae facultas valet relate ad eos, qui vel matrimonium civile celebraverint vel vivant in concubinatu (S. Off. 22. Sept. 1890), sive impedimentum afficit directe aegrotum, sive directe afficit compartem bene valentem (S. Off. 1. Julii 1891). Quam facultatem Ordinarii subdelegare possunt *habitualiter* parochis tantum pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora (S. Off. 1. Martii 1889).

Extra illud mortis periculum: 1. si agitur de casu fori externi publicove impedimento, Episcopus non potest ex praesumpta S. Sedis licentia dispensare, licet causa videatur urgentissima.[1])

2. Si autem agitur de causa occulta in foro interno tantum, necessitas exsistere potest, maxime matrimonio iam contracto, ex qua Episcopo liceat licentia praesumpta dispensare, dummodo concurrant hae circumstantiae: a) ut matrimonium iam

[1]) Interrogata „an Episcopus in casu urgentissimae necessitatis possit ante contractum Matrimonium in impedimento *publico* dispensare,“ S. C. C. die 13. Martii 1660 respondit: *Negative.* — Propositio asserens „posse Episcopum dispensare in *publico* impedimento Matrimonii dirimente consanguinitatis pro Matrimonio contrahendo ..., in urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint exspectare dispensationem Sedis Apostolicae“ a theologis S. Inquisitionis dicta fuit *falsa, temeraria, scandolosa et seditiosa,* et ipsa S. C. C. die 19. Januarii 1661...edixit, mox exscriptam propositionem esse „*falsam* et *temerariam*“. Probabile tamen manet sententia, posse Episcopum in tali necessitatis casu dispensare, idque potestate *ordinaria*, in impedimento ex natura sua quidem publico sed *per accidens occulto,* aut in impedimento materialiter quidem publico *sed formaliter,* i.e. qua impedimento, *occulto.* Cfr. *Gennari, Consultazione 127.*

fuerit contractum in facie Ecclesiae; b) ut contractum fuerit bona fide, ex iuris aut facti ignorantia, saltem ab una parte; c) ut impedimentum sit occultum; d) ut non possit facile adiri prima sedes; e) ut non possit fieri manifestatio erga partem illam, quae bona fide egit, neque separatio sine scandali aliorumve malorum timore. Cfr. S. Alph. l. c. n. 1123 et 1124.

3. Immo, etsi agitur *de dispensatione ad Matrimonium proxime contrahendum,* facultas dispensandi ex praesumpta licentia *in impedimento occulto et in foro interno tantum* iuxta plurimorum sententiam Episcopis vindicatur, dummodo adsint urgentissimae causae, nec Summus Pontifex prius consuli, nec Matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo et paratorum ad nuptias infamia. (Cfr. *Bened. XIV. l. c. l. 9 c. 2 n. 2.*) Si recursus ad Episcopum haberi nequit, quia nuptiae omnino in crastinum celebrandae sunt, et Episcopus longe distet, parochus vel confessarius prudens, utendo epikeia, aperte declarare potest parti impedimenti (occulti) consciae, talem humanam legem pro tunc non obligare; quia tunc lex cessat in particulari non tantum *privative,* quatenus redditur inutilis, quo in casu adhuc obligat; sed cessat etiam *contrarie,* quatenus fit nociva; unde cessat habere rationem verae legis. Notant tamen auctores (Roncaglia, Lugo, alii), quantocius saltem pro maiore securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiae leges, recurrendum esse ad sacram Poenitentiariam, ut obtineatur dispensatio, seu declaratio [1]) (Scavini *tom. IV pag. 621 n. 578* et Schneider, *Lectiones quotidianae* pag. 681).

---

[1]) Ex principio modo enuntiato, quod S. Alphonsus lib. 6 n. 613 tacite approbat; videtur aliquando in casu summae necessitatis simili modo agere licere, si post matrimonium contractum eius nullitas detegitur, neque via patet debitum

4. Vi facultatum quinquennalium,[1]) in quantum spectant causas matrimoniales, Episcopi privilegio fruuntur:

a) pro foro externo:

„III. Dispensandi in 3 et 4 simplici, et mixto[2]) tantum, nedum cum pauperibus, sed etiam cum nobilibus et divitibus in contrahendis et contractis; cum haereticis vero conversis, etiam in 2 simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam."

„IV. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus proveniente."

„V. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante; ac restituendi ius petendi debitum amissum."

„VI. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum." [3])

---

coniugale declinandi, nisi pars rea cum propria infamia periculum summum discordiae et scandali velit incurrere.

[1]) Cfr. *Katholik* a. 1859 pag. 249; Epistola encyclica *Cardinalis Pacca* die 30. Nov. 1786 ad parochos Moguntinos, Colonienses et Trevirenses data (quae habetur in „Memorie sulla Nunziatura in Colonia"), et (Feller) „Véritable état du différent élevé entre le Nonce apostolique résidant à Cologne et les trois électeurs ecclésiastiques au sujet d'une lettre circulaire adressé aux curés de leurs diocèses." Düsseldorpii 1787. – Facultates quinquennales fori externi conceduntur a S. Congregatione de Propag. Fide, fori interni a Sacra Poenitentiaria.

[2]) Hanc facultatem non intelligendam esse *de tertio gradu mixto cum secundo,* S. C. Inq. declaravit die 30. Nov. 1760, sed valet de *quarto*, de *quarto attingente tertium,* de *tertio:* sive consanguinitatis sive affinitatis; adest autem etiam, quando cognatio multiplex est ex diversis stipitibus. S. Offic. 15. Jun. 1875 et 16. Mart. 1898.

[3]) Neque inter baptizantem et baptizatum; S. Offic. 3. Dec. 1902.

„VII. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 3, 4, 5 et 6 non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat, et in dispensationibus huiusmodi declaretur expresse, illas concedi tamquam a Sedis Apostolicae delegato, ad quem effectum etiam tenor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae. [1])

„XX. Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum eius conscientiam iudicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus; ut sede vacante sint, qui possint supplere, donec sedes Apostolica, certior facta, quod quamprimum fieri debebit, per delegatos aut per unum ex eis, alio modo provideat."

b) pro foro interno:

„IX. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi, qui Matrimonium cum dicto voto contraxerit; huiusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum Matrimonii usum, quam si marito, seu uxori respective supervixerit."

„X. Dispensandi cum incestuoso, sive incestuosa, ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit

---

1) Ad sequens dubium: „an dispensatio super impedimentis matrimonialibus ... quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data sit *informis*, eo quod tenor facultatis etc. expressa non sit, vel quia telegraphice ... paucis verbis concessa est" S. Congr. Inquisitionis die 15. Junii 1878 respondit: „Affirmative, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel si rapta, in potestate raptoris non exsistat. Clausulas vero servandas ad amussim esse, quantum tamen rerum, temporum, locorumque adiuncta ferre possunt."

ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris, seu respective mariti, remota occasione peccandi, et iniuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione sacramentali quolibet mense, per tempus arbitrio dispensantis statuendum."

„XI. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de Matrimonio cum dicto impedimento iam contracto: et quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post eiusdem putatae uxoris nativitatem, et non aliter; monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur; et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas: remota occasione peccandi, ac iniuncta gravi poenitentia salutari et Confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum."

„Item: Dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in Matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis vestrae Dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec Matrimonium absque periculo gravis scandali differri possit usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio: [1])

---

[1]) Sacra Poenitentiaria die 30. Julii 1873 declaravit, „facultatem dispensandi *pro foro conscientiae tantum* in ma-

remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum matre mulieris huius nativitatem non antecedat; iniuncta in quolibet casu poenitentia salutari."

„XII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus in quibus tempus non suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem; inuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari, et Confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus dispensantis pariter arbitrio statuendum."

NB. 1. Iniunctio confessionis sacramentalis, de qua sub numeris X, XI et XII praeceptiva quidem est, non ita tamen, ut eius omissio dispensationem faciat invalidam.

NB. 2. Episcopi praedictis facultatibus fori interni non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possunt.

5. Praeterea aliae facultates Episcopis concedi solent, nempe:

I. Facultas dispensandi in impedimento mixtae religionis, sive pro determinato numero casuum sive ad quinquennium — per S. Officium.

---

trimoniis contrahendis super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, quando omnia parata sunt ad nuptias, et deest tempus recurrendi ad Apostolicam Sedem, valide ac licite exerceri, etiamsi praedictum impedimentum multiplex sit. Idem declaravit S. Romana et Universalis Inquisitio die 15. Junii 1875. Vide simile quid ex iis quae dicta sunt pag. 346 cum not. 2.

II. Facultas dispensandi, quoties impedimentum mixtae religionis concurrat cum uno vel pluribus aliis impedimentis dirimentibus ex iis, in quibus Episcopo specialis dispensandi facultas, facta est a S. Sede: ad biennium — per S. Officium.

III. Facultas dispensandi quando plura concurrant impedimenta dirimentia ex iis, in quibus Episcopo specialis dispensandi facultas facta est a S. Sede: ad biennium — per S. Congreg. Negot. Eccles. Extraord. — Dein pro certo numero, e. g.

IV. Facultas dispensandi in I gradu aff. ex copula licita lineae collat. pro 10 casibus; in II gradu sive cons. sive aff. lineae collat. pro 30 casibus; — in II gradu mixto cum III sive IV cons. vel aff. pro 20 casibus — per S. Poenit. vel per S. Congreg. Negot. Eccles. Extraord.

V. Facultas dispensandi in I gradu aff. sive simplici sive mixto cum II ex copula illicita pro 20 casibus — per S. Poenitentiariam.

VI. Facultas dispensandi in II tangente I gradum sive consanguinitatis sive aff. lineae collat. pro 5 casibus — raro conceditur sive per S. Congreg. Negot. Eccles. Extraord. sive per S. Officium.

VII. Facultas, ut Episcopus uti valeat indultis suis specialibus *sive agatur de matrimonio contrahendo, sive de contracto* — per S. Congreg. Negot. Eccles. Extraord. — NB. Aliter illae facultates tantum valent, quantum sonant, neque transferri possunt a casu matrimonii iam (specietenus) contracti ad matrimonium contrahendum.

6. Quomodo petendae sint dispensationes.

(Regulae pro conficiendis libellis supplicibus.)

1ª In precibus, quibus dispensationes *pro foro interno a Poenitentiaria* petuntur, non exprimuntur

vera nomina Oratorum, seu dispensandorum, sed ponuntur nomina ficta v. g. Caius, Titius, Bertha, Petronilla. Dispensandi causa nude proponitur, nec adiicitur Episcopi testimonium de causae veritate.

2a In precibus autem, quibus dispensationes *pro foro externo a quocumque* petuntur, exprimenda sunt vera nomina et cognomina Oratorum, cum dioecesi, ex qua sunt oriundi;[1]) quodsi sint diversae dioeceseos, utriusque dioecesis nomen adiici debet. Adiicendum porro et Episcopi seu Ordinariatus formale testimonium de veritate causarum allatarum.

3a Si quis duobus impedimentis est obstrictus, quorum unum occultum, alterum publicum est, ad utrumque tribunal recurrere et in foro interno utrumque impedimentum, in foro externo vero solum impedimentum publicum exponere debet. In

---

1) Error in nomine vel cognomine Oratorum, vel dioeceseos aut parochiae secundum aliquos valori dispensationis non obest, modo constet de *corpore*, i. e. de impedimento et causa et de identitate personae. Contrarium quoad nomen Oratorum (nisi mutatio sit minima) et dioecesis absolute tenet *Corradus*, et *Schmalzgrueber* (in lib. IV. Decret. tit. 16 n. 156) rationem addit his verbis: quia, quando in nomine dioecesis contingit error, *nullus* Ordinarius posset exsequi litteras: non proprius Oratorum, quia eidem, ut supponitur, non fuit data commissio, nec etiam ille, cui data est per errorem, quia est contra intentionem dantis, qui non nisi Ordinarium impetrantium delegare intendit, conformiter ad Conc. Trident. Sess. 22 cap. 5 de reform. *(Gury II n. 875 edit. IV, Ratisb.;* cfr. *Münst. Pastoralblatt 1873 num. 4).* — De cetero S. Poenitentiaria concedit specialem facultatem convalidandi litteras dispensatorias super impedimentis matrimonialibus, quae nullae fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium in matrimoniis tam contrahendis quam etiam in facie Ecclesiae iam contractis.

libello supplici ad forum internum hoc casu adiici debet, pro foro externo etiam petitam esse dispensationem, et tunc rescriptum Poenitentiariae sanat dispensationem publicam, quae ex se non valeret ob clausulam adiici solitam: *modo aliud non obstet impedimentum.*

Si impedimentum occultum, super quo Poenitentiaria pro foro interno dispensavit, fit publicum, et deducitur ad forum contentiosum, de novo petenda est dispensatio in foro externo, quia dispensatio prior nonnisi pro foro conscientiae valebat. [1])

4a Petens dispensationem super impedimento sedulo caveat, ne in libello supplici exprimat falsum, aut occultet verum, praesertim in iis, quae sub poena nullitatis exprimenda sunt; alias dispensatio foret subreptitia vel obreptitia, ideoque nulla.

Impedimentum, de quo petitur dispensatio, clare et distincte proponendum est, cum omnibus qualitatibus intrinsecis, sive iis, quae necessaria sunt ad ipsius cognitionem, [2]) ut ad cognoscendam consanguinitatem necessaria est notitia lineae et gradus. Etiam numerus impedimentorum est exprimendus; e. g. si praeter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex aut multiplex

---

1) Si praeter impedimentum certum adest aliud dubium, hoc (saltem si est dubium facti) etiam in precibus exprimendum est, ut ad cautelam etiam huius dispensatio detur.

2) Invalida esset dispensatio, si in petitione affinitas pro consanguinitate, vel consanguinitas pro affinitate exprimeretur. Idem dicendum, si exprimeretur gradus tertius pro secundo, aut quartus pro tertio; multo enim difficilius conceditur dispensatio pro gradu propinquiori, quam pro remotiori. Complures aliter putant discendum, si ex errore poneretur gradus tertius pro quarto, quia dispensatio *in maiori* continet dispensationem *in minori* eiusdem speciei. *Gasparri* l. c. n. 357 tamen *contrarium* dicit *verum.*

consanguinitas vel affinitas.[1]) Exprimenda est vera[2]) et legitima causa movens et sufficiens ad impetrandam dispensationem, nempe una aut plures ex iis, quae in sequenti capite recensebuntur.

5a In libello supplici, olim necessarium erat, ut exprimeretur *copula incestuosa* inter Oratores habita, vel post petitam sed nondum exsecutioni datam dispensationem commissa vel iterata, eaque sive cum scientia sive cum ignorantia malitiae incestus patrata; insuper debebat explicari prava intentio facilius extorquendi dispensationem, si uterque sponsorum hoc fine peccatum perpetraverat.

Verum die 25. Junii 1885 per decretum nomine Leonis XIII. editum haec abolita sunt, simulque statutum et declaratum, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras.

Pro dispensationibus ante hoc Decretum diei 25. Junii 1885 concessis valet lex vetus. Quare si quem incestum sponsi reticuerunt, accidere potest, ut etiam nunc sanatio dispensationis ac proin matrimonii revalidatio procuranda sit. Quam dispensationis sanationem Episcopi concedunt per litteras quas vocant *Perinde valere,* i. e. dispensationem seu dispensandi facultatem nunc concedi perinde ac si incestus ille non occultatus esset: quae facultas Episcopis a. S. Poenitentiaria tribuitur una cum facultate convalidandi litteras dispen-

---

1) De qua re cf. supra pag. 320.

2) Si dubitatur, utrum causa falso allegata fuerit finalis an impulsiva, item, si dubitatur, utrum causa fuerit vera an falsa, et in similibus dubiis dispensatio censenda est valida *(S. Lig. lib. 6 num. 1133).*

satorias, que nullae fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium.

Si quis copulam habuerit illicitam cum consanguinea sponsae, indeque propter impedimentum occultum affinitatis dispensationem petit, iterumque rem habuerit cum eadem consanguinea sponsae, antequam eam duxerit, peccatum quidem commisit grave, sed ex *communi* omnium sententia non indiget nova dispensatione, si dispensatio nondum fuit exsecutioni mandata ab eo, cui commissa est (cfr. *Sanchez l. 8 disput. 24 n. 8)*; *probabilius* etiam non indiget nova dispensatione, licet dispensatio exsecutioni mandata fuerit: quia affinitas iam sublata est per dispensationem, quoad effectum contrahendi Matrimonium (cfr. *S. Lig. lib. 6 n. 1140)*; si vero peccaret cum alia consanguinea sponsae, nova dispensatione indigeret. (Cfr. *Gury II n. 871.)*

6a Cum dispensatio petitur super *consanguinitate* vel *affinitate*, *specialiter debet exprimi* gradus [1]) et si inaequaliter distent, etiam gradus propinquior, v. g. dicendo: *quia in tertio tangente secundum gradum consanguinei sunt.*

---

1) Inaequalitas distantiae exprimitur modo sequenti; quartus gradus attingens tertium; sive: tertius et quartus gradus inaequalis; sive: tertius et quartus gradus ex communi stipite; sive: quartus gradus mixtus cum tertio. Si gradus sunt inaequales, uterque exprimendus erit; reticito propinquiore, si hic est *primus,* dispensatio non valet; sin ulterior, valet, sed in foro externo necesse est ut impetrentur litterae declaratoriae super gradu propinquiore. Quod dictum est, valet, si dispensatio conceditur a Dataria; si vero impetratur a S. Poenitentiaria, tunc reticito gradu propinquiore, videtur dispensatio semper invalida esse, quia S. Poenit. *dispensare* super utroque gradu communiter dicitur: *v. Feije, de imped. etc.* ed. 2 p. 669; *Gasparri* l. c. n. 357.

Schema, in quo linea et gradus videri possint, bene inservit ad informandam Cancellariam episcopalem, atque ab ea non raro postulatur. In libellis supplicibus ad S. Sedem datis non requiritur nisi ut praeter ipsum impedimentum in ultima specie et gradu indicetur provenientia impedimenti, quatenus haec ex ipsa eius specie et gradu non satis indicatur, et ut exprimatur, si adsit pluralitas stipitum vel laterum.[1] Hinc dicendum:

Oratores consanguinei sunt in secundo gradu tangente primum, quia Orator est patruus (*frater patris*) vel *avunculus* (*frater matris*) *Oratricis;* aut vice versa: *quia Oratrix est amita (soror patris)* vel *matertera (soror matris) Oratoris.*

Oratores consanguinei sunt in secundo gradu lineae collateralis (Sufficit sine addito).

Oratores consanguinei sunt in secundo gradu ex

---

1) Si quis habet plura impedimenta affinitatis eiusdem gradus, id est si affinitas provenit ex multiplici latere, puta si cognoverit duas sorores sponsae suae, debet exprimere utramque copulam in supplicatione dispensationis, quia in simplici non comprehenditur multiplex; et licet haec impedimenta (idem valet de aliis impedimentis consanguinitatis, cognationis spiritualis, publicae honestatis etc.) non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta (*Bened. XIV.* in Brevi „Etsi matrimonialis" *d. d. 30. Sept 1755* et *S. Lig. lib. 6 n. 1138*). — In petenda dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex Matrimonio consummato cum defuncto coniuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est ut mentio fiat illicitae huiusmodi copulae, quemadmodum patet ex Responso S. Poenitentiariae diei 20. Martii 1842 probante S. M. Gregorio XVI. ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse idem tribunal litteris diei 10. Dec. 1874 edixit.

uno stipite et in tertio gradu ex altero stipite lineae collateratis: (i. e. si duplex illa consanguinitas adest).

Oratores sunt affines in primo gradu, quia Orator est viduus ex sorore Oratricis; vel: *quia Oratrix est vidua ex fratre Oratoris.*

Oratores sunt affines in primo gradu ex copula illicita Oratoris cum matre Oratricis (quae copula post nativitatem Oratricis[1]*) locum habuit);* — vel: *Oratores sunt affines in primo gradu ex copula illicita Oratoris cum sorore Oratricis.*

Oratores sunt affines in secundo tangente primum gradum, quia defuncta uxor Oratoris erat amita (vel: *matertera) Oratricis;* aut vice versa: *quia defunctus vir Oratricis erat patruus* (vel: *avunculus) Oratoris.*

Oratores affines sunt in secundo tangente primum gradum, ex copula illicita Oratoris cum amita (vel: *matertera) Oratricis;* aut vice versa: *ex copula illicita Oratricis cum patruo* (vel: *avunculo) Oratoris.*

Oratores affines sunt in secundo gradu lineae collateralis ex copula licita (aut: *ex copula illicita).*

Oratores sunt affines in tertio gradu lineae collateralis.

Oratores sunt affines in tertio gradu ex uno latere, et in quarto tangente tertium ex altero latere lineae collateralis.

Notanda: 1. De consanguinitate dicitur etiam sic: Oratores invicem *coniuncti sunt;* de affinitate: Oratores invicem *se attinent.*

2. In secundo et in remotioribus gradibus sive consanguinitatis sive affinitatis additur, agi de linea collaterali; in gradibus propinquioribus linea,

[1]) Si enim ante nativitatem Oratricis copula locum habuit, dispensatio dari nequit, nisi certo probetur, Oratorem non posse esse patrem ipsius Oratricis.

utrum sit recta, an collateralis, apparet ex explicatione provenientiae impedimenti.

3. De impedimento *consanguinitatis* pluralitas impedimentorum dicitur provenire *ex multiplicitate stipitum;* in impedimento *affinitatis ex multiplicitate laterum.*

4. In affinitate secundi gradus semper addendum est, utrum ex copula licita, an illicita sit orta; in primo gradu id apparet et explicatione provenientiae impedimenti; in tertio et quarto gradu non adest affinitatis impedimentum nisi ex copula licita.

7a Si super *impedimento publicae honestatis* dispensatio petatur, debet exprimi, utrum sit ex *sponsalibus de futuro,* an ex *Matrimonio rato non consummato,* quia posterius fortius est vinculum, quam prius.

8a Pro dispensatione super *impedimento cognationis spiritualis* exprimendum est, utrum agatur de cognatione spirituali in *prima,* an in *secunda specie,* videlicet utrum intercedat filiatio et paternitas seu maternitas (in hac prima specie solet difficulter tantum dispensari), an vero solum compaternitas, seu commaternitas. In hac posteriore autem specie praeterea exprimi debet, si cognatio spiritualis sit duplex, puta si quis alicuius prolem unam e fonte levavit, et eandem in Confirmatione tenuit; vel eiusdem prolem unam tenuit, et alteram levavit: vel si unus alterius liberos vicissim levavit; haec tamen cognatio ex declaratione Clementis VIII. non multiplicatur, nec erit necesse exprimere, si quis plures eiusdem liberos e sacro fonte levavit, aut in Confirmatione tenuit. In supplica ergo ponatur: Oratores sunt spiritualiter cognati iu 2da specie, quia Oratrix prolem Oratoris e sacro fonte levavit.

9ª Quando petitur dispensatio super *impedimento criminis*, exprimendum est, utrum sit ex machinatione utriusque in mortem coniugis cum promissione Matrimonii, an ex adulterio sine machinatione, sed cum promissione, vel an ex utroque simul; quia si ex machinatione utriusque procedat, Papa pro foro externo nunquam dispensat, et pro interno difficulter.

10ª Si petatur dispensatio ad validandum matrimonium invalide contractum, exprimi debent fere haec: a) utrum partes, vel earum saltem una, bona an mala fide i. e. *cum* notitia impedimenti an *sine* ea, contraxerit; b) num contraxerint in facie Ecclesiae; c) num Matrimonium sit consummatum; d) an proles suscepta; e) num ab usu Matrimonii, bona fide contracti, cognito impedimento, abstinuerint; f) num impedimentum modo utrique coniugi sit notum.

11ª Si Oratores sunt canonice pauperes, hoc in precibus semper exprimendum est, etsi non certe pro valore dispensationis, tamen ad minuendos sumptus. Per se enim distingui debet dispensatio oratoribus tamquam pauperibus et dispensatio in forma pauperum danda. Ut iis *tamquam pauperibus* detur, sensu canonico pauperes esse debent, idque Ordinarius testetur oportet. *In forma* autem *pauperum* eae dispensationes vocantur, quibus peculiares quaedam clausulae propriae sunt et quae conceduntur ob copulam habitam eiusve suspicionem; dispensationes ex causis honestis conceduntur in forma communi seu ordinaria.[1]) Hinc appa-

---

1) Aliam distinctionem attende sive formae pauperum sive formae ordinariae:

Dispensatio *in forma gratiosa* appellatur, quando Superior ecclesiasticus eam per se directe Oratoribus applicat; ea igitur non indiget ulteriore exsecutione, seu fulminatione.

ret, quod dispensationes, quae canonice pauperibus dantur, etiam expediuntur in *forma* pauperum si adest copula eiusve suscipio, in forma vero ordinaria si adsunt causae honestae. Eadem regula in praxi observatur, si oratores sunt divites: quibus proin conceditur dispensatio in forma communi, si causae allatae sunt honestae; in forma pauperum, si causae sunt inhonestae. [1])

Dispensatio *in forma commissoria* appellatur, quando Superior ecclesiasticus non praecise dispensat, sed facultatem dispensandi alteri committit.

[1]) Quod ad taxas solvendas in dispensationibus fori externi attinet, haec notanda sunt:

Apud Datariam Apostolicam introducta est maior taxa determinata, quae solvenda est, nisi reductio obtineatur. Quodsi Oratores canonice pauperes sunt, ita tamen ut aliqua bona fortunae possideant: 1) apud Datariam ipsi offerant, ad quod solvendum parati sint; 2) apud S. Poenitentiariam per se debent solvere taxam ex officio pauperibus statutam, quae est pro primo gradu vel pro secundo attingente primum 32 lib. (seu fr.), pro secundo gradu 26 lib., quibus accedunt 5 lib. pro agentia (igitur: 37, resp. 31 franc.); 3) si totam hanc taxam solvere nequeant vel renuant, offerant ipsi, quod solvere parati sunt, hic verbis: „*Oratores sunt pauperes et offerunt (v. g. decem lib.) in totum*"; 4) si Oratores nihil solvere valent, id exprimi debet, et dispensatio eisdem gratis conceditur.

Pro matrimoniis revalidandis, quae ob impedimentum publicum nunc detectum invalida sunt, sed in facie Ecclesiae bona fide contracta, S. Poenitentiaria gratis omnino dispensat, sive Oratores sunt pauperes, sive non. — Si vero mala fide contraxerunt; cum pauperibus S. Poenitentiaria dispensat, imponendo consuetam taxam ut supra, nisi eius remissio partialis vel totalis impetretur; cum divitibus dispensat Dataria Apostolica, imponendo eandem taxam, quae statuitur pro dispensationibus pro matrimonio nunc primum contrahendo.

Fori interni dispensationes *omnes* gratis omnino dantur.

12a Ad obtinendas ab Apostolica Sede dispensationes super impedimentis Matrimonii in foro externo parochi et confessarii libellum supplicem rite[1]) confectum ad Ordinarium suum dirigant, eumque rogent, ut dispensationem procuret. Sed si agitur de causa fori interni, confessarius ipse Romam scibere debet, si aut Episcopus per privilegium facultatem non habet dispensandi, aut apud ipsum res tuto exponi non potest propter sigillum sacramentale. Si confessarius preces suas directe S. Poenitentiariae transmittit, exacte et distincte indicet, ad quem rescriptum a S. Poenitentiaria dirigi velit, ne sigillum sacramentale in periculum deducatur. — Epistolae Romam mittendae inscribuntur: „Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinali Poenitentiario Maiori (Cancellaria Apostolica) Romam."

7. De causis ad obtinendam dispensationem aptis.[2])

Quindecim causae vulgo numerantur, ob quas impedimenta Matrimonii solent relaxari; possunt autem ad sex praecipuas revocari. Cum vero brevius a plerisque theologis tradi soleant, opportunum duximus, hic eas fusius explicare, et modum eas proponendi (ex Pyrrhi Corradi Praxi Disp. Apost. Lib. VII cap. 2 pag. 227—236 ed. Colon. 1697) adiicere.

1. A n g u s t i a l o c i, cum nempe locus originis ita est angustus, ut mulier honesta, saltem per

[1]) Nonnullas formulas supplicationum in I. appendice apposui, iuxta quas quisque facile exarabit alias pro diversitate impedimentorum et causarum.

[2]) Bened. XIV. 26. Sept. 1754 ad Episc. Turon. (in Act. S Sed. vol. II pag. 63) et Instructio S. C. de Propaganda Fide d. d. 7. Maii 1877 (in Analectis Iuris Pontificii. Serie 16 col. 1133).

aliquod tempus in aetate nubili constituta, ibi nequeat invenire, cui nubat, nisi consanguineum, vel affinem; ratio est, quia durum existimatur, mulierem cogi manere innuptam, aut extra propriam patriam nubere et sic parentum consortio et auxilio destituti. In hoc autem spectari debet, non solum quis sit loci familiarum numerus, sed etiam an pleraeque familiae, ut saepe contingit, consanguinitate vel affinitate inter se cohaereant, et an revera Oratrix non inveniat alium eiusdem conditionis, cui nubat. Huiusmodi causa non suffragatur iis, qui urbes episcopales incolunt, nisi constet, eàs non excedere numerum trecentorum focorum;[1]) prodesse tamen potest mulieri nobili, si paucae sint familiae illustres in eadem provincia. Adolescentes nostra aetate ita sunt nonnunquam moribus et fide perditi, ut aliquando mulier pietate fulgens vix reperiat in loco sui domicilii virum honestum et religione praeditum; suboritur inde nova quaedam species angustiae loci, cuius ratio quoque nobis ita habenda videtur, ut simul cum aliis causis exponatur, cum plurimum inde pendeat tum Oratricis, tum eius familiae salus. Loquuntur quoque theologi de *angustia locorum,* originis nempe et domicilii; puta cum Oratrix in aliam paroeciam se transtulit, et asserit, utrumque locum ita esse angustum, ut in neutro invenire possit, cui nubat, nisi consanguineum. Adiicitur etiam aliquando in supplicationibus alia clausula, scilicet, quod si Oratrix extra paroeciam suam nubere cogeretur, dos eius non esset competens

---

1) S. C. C. die 8. Julii 1876 declaravit, angustiam locorum non esse desumendam a numero focorum cuiusque parochiae, sed a numero focorum cuiusque loci vel etiam plurium locorum si non distent ab invicem ultra milliare (spatium itineris pedestris circiter $1/3$ horae).

ut cum ea reperire possit consortem paris conditionis.[1]

2. Incompetentia dotis Oratricis, quae nisi ducat consanguineum vel affinem, aut innupta et incontinentiae periculo obnoxia remaneret, aut fortunam suae conditioni congruam non inveniret. Competentia autem dotis omnino pendet ex locis et ex conditione Oratricis; dos enim, quae sufficit apud rusticos, utique non est sufficiens apud urbanos, vel apud nobiles.

Dote congrua carere censeri potest puella, quae habet dotem incertam, periculis obnoxiam, aut litibus involutam, ita ut sine studio viri sollertis recuperari, aut conservari nequeat; si enim vir peritus litem suscipere velit, et iacturam bonorum mulieri imminentem avertere, ratio est sufficiens, cur dispensatio concedatur. Non debet autem dispensari mulier, quae dote quidem sufficienti potitur, ut inveniat virum paris conditionis, sed vellet ducere consanguineum, utpote ditiorem et potentiorem; non est enim intentio Ecclesiae, ut faveat puellis gradum altiorem ambientibus, sed tantum, ut eas liberet a periculo incontinentiae et ab incommodis, quae ex connubiis inaequalibus consequuntur.

Quid si puella dotem non sit habitura, nisi post obitum parentum? Si parentes sint divites, eos inducere potest, ut praesentem ei dotem constituant; si illud consequi nequeat, videndum est, num possit invenire coniugem, qui valeat solus onera Matrimonii subire usque ad obitum parentum; his deficientibus, dos futura et forsan incerta haberi potest ut dos incompetens; quia onera Matrimonii ab ipso die nuptiarum incipiunt, et quia interea

---

[1]) Si haec unica causa affertur, iuvat addere, *quot* foci in dicto loco inveniantur.

parentum voluntas et fortuna in deterius mutari possunt.

Augmentum dotis ea lege factum, ut mulier nubat consanguineo, est ratio dispensandi, si alias Oratrix videatur habere dotem pro sua conditione insufficientem aut minus competentem; non vero, si absque tali incremento iam sit convenienter dotata.

Quatuor modis haec incompetentia dotis pro causa afferri potest:

1) quod vir consanguineus eam cum dote insufficienti nihilominus ducere velit,

2) quod eam sine ulla dote ducere velit,

3) quod ipse, si sibi nubat, dotem augere velit,

4) quod tertius quidam cognatus dotem velit constituere, si oratores consanguinei matrimonium ineant.

Quae proin secundum veritatem breviter indicanda sunt.

3. Misera puellae conditio, 1° ratione aetatis annum 24um excedentis (quae ratio non suffragatur viduae secundas nuptias ambienti); 2° ratione derelictionis seu destitutionis auxilii; v. g. si vidua pluribus ex alio Matrimonio gravata liberis, indigeat viro, qui eorum curam suscipiat, et eos eorumque fortunam contra insidias malorum tueatur; 3° ratione paupertatis; v. g. si Oratrix, nisi ducat consanguineum, famulatum per totam vitam, nec sine discrimine salutis, exercere, aut in ipsa senectute inediam forsan pati cogeretur; 4° ratio cuiusdam infirmitatis, aut deformitatis, unde ipsius consortium efficitur non mediocriter iniucundum; 5° ratione periculi incontinentiae, v. g. si puella parentibus orbata plurium sollicitationibus et insidiis obnoxia sit.

4. Bonum pacis inter familias instaurandae aut conservandae; hinc si constet, occasione Matrimonii inter consanguineos litem gravis momenti

iam exsistentem dirimi, aut litem propediem orituram impediri, aut aliter graves inimicitias sedari, adest ratio sufficiens dispensationis concedendae; sed tunc constare debet tum de exsistentia et gravitate litis aut simultatis. tum de eius sedatione per Matrimonium.

5. Metus scandali, puta 1° si partes ob nimiam in colloquiis et agendi ratione consuetudinem scandalum vicinis dederint et suspiciones iniecerint, unde puellae fama non leve detrimentum sit passura, nisi nubat consanguineo; 2° si Oratores [non spe facilius consequendae dispensationis, sed] vesana libidine victi inter se peccaverint et prolem susceperint, unde Matrimonium sit necessarium tum ad legitimandam prolem, tum quia alias mulier innupta et diffamata remaneret. Cfr. pag. 389 *not.* 2.

6. Matrimonium bona fide contractum, quo posito partes vix possent absque scandalo et famae dispendio separari, maxime si iam eis orta sit proles; in hoc vero casu sedulo interrogari debent, an uterque vel alteruter in bona fide fuerit, atque facilius quidem speranda est dispensatio, si ob omni commercio carnali abstinuerint statim ac impedimenti notitiam habuerunt.[1]) Immo aliquando ratio sufficiens esse potest, si Oratores iam bona fide sponsalia publice inierunt, bannaque publicari fecerunt; tunc enim, si Matrimonium non fieret, fama puellae plerumque non abiret illaesa.

Causis supra recensitis a theologis superaddi solent excellentia meritorum, conser-

---

[1]) Nihilominus nunc in rescripto dispensationis iam solet provideri, etsi putativi coniuges post notitiam nullitatis matrimonii carnale commercium non omiserunt, neque illius malae fidei suppressio seu reticentia invalidam reddit dispensationem.

vatio familiae illustris et alia nonnulla, quae aut ad praecedentes revocantur, aut rarius apud nos locum habere solent.

Non semper sufficit unica causa ad obtinendam dispensationem, maxime in gradibus propinquioribus, nisi illa sit e gravioribus et multum urgeat; hinc si plures exsistant causae, simul exponi debent, et quidem nude per numeros distinctae, ita ut primo obtutu res tota pateat. In hunc finem primariae primum semper locum obtineant.

Modus proponendi causas dispensationis est fere hic, sive plures causae simul adsint, sive una tantum:

Causae sunt: aetas superadulta — dos minus competens — defectus dotis — angustia loci originis vel domicilii — bonum pacis in familia — educatio prolis Oratoris vidui — nimia familiaritas — suspicio copulae — falsa copulae suspicio — incessus commissus — proles incestuosa concepta vel nata — (et similiter aliae quae adsint causae brevi exprimendae sunt).

Supponere videntur canonistae causas allatas semper esse in favorem mulieris; et revera ex causis recensitis plures sunt, ut angustia loci, incompetentia dotis, puellae misera conditio, quae viro vix suffragari possunt; attamen dispensatio concedi quoque potest ob rationes soli viro proprias, v. g. Titius viduus plures habet liberos ex primo Matrimonio susceptos, nec invenit nisi consanguineam aut affinem, quae eorum curam suscipere velit: ratio est sufficiens, ut dispensationem consequatur. Ceterum ut iure concedatur dispensatio super impedimentis Matrimonii, non requiritur absolute, ut causa prolata sit canonica, ex iis videlicet, quas theologi afferre solent; sed satis est, ut rebus mature coram Deo ponderatis, ob quamcumque causam, etiam novam, Matrimonium

videatur re vera necessarium, sive ad procurandam salutem Oratorum, sive ut avertatur ab eis grave aliquod damnum temporale. [1]) In praxi tamen vix recedendum est ab usu recepto, exigendi, ut afferatur causa canonica, cui dein cetera adiici possunt. Ecclesiae ministri, qui pro Oratoribus dispensationem petunt, attente considerare debent, utrum causae in supplici libello allatae sint verae necne; si enim, suo munere fungentes, agnoscant preces non niti veritate, ulterius procedere nequeunt; contrahentes etenim aetate nostra saepe non fide et pietate moventur, sed potius suum commodum quaerunt, nec multum reverentur leges, quas Ecclesia prudentissime condidit ad custodiam morum. [2]) — Aliquando tamen ex ipsa larga elee-

---

1) Enumeraturus sum igitur alias causas, quarum aliquae valde urgentes sunt, aliae minus graves:

Matrimonium civiliter contractum (quae causa si adducitur, explicandum est, utrum agatur de concubinatu, an de simplici actu civili in ordine ad contrahendum dein in facie Ecclesiae) — *periculum matrimonii mere civilis* — *periculum matrimonii mixti* — *periculum perversionis, seu defectionis a fide* — *omnia ad nuptias iam parata* — *boni mores utriusque Oratoris* (quae causa solum *iuvat* alias) — *Oratorum munificentia erga Ecclesiam* — *propositum contrahendi propalatum* vel *propositi pertinacia* — *Oratrix alterutro vel utroque parente orbata* — *sponsa ex natalibus illegitimis orta* — *sponsa ab alio viro deflorata* — *sponsus adiutorio huius mulieris indigens* (vel vice versa; — exprimatur: *qua de causa)* — *res domesticae conservandae vel administrandae* — *aetas iunior Oratricis viduae,* etc.

2) Dispensationes episcopales, pro foro externo saltem, non solent dari *in forma commissoria,* ac proinde ipse Episcopus est, qui dispensat; ille autem, ad quem diriguntur, sive sit parochus, sive confessarius, sedulo attendere debet, si quid in ipsis praescribitur, illudque accurate observare.

mosyna in pios fines danda causa sumitur, quae etiam nominatur *causa sine causa* (i. e. sine causa consueta); in petitione dicuntur oratores cupere matrimonium *ex certis et rationabilibus causis.*

8. De exsecutione dispensationum in foro interno.

(Clausulae bene observandae.)

Dispensationes fori interni concedi non solent nisi in *forma commissoria*, quod summopere notandum est. Tunc videlicet Superior non ipse dispensat, sed tribuit confessario facultatem dispensandi; ac proinde non sufficit, ut hic, mandatum exsequendo, affirmet, se obtinuisse impedimenti relaxationem; sed insuper expresse et clare manifestare debet, se, speciali delegatione suscepta, posse, atque hic et nunc velle super impedimento, de quo agitur, dispensare. Ad hoc vero per se non refert, quibus verbis utatur, dummodo ipsius voluntas plane innotescat.

Litterae dispensationis diriguntur interdum Ordinario, regulariter tamen proprio Oratorum parocho sive Confessario ex approbatis ab Ordinario per Oratorem specialiter eligendo; hinc penes Oratorem est, quem ipsi libuerit, eligere, et si confessarius primum electus nequeat, aut nolit litteras exsequi, potest pro earundem exsecutione alium adire ex approbatis in Dioecesi. Hoc per totum orbem servari, testatur Pyrrhus Corradus. Confessarius narrata in litteris dispensationis exacte inspiciat et rite examinet,[1]) ut deinde in actu sacramentalis confessionis cum Oratore interrogato-

---

[1]) Cfr. Bened. XIV. Instit. eccl. 87. Aliquibus tamen regularibus datum est privilegium, quo eiusmodi litteras possint exsequi etiam non ad quoslibet confessarios directas: cf. Greg. XIII. „*Exponi nobis*“.

rium rite instituere et pro rerum eventu dispensationem rite possit exsecutioni mandare.

Quare observa *haec* de sensu clausularum, quae in litteris Apostolicis obvenire solent.

1a Si ita est,[1] nempe si vera sint narrata, si impedimentum sit occultum, si matrimonium in facie Ecclesiae sit contractum, si ex separatione scandalum sequatur, si aliud non obstet, si rationes allatae sint genuinae, si causa finalis subsistat; de quibus confessarius sedulo poenitentem interrogare debet.

2a Audita prius eius sacramentali Confesssione; Confessio enim sacramentalis dispensationi necessario est praemittenda. Sed ex responsione S. Poenitentiariae (v. *Carrière, Compend. ed. 5 pag. 250 n. 258)* irrita non erit dispensatio, etiamsi contingat poenitentem nulliter et sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere.

---

1) Advertens in examine errorem commissum circa causam finalem vel conditionem necessariam, denuo recurrere debet ad S. Poenitent., respect. Vic. Gen. pro obtinendis litteris, quas vocant, *perinde valere.* — Valida est dispensatio, si error inveniretur in rescripto Pontificis, puta ex culpa amanuensis. De aliis erroribus confer, quae p. 351 et 352 in notis dicta sunt. — Si causa dispensationis cessat, antequam dispensatio revera (per commissarium) fiat, cessat dispensatio; si autem causa dispensationis cesset, dispensatione iam rite facta, etiamsi cessat ante celebrationem Matrimonii, non cessat dispensatio, quia per dispensationem iam tollitur impedimentum, sive lex relaxatur, cuius obligatio exstincta, si cessat postea causa, minime reviviscit *(S. Lig. lib. 6 n. 1132).* Aliud autem esset, si dispensatio a voto castitatis concederetur in ordine ad matrimonium ineundum; tunc enim, cessante causa, dispensatio etiam iam concessa corruit, quia voti dispensatio non aliter intelligitur, nisi ut, *manente causa,* liceat inire matrimonium: et ita in similibus causis.

Quodsi confessarius advertat, poenitentem ex sua indispositione a peccatis absolvi rite non posse, debet una cum absolutione differre dispensationem, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationem accelerare.

3a Sublata occasione etc.; qua clausula confessario prohibetur, ne Oratorem absolvat, quamdiu in occasione proxima versetur, v. g. adhuc familiarem nutriat conversationem cum consorte, vel cum ipsa in eadem domo habitet. Id itaque prius agendum, ut haec peccandi occasio omnino desinat, si fieri potest; si autem occasio sit necessaria, confessarius debet suggerere media, quibus convertatur in remotam.

4a Iniuncta ei poenitentia etc.; eam prudenter moderari debet confessarius, spectatis poenitentis conditione, sexu et aetate, atque ita, ut ex ea nunquam eius delictum innotescere queat. Praescribere potest, poenitentis indole, conditione, aetate, sexu etc. bene consideratis, v. g. ieiunium per sex menses semel in hebdomada, vel recitationem Psalmorum poenitentialium, aut tertiae partis Rosarii semel aut bis in hebdomada, eodem vel longiore temporis spatio, vel aliud aliquod pietatis opus.

5a Cum obligatione confitendi etc.: tempus autem longius aut brevius statuere debet confessarius, v. g. per annum, aut per sex menses, aut etiam per duos menses, prout poenitentis utilitas seu dispositio suggesserit. Iniunctio confessionis est praeceptiva quidem, at non sub poena nullitatis (S. Poenit. 2. Martii 1887). *Aliisque iniunctis de iure iniungendis* . . . quae clausula respicit etiam alias materias circa alia peccata poenitentis, v. g. si poenitens furtum fuisset confessus, de iure ei iniungenda esset restitutio ablati, etc.

6a Absolvas, quo verbo insinuatur, dispensationem non esse largiendam, nisi prius finita fuerit confessio et indulta absolutio (vide supra claus. 2).

7a Dummodo impedimentum sit occultum; quae clausula significat, confessarium debere bene examinare, an impedimentum vere dici possit occultum; nam est conditio, sine qua non concederetur haec gratia; hinc si impedimentum factum fuisset publicum vel notorium, sive ante petitam dispensationem, sive postea, ulterius progredi nequiret confessarius.

8a Aliudque non obstet, scil. impedimentum canonicum; haec pariter est conditio, sine qua non concederetur gratia dispensationis; nam in foro interno impedimenta non auferuntur, nisi omnia simul; si plura coexsistant, is, qui unum exponit et alterum silet, sive bona sive mala fide, nullam gratiam obtinet. Hinc si praeter narratum impedimentum aliud obstet, vel si suscepta super uno impedimento dispensatione, aliud postea detegatur, utrumque iterum narrari debet pro nova dispensatione impetranda, idque sive est impedimentum dirimens, sive est impediens tantum.

9a Discretioni tuae committimus, quatenus cum eodem, etc., quibus verbis patet, dispensationem expeditam fuisse in forma commissoria; ac proinde impedimentum non solvitur, nisi eo momento, quo post absolutionem datam confessarius poenitenti declarat, se vi auctoritatis obtentae cum eo dispensare.

10a Matrimonium cum dicta N. de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur: et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.

Cum haec clausula ex stylo curiae in litteris dispensationis fori interni apponitur, confessarius satagere debet, ut, si fieri possit, alter coniux de nullitate prioris consensus caute admoneatur, atque *mutuus* iterum consensus eliciatur. Benedicto XIV. prae ceteris modis arridet sequens: „Impedimenti conscius libere declaret, se haud rite Matrimonio consensisse, cum primum celebratum fuit; ideoque oportere ex consilio confessarii atque internae tranquillitatis causa, ut ambo consensum renovent, seque id libenter facturum ostendat. Quodsi alter coniux eandem voluntatem patefaciat, id satis erit, ut novus consensus iuxta praescriptam normam elicitus intelligatur“ (Instit. eccl. 87 pag. 437 ed. Rom. 1747). Si quando hoc videatur nimis periculosum, ut non raro est, consultum nunc est ipsa clausula addita. Quare adverte, quid in casu necessitatis iam suo tempore docuerit S. Alph. lib. 6 n. 1116, nimirum sisti posse in sola *renovatione* consensus ex parte unius, altera parte manente in consensu prius dato. Nam Ecclesia *potest* non solum consensum novum, sed etiam consensum prius datum et vera intentione perseverantem pro legitimo accipere, et in casu necessitatis re ipsa acceptat.

11ª Prolem susceptam (non tamen ex adulterio) vel suscipiendam legitimam decernendo ac respective nuntiando. Proles nata ex Matrimonio publice et bona fide contracto, legitima reputatur, licet postea detegatur, illud fuisse invalidum ab aliquod latens impedimentum; idque verum est etiam, quando unus coniugum fuit in bona, alter vero in mala fide. Filii naturales orti ex parentibus, inter quos nuptiae consistere poterant, per subsequens Matrimonium legitimantur; tunc enim fictione iuris effectus Matrimonii retrotrahitur ad tempus, quo nata est

proles. Immo ad hoc sufficit, ut parentes fuerint ad contrahendum habiles eo tempore, quo *concepta* est proles; haec enim tunc ex fornicatione quidem, sed non ex adulterio neque ex incestu procedit. Sume v. g.: Caius solutus rem habuit cum Sylvia soluta: paulo post Flaviam duxit uxorem, quacum per multos annos commoratus est; ea vero vita functa duxit Sylviam. Proles olim ex ea nata per hoc Matrimonium legitimatur, utpote concepta ex solutis (cfr. Scavini tom. IV n. 328). Utrum vero ad praedictam legitimationem satis quoque sit, parentes esse ab omni vinculo solutos tempore, quo *nascitur* proles, inter canonistas controvertitur. Propositionem affirmantem multi quidem propugnant, propositio tamen negans probabilior videtur, 1° quia spectato iure naturae, ille revera spurius est, qui certo ex adulterio fuit conceptus; 2° quia ius civile etiam non attendit ad tempus nativitatis, sed tantum ad tempus conceptionis. De hoc casu doctissime disseruit Bened. XIV. in litteris *Redditae nobis* ad Archiepiscopum S. Dominici die 5. Dec. 1744 datis.

Si vero tempore, quo concepta et nata est proles parentes aliquo impedimento dirimente nubere prohiberentur, tunc filii non fiunt legitimi per solum Matrimonium subsequens, sed expresse legitimantur a Romano Pontifice, vel ab alio de eius auctoritate; ideoque in huiusmodi litteris inseri solet clausula, de qua hic agitur: *prolem susceptam,* etc. Ut autem huismodi dispensatio effectum sortiatur, necesse est, 1° ut Matrimonium re ipsa contrahatur; alioquin speciale rescriptum requiritur; 2° ut impedimentum non sit iuris naturalis; hinc proles ex adulterio concepta et nata semper a legitimatione excipitur; unde verba clausulae in parenthesi poni solita *(non vero ex adulterio).*

12a In foro conscientiae, et in actu sacramentalis Confessionis tantum et non aliter; unde liquet, confessarium praedicta dispensandi facultate uti non posse, nisi in foro poenitentiae, in ipso actu confessionis sacramentalis, confessione peracta et, si danda est, absolutione data (vide clausul. 2am), atque huiusmodi gratiam in foro externo non suffragari; i. e. si detur casus, quo impedimentum ex occulto fiat publicum, et in iudicium deducatur, gratia huiusmodi dispensationis in foro fori non suffragatur, et tunc ad forum externum est recurrendum,[1] quamvis poenitens sit in conscientia bene dispensatus, ita ut, si absque scandalo copulam habeat cum sua coniuge, nullum committat peccatum; nam vera et legitima data est ipsi dispensatio in foro conscientiae per legitimam potestatem tempore, quo poterat dispensari, id est occulto exsistente impedimento.

13a Praesentibus sub poena, etc.; quae clausula moraliter est intelligenda, ita ut ipsa die exsecutionis aut quantocius praedictae litterae lacerentur seu comburantur, ne quando delictum poenitentis divulgari contingat; possunt tamen prius describi, ac copiae eiusmodi asservari.

Clausulas illas confessarius bene observet, quia, ut ex data explicatione patet, ob eorum defectum facile dispensatio evadere potest nulla.

9. De exsecutione dispensationum in foro externo.

(Clausulae bene observandae.)

Rescriptum dispensationis ex dispositione Leonis XIII. per decr. S. Off. 20. Febr. 1888 dirigitur vel ad „*Oratorum Ordinarium*“ vel ad „*Ordinarium*

[1]) Cfr. supra pag. 352 reg. 3 a in fine.

loci"; nomine *Ordinarii* intelligitur sive Episcopus, sive Administrator dioecesis, sive Vicarius Apost., Praelatus seu Praefectus cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarii in spiritualibus Generales, et sede vacante Vicarius Capitularis vel legitimus Administrator. — Immo si litterae transmissae fuerint Episcopo, vel eius Vicario generali seu Officiali, sed, antequam exsecutioni datae fuerint, administratio transierit ad Vicarium Capitularem: hic litteras dispensatorias, sive nullo modo sive ex parte tantum exsecutioni datas, exsequi potest: et vice versa. — Dispensationis litterae ad Ordinarium oratorum datae, exsequi debet ille Ordinarius, qui litteras testimoniales dedit vel preces ad S. Sedem transmisit, etsi sponsi interea domicilium mutaverint, monito, si ita expediens fuerit, Ordinario loci in quo matrimonium contrahitur; fas tamen ei erit, alium Ordinarium, maxime eum, in cuius dioecesi sponsi actu degunt, delegare (Ita in omnibus S. Off. l. c.).

Dein animadverte: si specialis causa iam delata est ad S. Sedem, Episcopus, etsi habeat privilegium a tali impedimento dispensandi, ex stilo Curiae nil amplius in hac causa potest, quia eo ipso, quod causa aliqua ad S. Sedem relata est, est subtracta omni inferiori iurisdictioni. Episcopis tamen id petentibus a S. Poenitentiaria conceditur indultum, ut facultatibus ab Apostolica Sede sibi tributis „circa impedimenta matrimonialia pro casibus urgentioribus" uti valeant etiam casu, in quo urgens necessitas dispensandi supervenerit, postquam ad Apostolicam Sedem missae fuerint preces pro obtinenda super eodem impedimento dispensatione. [1])

---

[1]) *Pro casu necessitatis* sunt qui censent, Episcopum sine speciali hoc indulto uti posse suis privilegiis.

Ab Episcopo vel Ordinariatu litterae saepe ad respectivum parochum diriguntur, qui in facienda informatione per litteras praescripta adiuvare debet, ideoque graviter eius conscientia oneratur, ut testes rite atque separatim examinet, eorumque responsa verbotenus scribat et Ordinario transmittat. Quare ipse etiam parochus cognoscat et observet oportet consuetas clausulas.

Commissorio hoc adimpleto et ad Episcopum vel Ordinariatum transmisso, si causa ceteraque essentialia fuerint verificata, devenitur ad exsecutionem dispensationis, quae peragitur et omnino perficitur eo quod exsecutor instrumentum exsecutionis subscribit ut transmittatur. [1]) (S. Poen. 25. Febr. 1884.) Praecipuae clausulae sunt hae:

1⁰ Te diligenter informes. Haec clausula, etsi non requirat iudicialem cognitionem et informationem (sufficit enim extraiudicialis sine ordine et forma iudicii), nihilominus tamen vult, ut delegatus soli Oratorum asserto non credat, sed accipiat testes fide dignos, et saltem ita se informet circa omnia essentialia in Brevi enarrata, ut prudenter credere possit, rem ita se habere. Si ante preces porrectas informatio facta est, haec sufficit: *ex resp. S. Poenit. 27. April. 1886.* — Extraiudicialis cognitio sufficere dicitur; quod intelligendum hoc sensu, nisi adsit qui sese opponat; tali enim in casu pars citari, et acta in scriptis redigi debebunt.

2⁰ Si vera sunt exposita: hac formula informatio ad valorem non requiritur, sed sufficit, ut exsecutor utcumque sciat exposita vera esse. (S. Poenit. d. d. 10. Aug. 1888.)

---

[1]) Hoc documentum ad acta parochialia reponendum et in libro matrimoniali annotandum est.

3° Ab incestus reatu, et excessibus huiusmodi etc., absolvas pro utroque foro. Haec clausula semper inseritur, quando ob praecedentem copulam incestuosam, vel iam contractum Matrimonium cum consanguinea vel affine, fit dispensatio. Circa quam clausulam notandum, illius vi posse et debere exsecutorem Oratores a poenis in utroque foro, id est, tam interno, quam externo, absolvere, dummodo in foro aliquo externo nondum sint delati. Ipsemet exsecutor absolutionem dare debet, nisi tamen, ut fieri solet, facultatem subdelegandi acceperit per clausulam „*per te vel per alium absolvas*".[1]) Absolvere autem facile potest, quia ad hanc absolutionem non est necessarium, ut fiat Confessio sacramentalis, sed potest a iudice delegato fieri extra Confessionem, ita ut dein taliter absolutus tam in foro externo quam interno sit immunis a poenis, v. g. ab excommunicatione et aliis, quas forte ob incestum incurrerit.

4° Imposita eis etc. salutari poenitentia. Haec clausula in casibus copulae et suspicionis de eadem semper apponitur.

5° Remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem tempore tibi beneviso, si fieri poterit. Quae clausulae forma indicat „expedire, ut scandalum removeatur per separationem; sed non prohiberi, quominus alii modi adhibeantur, qui prudenti iudicio Ordinarii sufficiant ad illud removondum". Ita S. Poenitent. ut supra d. 27. April. 1886 ad V.[2])

---

[1]) Etsi haec *absolvendi* potestas subdelegari possit, inde nondum fit, ut etiam ipsa dispensatio et prolis legitimatio per subdelegatum fieri possit. S. Poenit. 27. Apr. 1886.

[2]) Antea addebatur clausula: *Et recepta prius ab eis iuramento, quod sub spe facilius habendae dispensationis praemissa (i. e. copulam incestuosam) non commiserint.* Quo

6° Dummodo super petita dispensatione recursus ad Apostolicam Datariam factus non sit. Hanc clausulam *S. Poenitentiaria,* si ab ea dispensatio in foro externo petitur, addere consuevit, quia S. Poenitentiaria in causis publicis solummodo locum Datariae tenet, neque eas causas tractat, quae iam, ut aiunt, apud Datariam pendent.

7° Aliudque eis canonicum non obstet impedimentum. Quare, sive dirimens sive solummodo impediens impedimentum aliud etiam adest, dispensatio invalida est; idque ex communi regula, quod sub poena nullitatis *omnia* impedimenta declarari debeant. Cf. p. 351, 3a.

8° Erogata ab eis aliqua eleemosyna arbitrio Ordinarii iuxta eorum vires taxanda et applicanda. Haec clausula, quae nonnumquam adhibetur, non est irritans. Res prudenti iudicio et conscientiae Ordinarii remittitur (S. Poenit. 11. Nov. 1890).

9° Dispenses; vel: Facultatem Ordinario concedit dispensandi; sive: Si tibi expediens videbitur, . . . dispenses. Qua clausula denotatur, gratiam dispensationis nondum esse completam seu perfectam, sed perfici et compleri primum debere ab exsecutore. Prior forma post verificatas causas imponit *obligationem* dispensandi, altera dispensationem relinquit *prudenti* Ordinarii *arbitrio.*

10° Distantiam vero tertii v. g. gradus praefati eis non obstare declares. Haec

---

fiebat, ut ille, „qui ex hac prava intentione incestum commisisset, dispensationem accipere non posset, immo ut, si ambo ex hac intentione egerint, huius pravae intentionis *reticentia* dispensationem redderet nullam. Verum haec per decretum 28. Junii 1885 sublata sunt, neque ista clausula amplius adhibetur.

clausula a Dataria ponitur dumtaxat in casibus, quando Oratores inaequaliter distant. Siquidem necessario etiam exprimi debet gradus propinquior, etsi non ut super illo dispensetur (nisi esset primus, super quo etiam necesse est expresse dispensari), saltem ut declaretur, eum non obstare. Hinc si reperit exsecutor, Oratores inaequaliter distantes tantum expressisse remotiorem gradum (quod aperte colligit, si dicta clausula non habetur in litteris), dispensare non potest, sed obtinere debet pro Oratoribus novas litteras, quas Romae vocant *perinde valere.* Quod si exsecutor nihilominus dispensaret, valide quidem, sed illicite ageret; invalide tamen, si primus gradus attingeretur. Cf. pag. 351 not. 1.

11⁰ Neque scandalum ex ea (dispensatione scilicet), oriturum, i. e. ne fidelibus sit offendiculo atque ita in destructionem religionis et morum vergat. Propter hanc clausulam exsecutor, ut bene recteque muneri suo satisfaciat, tenetur diligenter animadvertere et inquirere, num ex dispensatione facienda possint exsurgere scandala, quia si ista timeantur, quamvis omnia iam probata sint, dispensare non poterit.

12⁰ Prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam decernendo ac respective nunciando. Haec clausula duas habet partes bene distinguendas. Exsecutori datur facultas *decernendi* legitimam prolem ex incestu susceptam, qua facultate expresse uti debet, cum legitima reddenda sit proles quae est adhuc illegitima; insuper eidem iniungitur, ut legitimam *nunciet* prolem ex matrimonio suspiciendam, scilicet declarando, eam fore statim legitimam.

10. De revalidatione Matrimonii nulliter contracti.

(Ex *Raymundi Antonii, Episcopi Eystettensis*, Instructione pastorali.)

Matrimonium ex duplici capite nullum esse potest, videlicet aut propter defectum consensus, aut ob aliud impedimentum dirimens, id quod ex hucusque allatis facile patet. — Impedimentum vero aut est occultum, aut publicum, sive uni parti notum, sive utrique, et aut dispensationem admittit, aut indispensabile remanet. — Pro singulis huiusmodi casibus singularem subnectimus instructionem.

a) De revalidatione Matrimonii irriti ob defectum consensus.

Consensus deest Matrimoniis aut ex errore, aut per vim et metum, aut per simulationem initis. Ad revalidationem vero huiusmodi Matrimoniorum mutuus requiritur consensus, postea a cuniugibus sibi invicem libere praestandus. 1° Si nullitas Matrimonii publice innotuerit, idem Matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus coram parocho et duobus testibus, omissis tamen proclamationibus, praebeatur, etsi prius coniuges in facie Ecclesiae Matrimonium iam inierint. 2° Si Matrimonium celebratum fuit coram parocho et duobus testibus, et defectus legitimi consensus occultus servatur, tunc novus consensus clam inter contrahentes est praestandus, nec amplius parochus duoque testes requiruntur. 3° Quando uterque coniux huius defectus sibi conscius est, res nullam habet difficultatem. 4° Quando vero consensus ex parte unius tantum coniugis defuerit, inscio altero coniuge, quia prior ob vim seu metum in Matrimonium consensit, tunc, admonito antea altero marito de nullitate Matrimonii, ab utroque coniuge novus

ponatur consensus. Id quod de impedimento erroris per se patet; nullus enim potest esse consensus errantis et nulla voluntas. Qui vero ficte contraxit, idem praestare tenetur, cum prior alterius consensus ad materiam neque legitimam neque idoneam pertinuerit.[1]) 5⁰ Quia autem in foro externo defectus consensus, sive ob errorem, sive ob vim metumque difficillime probari potest, et propterea divortium ex hoc titulo nunquam conceditur; hinc parochi vel confessarii prudentem adhibeant oportet diligentemque operam, ut pro rerum circumstantiis mariti putativi coram parocho et duobus testibus in casu publico, vel clandestine in casu occulto renovent et suppleant consensum, et ut pars noxia alteram partem, forsan recusantem, precibus, monitis et obsequio suavi permoveat. Nam ad evitanda scandala et prolis damna utraque pars ex caritate saltem, et pars noxia etiam ex iustitia, ad renovandum consensum nec retractandum tenetur.

b) De revalidatione Matrimonii irriti ob aliud impedimentum dirimens.

Si matrimonium nullum fuit ob impedimentum aliquod dirimens, quod dispensatione tolli potest, dispensatio petenda, eaque impetrata, novus exigendus est consensus, utrimque mutuus et signo externo manifestatus.

Quodsi impedimentum fuit *notorium,* petatur dispensatio a S. Sede vel ab Episcopo servatis sedulo iis, quae supra servanda esse diximus. Deinde fiat

---

[1]) Quae hic n. 4⁰ habes de ficto consensu, sunt ad maiorem securitatem: nam si voluntas eius, qui vere consensit, perseverat, S. Alph. l. 6 n. 1114 omnino tenet, sufficere in rigore renovationem externam consensus ex parte illius, qui *non vere* consenserat.

revalidatio coram parocho et duobus testibus; alioquin celebrationis validitas exterius probari nequit. Sufficit tamen, ut haec revalidatio privatim et omissis quibuscumque solemnitatibus coram parocho et testibus peragatur. Advertat autem parochus, coniuges esse cogendos ad separationem quoad torum et habitationem, ubi primum certo constiterit de publica nullitate Matrimonii, ut scandalum auferatur, donec revalidatio fieri queat.

Verum quando impedimentum natura sua publicum *per accidens occultum* est, atque nupturientes, sive ignorantes sive scientes impedimentum, contraxerunt invalide, S. Poenitentiaria, si rogatur, eorum *parocho* dat facultatem, ut audita prius eorum sacramentali confessione . . ., cum iisdem super dicto impedimento dispenset, quatenus coram parocho et duobus testibus confidentibus privatim de novo contrahant . . . pro foro conscientiae, ita tamen, ut huiusmodi gratia etiam pro foro externo coniugibus suffragetur . . . facta etiam descriptione dicti matrimonii in libro secretorum matrimoniorum.

Quando impedimentum *et natura sua et re ipsa* est *occultum,* renovatio consensus clam facienda est inter utramque partem,[1]) dummodo antea in facie Ecclesiae Matrimonium fuerit celebratum iuxta normam Tridentini; praesentia enim parochi et testium semel adhibita iam fidem facit in foro externo de Matrimonio rite contracto; hinc S. Poenitentiaria semper monet, ut secrete fiat renovatio consensus *(S. C. C. 10. Mart. 1583).*

Matrimonium vero ob impedimentum aetatis irritum, si adepti legitimam aetatem contrahentes revalidare voluerint, in forma Tridentini semper reva-

---

[1]) Cfr. quae dicta sunt pag. 370 et 371 reg. 10.

lidandum est, etiamsi antea in facie Ecclesiae iam fuerit contractum; nam eiusmodi Matrimonium, cum hoc impedimento coram Ecclesia initum, nonnisi vim sponsalium retinet.

Singularem vero prudentiam et cautionem parochus vel confessarius adhibeat, quando ex facto in Confessione vel aliunde allato, attamen occulto, Matrimonium invalidum esse intelligit. Priusquam enim Matrimonii nullitatem utrique vel alterutri ex coniugibus manifestet, plura ipsi attendenda sunt, relate tum ad coniuges, tum ad impedimenti naturam.

Relate ad coniuges dispiciendum erit: a) utrum bona an mala fide contraxerint, utrum, postquam in cognitionem impedimenti devenerint, nihilominus in consummatione eius perseveraverint, an pro conscientia sua ab usu Matrimonii sese abstinuerint; b) si una tantum pars impedimenti notitiam habeat vel dubiam, altera parte in bona fide relicta, utrum a petendo debito sese abstinuerit; c) explorandum erit, prudenter tamen et circumspecte, utrum eiusmodi coniuges pacifice cohabitent, an potius inimicitiae, et rixae, discordiae et odia inter eos advertantur.

Quoad naturam vero impedimenti ratio habenda est: a) utrum ex delicto aliquo descendat, v. g. ex copula illicita, ex impedimento criminis vel culpabili reticentia in dispensatione obtenta, an ex causa alioquin non inhonesta; b) utrum sit impedimentum occultum quidem, sed in foro externo forsan demonstrabile, v. g. impedimentum consanguinitatis et affinitatis, an impedimentum sit plane occultum in sensu canonico, ita ut ex natura sua in foro externo probari nequeat.

Hisce consideratis et accurate perspectis, pro praxi sequentes regulas subministramus:

1ª Quando coniux uterque de impedimento quolibet dirimente et nullitate sui Matrimonii notitiam habeat, et separatio sine scandalo fieri nequeat, ante omnia coniuges monendi sunt, ut ab usu Matrimonii sese omnino abstineant, ne fornicationis reatum contrahant, donec dispensatio obtenta iisque impertita fuerit. Dispensatio autem, in casu occulto a S. Poenitentiaria vel ab Episcopo obtenta, parti poenitenti in foro conscientiae, audita Confessione, elargiatur cum mandato, ut secrete renovent consensum.

2ª Si una tantum pars impedimenti ac nullitatis Matrimonii notitiam habeat, impedimentum vero nullatenus cum delicto et infamia fuerit coniunctum, coniuges insuper pacifice cohabitent, ita ut periculum pacis inter coniuges perturbandae non sit timendum, poenitens moneatur, ut certiorem reddat alterum coniugem de nullitate Matrimonii, cum mandato sese abstinendi ab eiusdem usu, donec obtenta dispensatione consensum renovaverint.

3ª Nonnunquam accidit, ut confessarius ex circumstantia aliqua in Confessione allata Matrimonium invalidum esse intelligat, quin poenitens ob ignorantiam iuris id resciat. Si impedimentum alteri parti revelari queat, quin in delicti, ex quo oritur, notitiam veniat, poenitens monendus est, ut altera parte de nullitate Matrimonii certiorata ab usu eiusdem abstineant, donec revalidetur. Haec, si fructum monitionis possit sperare. Ceterum cf. pag. 173, 197 sqq., 345, fusius apud moralistas.

4ª Quodsi impedimentum alteri parti sine gravi periculo revelari nequeat, moneat partem *consciam*, esse ab usu matrimonii abstinendum, donec provisum sit a S. Sede vel Ordinario. Si nullitatis matrimonii est inscia, generatim expedit eam in bona fide relinquere, dum facultas dispensandi obtenta fuerit. Alioquin aliquando tantae esse pos-

sunt angustiae, ut confessarius censeat, legem ecclesiasticam cessare et nunc statim matrimonium revalidari posse: de quo cf. *Lehmkuhl*, *Theol. mor.* II. n. 826 et 827.

Quando ex rerum conditione timetur, ne coniuges, minus pacifice viventes, matrimonii nullitatem edocti eius iugum laeti abiicerent, revalidationis media respuerent; item si ob aliam causam consensus *renovationem* saltem ex alterutra parte impetrari, moraliter impossibile videtur: ad S. Poenitentiarium recurrendum est pro dispensatione, quam vocant *sanationem in radice.*

Effectus itaque huius dispensationis seu *sanationis in radice* sunt: a) per fictionem iuris tollitur impedimentum dirimens iuris ecclesiastici, quod in casu Matrimonio obstat, ac si nunquam affuisset; b) hinc sanatur primus consensus, qui ideo erat nullus, quia per impedimentum dirimens contrahentes erant inhabiles; sublato namque impedimento, ac si nunquam affuisset, Ecclesia consensum primitus datum acceptare potest: quod si fit, consensus exserit vim suam naturalem; c) Matrimonium efficitur validum *ex nunc* i. e. pro futuro; d) legitimatur proles plene, acsi ab initio legitima fuerit.

Hinc patet, dispensationem in radice locum habere posse: 1. quando una pars habeat quidem animum remanendi in Matrimonio, sed recuset renovationem consensus in facie Ecclesiae, quando videlicet *haec* renovatio per se necessaria est, sive ex impedimento clandestinitatis, sive ex alio insimul, quod ut plurimum accidere potest in Matrimoniis mere civilibus; 2. quando una tantummodo pars habeat notitiam impedimenti, quod alteri sine periculo revelari nequit; 3. quando uterque coniux ignorat Matrimonium nulliter contractum, neque sine gravissimo damno desuper certiorari possunt.

— Datur a S. Sede haec dispensatio vel in forma gratiosa, vel in forma commissoria, i. e. vel S. Sedes ipsa *sanat* matrimonium, vel alteri (Ordinario, confessario) sanandum committit.

In exsecutione huius dispensationis attendendae sunt conditiones, sub quibus vim obtinere valeat. Requiritur autem: a) ut contrahentium coniunctio speciem externam iusti matrimonii habeat, neque cohabitatio eorum sit manifeste fornicaria; b) ut utraque pars consensum naturalem vere matrimonialem praestiterit, ita ut ex sua parte voluerint vere esse coniuges seseque mutuo obligare; c) ut consensus ille matrimonialis etiam nunc moraliter perseveret, seu efficaciter retractatus non sit; d) insuper ut sperari possit huius sanationis concessio, requiruntur gravissimae causae: verum earum gravitatis aestimatio pertinet ad eum qui concedit, non ad eum qui commissionem exsequitur. Formam, quâ uti possit commissarius ad sanationem matrimonii dandam habes supra pag. 252 n. 15.[1])

Solius autem Romani Pontificis est, dispensationes in radice Matrimonii concedere, quippe qui solus potestatem obtineat removendi impedimenta dirimentia ab Ecclesia universali constituta. Ex specialissima gratia facultatem hanc delegat Episcopis.

Si impedimentum antea occultum postea publicum fiat, obtenta dispensatio pro foro interno tantum nihil suffragatur in foro externo, sed nova dein petenda est a Sede Apostolica vel ab Ordinario.

---

1) Satagere vero debet, ut sponsi constituantur in statu gratiae eo tempore, quo ipsis dispensationem applicabit: nam tunc recipient Sacramentum.

Quodsi matrimonium nullo modo sanari potest, quia impedimentum dirimens est indispensabile, utpote iuris divini vel naturalis, confessarius, si impedimentum est *publicum,* coniugibus praecipiat, ut se separent quoad torum et habitationem, et curent obtinere sententiam a iudice ecclesiastico de nullitate sui Matrimonii.

Si est *occultum, neutri parti cognitum,* et non possunt separari absque gravi scandalo et damno, praesertim si coram foro externo impedimentum est indemonstrabile, erunt fere in bona fide relinquendi. Si *uni tantum notum* est, ita ut intelligat matrimonii nullitatem, debebit alteram partem monere, licet admonitio non sit profutura; quae, nolens recedere ab usu coniugii, erit separatione dimittenda, si cohabitatio secum fert grave periculum fornicandi vel alterius gravis damni temporalis; interea vero erit recurrendum ad Superiorem ecclesiasticum pro Matrimonii dissolutione. Si demum *utrique sit notum,* parochus vel confessarius coniugii usum iis interdicat et, nulla exstante incontinentiae periculo, interim permittere poterit, ut simul ad instar fratris et sororis cohabitent; sed dein ad forum externum ecclesiasticum rem deducere studeat.

11. De dispensatione ad effectum petendi debitum coniugale.

Post Matrimonium valide contractum petitioni debiti coniugalis duo obstare possunt, nempe votum castitatis, affinitas superveniens.

Votum perpetuae castitatis, quo coniuges debitum petere prohibentur, vel est nuncupatum ante nuptias, vel post eas, sive ante, sive post consummatum Matrimonium, vel ab uno tantum coniugum, altero aut consentiente aut inscio, vel etiam ab utroque simul mutuo consensu. In his

omnibus et a fortiori in votis ad tempus, dispensare potest Episcopus, sive ex consuetudine vim legis obtinente, sive quia in hisce casibus vix unquam abest incontinentiae periculum. Haec autem dispensatio non est absoluta; valet tantum ad petitionem debiti durante praesenti Matrimonio; eoque per mortem alterius coniugis dissoluto, votum viget ut prius *(Sanchez, de Matr. lib. 8 disp. 11 et 12).*

Si post nuptias alteruter coniux copulam habet cum consanguineo alterius in primo aut secundo gradu, crimen illud reputari debet gravissimum, quia in ea adulterium et incestus simul includuntur; insuper per hoc peccatum contrahit cum suo coniuge affinitatem, propter quam petitio debiti ipsi interdicitur (cfr. omnino *pag. 327);* super eo autem impedimento auctoritate delegata Episcopus dispensare potest.

Si utraque pars fuerit particeps culpae, ex qua ortum est impedimentum, neutra licite potest ante dispensationem petere aut reddere debitum. Si vero alterutra tantum illud peccatum commiserit, haec sola a petendo debito abstinere tenetur, donec dispensationem obtinuerit; interea alteri parti petenti debitum negare nequit; illa quippe licite utitur iure suo.

Potestas dispensandi ad effectum petendi debitum non censetur inclusa in facultate absolvendi a peccatis et censuris reservatis, semper vero seorsim postulari debet; ea autem sub his conditionibus expediri solet, nempe: *remota occasione, iniuncta gravi poenitentia salutari, cum obligatione confitendi semel in mense per tempus arbitrio confessarii statuendum.* Iniunctio vero confessionis sacramentalis non est sub poena nullitatis, est tamen praeceptiva. Modum restituendi vide supra pag. 252.

Dummodo confitentem poeniteat peccati (ex quo amissum est ius petendi debitum), et remota fuerit occasio amplius peccandi cum eadem persona, si aliunde eidem differenda videatur absolutio, illico ei concedi poterit memorata dispensatio, ne diutius careat iure petendi debitum, sicque incontinentiae periculo maneat obnoxius.

III. Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.

(Ex Rituali Romano).

1. *Parochus Matrimonium celebraturus publicationibus factis tribus diebus festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in ecclesia, superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget, utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone:* [1])

---

[1]) *Germanice:*

F: N. Wollen Sie diese hier gegenwärtige N. nach dem Gebrauche der heiligen katholischen Kirche, unserer Mutter, zu Ihrer rechtmäßigen Ehefrau nehmen? — A: Ich will.

F: N. Wollen Sie diesen hier gegenwärtigen N. nach dem Gebrauche der heiligen katholischen Kirche zu Ihrem rechtmäßigen Ehemanne nehmen? — A: Ich will.

[1]) *Gallice:*

D: N. Voulez-vous prendre N., qui est ici présente, pour votre légitime épouse, suivant le rite de notre mère la sainte Eglise? — *R:* Oui, je le veux.

D: Et vous, N., voulez-vous prendre N., qui est ici présent, pour votre légitime époux, suivant le rite de notre mère la sainte Eglise? — *R:* Oui, je le veux.

[1]) *Anglice:*

Q: N. Wilt thou take N. here present for thy lawful wife,

N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?

---

according tho the rite of our holy Mother the Church? — *A:* I will.

Q: N. Wilt thou take N. here present for thy lawful husband according to the rite of our holy Mother the Church? — *A:* I will.

1) *Hollandice:*

V: N. Wilt gij N. hier tegenwoordig nemen tot uwe wettige huisvrouw volgens het gebruik van onze moeder de h. Kerk? — *A:* Ja, ik wil.

V: N. Wilt gij N. hier tegenwoordig nemen tot uwen wettigen man volgens het gebruik van onze moeder de h. Kerk? — *A:* Ja, ik wil.

1) *Polonice:*

Ad sponsum: N. Masz dobrą a nieprzymuszoną wolę i postanowiony umysł, tę N., którą tu przed sobą widzisz, za małżonkę sobie pojąć?

Sponsus: Mam.

Nie ślubowałżeś któréj innéj wiary małżeńskiéj?

Sponsus: Nie ślubowałem.

Ad sponsam: Także i ty N. masz też dobrą a nieprzymuszoną wolę i postanowiony umysł, tego N., którego tu przed sobą widzisz, za małżonka sobie pojąć?

Sponsa: Mam.

Nie ślubowałażeś komu innemu wiary małżeńskiéj?

Sponsa: Nie ślubowałam.

Sponsus dicit:

Ja N. biorę sobie ciebie N. za małżonkę i ślubuję ci miłość, wiarę i uczciwość małżeńską, a iź cię nie opuszczę aż do śmierci. Tak mi dopomóż Panie Boże Wszechmogący w Trójcy jedyny i wszyscy Święci.

Respondeat sponsus: Volo.

2. *Mox sacerdos sponsam interrogat:* N. vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?

Respondeat: Volo.

Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem. Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, sacerdos iubeat eos invicem iungere dexteras, dicens:

Ego coniungo vos in Matrimonium. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. *Vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum; postea eos aspergat aqua benedicta. Mox benedicat annulum.*[1])

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

Sponsa dicit:

Ja N. biorę ciebie N. za małżonka i ślubuję ci miłość, wiarę, uczciwość i posłuszeństwo małżeńskie, a iż cię nie opuszczę aż do śmierci. Tak mi dopomóż Panie Boże Wszechmogący w Trójcy jedyny i wszyscy Święci.

Sacerdos adstantes alloquatur:

Was, którzyście tu obecni, biorę sobie na świadectwo, jeźliby kiedy była potrzeba: abyście świadczyli o niniejszém małżeństwie, między osobami temi prawnie zawartém i od kościoła potwierdzoném.

1) Annulus etiam pro secundis nuptiis benedicitur *(D. auth. n. 2743 ad 2).* — Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu et rite celebratis singulis Matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma *Ego vos* etc., nihil obstat, quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia *(S. C. Inquis. 1. Sept. 1841).*

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Benedic †, Domine, annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus †, ut quae eum gestaverit, fidelitatem integram suo sponso tenens, in pace et voluntate tua permaneat atque in mutua caritate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

3. *Deinde sacerdos aspergat annulum aqua benedicta in modum crucis; et sponsus acceptum annulum de manu sacerdotis imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae, sacerdote dicente:*

In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Mox subiungat:

V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
R. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc. (*secreto*).
V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.
V. Salvos fac servos tuos,
R. Deus meus, sperantes in te.
V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,
R. Et de Sion tuere eos.
V. Esto eis, Domine, turris fortitudinis,
R. A facie inimici.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, super hos famulos tuos; et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut qui te auctore iunguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

4. *His expletis, si benedicendae sint nuptiae,*[1])

---

[1]) Per benedictionem nuptiarum hic non intelligitur ipsa celebratio Matrimonii, sed illae preces, quae in Missali infra *Missam pro sponso* et *sponsa* post celebrationem

parochus Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus, quae ibi praescribuntur.[1])

Matrimonii praescribuntur. (Cfr. *supra pag. 33 sq.)* — Haec benedictio *conferenda est:* 1) primis nuptiis ex parte viri et mulieris, sive mulier sit virgo, sive corrupta *(S. C. C. 2. Oct. 1593)*; 2) ex consuetudine etiam nuptiis primis ex parte tantum mulieris. *Non est conferenda* haec benedictio: 1. nuptiis secundis ex parte viri et mulieris; 2. nuptiis secundis ex parte mulieris, quae in primis nuptiis benedictionem accepit *(D. auth. n. 2461 ad 1)*; 3. nuptiis tempore clauso celebratis; nec potest Episcopus facultatem ad hoc concedere *(D. auth. n. 3079 ad II)*; 4. si matrimonium est *mixtum,* etsi proles in religione catholica educetur. (Cfr. supra pag. 313.) — Haec benedictio fieri non debet, nisi intra Missam. (Cfr. *D. auth. n. 3922, VI decr. gen.*; atque ea quae supra dicta sunt p. 33 sq. de Missa pro sponso et sponsa.) Congr. S. R. U. Inquis. feria IV. die 31. Aug. 1881 decrevit: „Benedictionem nuptialem, quam „exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponsa et sponso,* „semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, „infra tamen Missae celebrationem, iuxta rubricas, et extra „tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam in „contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obti„nuerint, etiamsi petant postquam diu iam in matrimonio „vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam „in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse „eosdem coniuges catholicos, qui benedictionem sui matri„monii non obtinuerint, ut eam primo quoque tempore „petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, „vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, „benedictionum ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero „ad substantiam et validitatem pertinere coniugii."

[1]) Insuper notandum est: „1) Sacerdotem non teneri Missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat; 2) hanc Missam post contractum coram parocho Matrimonium de eius licentia posse ab alio sacerdote celebrari; 3) in eadem Missa plures sponsos posse benedici;

5. *Ceterum, si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri.*

6. *Peractis omnibus, parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina coniugum et testium, et alia iuxta formulam praescriptam; idque, licet alius sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit.*

IV. De benedicendis nuptiis iubilaeis.

(Ex ,,Instruct. pastoral. Eystett.")

Quando coniuges nuptiarum solemnia post viginti quinque, vel quinquaginta annos repetere et cum gratiarum actione celebrare voluerint, parochus, facta convenienti adhortatione, coniuges faciat propositum renovare permanendi cum pace divina usque ad mortem in societate connubii; iunctas dein coniugum manus stola circumvolvat dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis Patris † et Filii et Spiritus sancti descendat super vos et maneat semper vobiscum. *Deinde:*

Ant. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Psalmus 127. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.

---

4) ab eodem sacerdote celebrante aspergendos esse aqua benedicta sponsos ante altare genuflexos, non autem ab alio sacerdote." *(S. C. Inquis. 1. Sept. 1841.)* 5) ,,Si pro pluribus sponsis una tantum dicitur Missa, nihil in ipsa immutatur in Orationibus vel ceteris rebus." *(Scavini ed. 5. Paris tom. I, n. 838.)*

Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae.

Ecce, sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hos famulos tuos, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione laetos accedentes, et praesta, ut post hanc vitam ad aeternae beatitudinis gaudia (cum prole sua) pervenire mereantur. Per Christum etc.

Tandem aspergat eos more solito.

Missa dicatur de die aut votiva B. M. V., si per rubricas licet, non vero illa pro sponsis. Sub finem addi poterit Hymnus Ambrosianus:

Te Deum laudamus: * te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi caeli, et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, * sanctus Dominus, Deus Sabaoth.

Pleni sunt caeli et terra * maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus * Apostolorum chorus,
Te Prophetarum * laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.
Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia,
Patrem * immensae maiestatis,
Venerandum tuum verum, * et unicum Filium,
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu rex gloriae, * Christe,
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum.
Tu, devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna caelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes, * in gloria Patris.
Judex crederis * esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum Sanctis tuis * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic haereditati tuae.
Et rege eos, * et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies * benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in saeculum, * et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: * miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos: * quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi: * non confundar in aeternum.


V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu,
R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Benedictus es, Domine, in firmamento caeli,

R. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Oremus. Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio vero haec nonnisi honestis coniugibus et Matrimoniis catholicis concedenda est.



Sectio III.

De quibusdam aliis sacerdotum officiis.

I. Modus aspergendi aquam lustralem.

Sacerdos celebraturus[1]) *indutus pluviali coloris officio convenientis, accedit ad altare et ibi ad gradus cum ministris genuflexus, etiam tempore paschali, accipit a diacono aspersorium, et primo ter aspergit altare,*[2]) *deinde se, et erectus ministros, incipiens Antiphonam* Asperges me, *et chorus prosequitur, ut infra. Interim celebrans aspergit clerum, deinde populum,*[3]) *dicens submissa voce cum ministris Psalmum:* Miserere mei, Deus.

---

1) S. R. C. *D. auth. n. 2684 ad 11, n. 3039 ad 5, n. 3055* iussit, aspersionem semper faciendam esse a *celebrante* (licet sit canonicus vel dignitarius), alba et stola (coloris officio convenientis) induto et non per alium, non obstante contraria consuetudine; sed Dominicis tantum diebus *(D. auth. n. 1322 ad 3)*, etiam SS. Sacramento exposito (Gav., Merati, Cav., Carpo etc.), non vero Dominica Palmarum Episcopo earundem benedictionem solemniter celebrante *(D. auth. n. 2089 ad 3)*, quia Episcopo solemniter celebrante non est facienda aquae benedictae aspersio *Caerem. Episc. II, 31 n. 4)*. — Stola aptanda est ante pectus in modus crucis *(D. auth. n. 1637 ad 3)*.

2) Exposito SS. Sacramento, non aspergendum est altare aut altaris scabellum, sed celebrans aspergit se, ministros, clerum et populum tantum. (Cfr. *Gavant. part. IV tit. 19.)*

3) Non licet aquam laicis ob conditionem eorum honestam, multo minus eorum uxoribus, singillatim per contactum

Extra tempus paschale.	*Tempore paschali.*
Ant. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor! lavabis me, et super nivem dealbabor.	*Ant.* Vidi aquam egredientem de templo, a latere dextro, Alleluia, et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent, Alleluia, Allel.
Psalmus 50. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.	*Psalmus 117.* Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.
Vers. Gloria Patri et Filio etc.	*Vers.* Gloria Patri et Filio etc.
Et repetitur Antiphona. Asperges me.	*Et repetitur Antiphona.* Vidi aquam egredientem.

Haec Antiphona praedicto modo dicitur ad aspersionem aquae benedictae in Dominicis per totum annum, excepta Dominica de Passione, *et* Dominica Palmarum, *in quibus non dicitur* Gloria Patri, *sed post Psalmum* Miserere, *repetitur immediate Antiphona* Asperges me.[1])

Finita Antiphona supradicto modo, sacerdos, qui aspergit aquam, reversus ad altare, stans ante gradus altaris iunctis manibus dicat:

---

aspersorii porrigere, cum divinis intersunt *(D. auth. n. 2005);* licet tamen viris primariis, si consuetudo adest *(D. auth. n. 2137).* Immo per se etiam Decanum et singulos de Capitulo *aspergere* debet celebrans, nec ipsis offerenda est aqua benedicta manu eorum ex aspersorio capienda; canonicos quidem singillatim, reliquos de clero si pauci sint etiam singillatim, alioquin unico ictu quasi per gyrum, dein populum *(D. auth. n. 2013, 1—4).*

1) Antiphona haec *Asperges me* vel *Vidi aquam* a celebrante et a cantoribus debet repeti *(D. auth. n. 3402 ad V et VI).*

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam (t. p. Alleluia).

R. Et salutare tuum da nobis (t. p. Alleluia).

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Exaudi nos, Domini sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

II. Modus benedicendi et introducendi puerperam.

(Ex Rituali Romano.)

1. *Si qua puerpera*[1] *post partum iuxta piam ac laudabilem consuetudinem ad ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque a sacerdote benedictionem,*[2] *ipse super-*

---

1) Ad benedictionem hanc ius tantummodo habent mulieres, quae ex legitimo Matrimonio pepererunt *(S. C. C. 18. Julii 1859)*. Partus notorie illegitimus, tamquam effectus causae in Ecclesia abominabilis, talem pro matre favorem non admittit, utpote cui formula benedicendi et gratias agendi praescripta non conveniat; quare tales, quemadmodum etiam puerperae acatholicae, ab hac sacra caeremonia excluduntur. — Mater, cuius proles apud acatholicos baptizata et Ecclesiae catholicae erepta est, a benedictione repellenda, seu potius ad repulsam et confusionem publicam evitandam iam praevie de hoc disciplinae capite omni cum discretione admonenda est. (Cfr. *Dissertatio de non introducenda solemni benedictione in templum puerpera catholica, cuius proles non est a catholico parocho baptizata. Lovanii 1837. Conc. prov. Colon. a. 1860 pag. 110.)*

2) Quoad ius benedicendi puerperas S. R. C. d. d. 21. Nov. 1893 *(D. auth. n. 3813)* declaravit: ,,Benedictionem mulieris post partum fieri *debere* a parocho, si expetitus ipse fuerit; *posse* autem fieri a quocumque sacerdote, si

pelliceo et stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores ecclesiae accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem et candelam accensam in manu tenentem aqua benedicta aspergat; deinde dicat:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domine etc.

R. Qui fecit caelum et terram.

Antiph. Haec accipiet.

Psalmus 23. Domini est terra, et plenitudo eius: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri et Filio, etc.

---

expetitus pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto superiore ecclesiae." — Quae benedictio danda est ad normam Ritualis Rom. nec quidquam mutandum est, etiamsi proles mortua fuerit quandoque sine Baptismo *(D. auth. n. 3059 ad XVII).*

Et repetitur Antiph. Haec accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia haec est generatio quaerentium Dominum.

2. *Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolae, eam introducit in ecclesiam, dicens:*

Ingredere in templum Dei, adora Filium beatae Mariae Virginis, qui tibi foecunditatem tribuit prolis.

3. *Et ipsa ingressa genuflectit coram altari, et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis; et sacerdos dicit:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster *(secreto).*
V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.
V. Salvam fac ancillam tuam, Domine,
R. Deus meus, sperantem in te.
V. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,
R. Et de Sion tuere eam.
V. Nihil proficiat inimicus in ea,
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui per beatae Mariae Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti: respice propitius super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione laetam accedentem, et praesta, ut post hanc vitam, eiusdem beatae Mariae meritis et intercessione, ad aeternae beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. — *R*. Amen.

4. *Deinde illam aspergit iterum aqua benedicta in modum crucis dicens:*

Pax et benedictio Dei omnipotentis, Patris, † et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te et maneat semper. Amen.

III. Modus professionem fidei a neo-conversis excipiendi eosdemque in gremium Ecclesia admittendi.

1. Cum ex communi theologorum doctrina nemo prudenter veram fidem amplecti possit, nisi prius probe intelligat, eam propter certa argumenta, quae vocant motiva, credibilem esse, is, qui id genus animarum Deo lucrari cupit, eiusmodi argumenta dextre efficaciterque cuique ad captum ipsius proponere sciat.

2. Diligenter attendendum, qua quisque intentione convertatur, ne ficte, ne coacte, ne respectu humano, ne metu, vel cupiditate bonorum temporalium, honoris, aut voluptatum mundanarum illectus id faciat; quia omnis plantatio, quam non plantavit Pater caelestis eradicabitur (Matth. 15, 13). Opus igitur est intentione supernaturalis boni, ac desiderio salutis, quae extra Unam, Veram, Sanctam Romano-Catholicam Ecclesiam ac fidem acquiri non potest. Ceterum caveat sacerdos, ne eum, qui intentione minus recta ducatur, statim repellat, sed potius conetur intentionem rectam et puram efficere, siquidem etiam causae mundanae conversioni *ansam* dare possunt.

3. Quanto quis convertendus aut generis nobilitate, aut doctrinae opinione, aut divitiarum opulentia, aut honoris aliquo gradu eminentior supra vulgus est, tanto accuratiore probatione, diligentioreque instructione indiget. Et quo quisque capacior est, tanto melius non solum in speculativis, sed vel maxime in practicis ad omnem christianam perfectionem est informandus.

4. Ex quo tempore quis de fide capessenda deliberat, vel post plenam deliberationem instruitur, quotidianas Deo preces, aliaque opera bona, eleemosynas, ieiunia, mortificationes, instructoris iudicio humiliter et prudenter peragere debet, seque ad

fidei professionem et Sacramentorum dignam susceptionem praeparare eo fere modo, quo olim catechumeni ad fidem Baptismumque suscipiendum a SS. Patribus dispositi sunt, ut ex canonibus et ecclesiastica historia constat.

5. Nemo ab haeresi ad fidem conversus absque gravi causa ad Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae admittendus est ante publicam et iuratam fidei catholicae professionem; tum quia canones et antiqua Ecclesiae consuetudo ita docent, tum quia magis firmatur contra tentationes is, qui eam praestat, tum quia est magni meriti et boni exempli. Porro circa eam sequentia observanda sunt:

a. Si plures simul convertuntur, vel unus honoratus, potest professio fieri cum aliqua solemnitate, accensis pluribus candelis, et pro concione facta denuntiatione et convocato populo; verum sine duobus saltem testibus nunquam facienda.

b. Qui legere novit, professionem prius bene apud se perpensam ipsemet legat; si quis non novit legere, vel si plures faciant, ab uno praelegenda erit.

c. Qui propter publicum aliquod peccatum infamis est, aut male inter haereticos audit, ad fidei professionem admitti non debet, usque dum scandalum removerit malamque famam satis purgaverit.

d. In fidei professione bene explicandae et attendendae sunt voculae, sponte, usque ad extremum spiritum, et contrarias haereses omnes, nominatim vero illam ex qua convertitur, anathematizo et damno, etc.

e. Ante professionem et Sacramentorum participationem instituendum est examen cum neo-converso circa ea, quae ad salutem scitu sunt necessaria. Nam pro certo quidem habendum est, eos ita constitutos esse, ut ante absolutionem ab haeresi libenter discant, quae scire debent; sed postquam ad Sacramenta admissi fuerint, iam se ca-

tholicos et facile satis instructos se habent, ideoque usque ad sepulchrum rudes et semicatholici manent, nec domesticos aut liberos in rebus ad salutem utilibus et apud catholicos consuetis erudire possunt.

f. Notandum, duo esse catechumenorum, qui convertantur, genera. Unum est hominum simplicium et rudium, qui indigent bona instructione tam in speculativis fidei dogmatibus, quam in practicis; sed quoad controversias fidei caute informandi sunt, ne plures errores discant, quam ante habuerint. Alterum est peritiorum, quibus satisfaciendum est circa omnes articulos, quos contra fidem catholicam tenuerunt; explorandi proinde beneque excutiendi, priusquam admittantur ad Sacramenta, itaque instruendi, ut tum internis, quam externis tentationibus possint resistere.

g. In conversione haereticorum, a quocumque loco, vel a quacumque secta venerint, inquirendum de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt *absolute.* Si autem, *pro tempore et locorum ratione* investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut *quodvis* probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tum *sub conditione* secreto baptizentur. Demum si *constiterit,* validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei *(S. Congr. S. R. U. Inqu. 20. Nov. 1878).*

Triplex igitur (ex forma a. S. C. S. Officii d. d. 20. Julii 1859 praescripta et ex decretis d. d. 17. Dez. 1868 et 17. Juni 1715) in conciliandis haereticis distinguitur methodus: I° Si Baptismus *absolute* conferatur, nulla sequitur abiuratio, nec absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum regenerationis. II° Si Baptismus *sub conditione* iterandus est, hoc ordine proceditur: 1° abiuratio seu fidei professio;

2° Baptismus conditionatus; 3° confessio sacramentalis cum absolutione conditionata. At *confessio* etiam praecedere potest baptismum, si modo post baptismum, reassumta per summa capita accusatione, *absolutio* sequitur: ita S. C. Inq. Nov. 1875. III° Quando denique validus iudicatus fuerit Baptismus, sola recipitur abiuratio, seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur.

De facultate absolvendi ab haeresi pro confessario a convertendo libere eligendo mature provideatur. [1])

h. Actus ipse receptionis hoc modo perficitur: [2])

Superpelliceo et stola violacei coloris indutus sacerdos, et neo-conversus cereum accensum manu tenens, genuflectunt coram altari; atque duobus cereis accensis et ad minimum duobus testibus adhibitis, ante professionem dicitur Hymnus:

1. Veni Creator Spiritus, * Mentes tuorum visita, * Imple superna gratia, * Quae tu creasti pectora.

2. Qui diceris Paraclitus, * Altissimi donum Dei, * Fons vivus, ignis, caritas, * Et spiritalis unctio.

3. Tu septiformis munere, * Digitus paternae dexterae, * Tu rite promissum Patris, * Sermone ditans guttura.

4. Accende lumen sensibus, * Infunde amorem cordibus, * Infirma nostri corporis * Virtute firmans perpeti.

5. Hostem repellas longius, * Pacemque dones protinus, * Ductore sic te praevio, * Vitemus omne noxium.

6. Per te sciamus da Patrem, * Noscamus atque Filium, * Teque utriusque Spiritum, * Credamus omni tempore.

7. Deo Patri sit gloria,

[1]) De confesione neo-conversi vide *Lehmkuhl, Theol. moral. II n. 320 seqq.*

[2]) Hic modus recipiendi neo-conversos usitatus exhibetur in *Dumont,* Kirchl. Erlasse pro archid. Coloniensi (scilicet ed. 2. N. 48).

* Et Filio, qui a mortuis * Surrexit, ac Paraclito * In saeculorum saecula. Amen.[1])

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur (Alleluia)
R. Et renovabis faciem terrae (Alleluia).

Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ave Maria . . .

Postea sacerdos sedet (in cornu Epistolae, si sanctissimum Sacramentum in altari asservetur; sin minus, in medio altaris), et neo-conversus coram illo genuflexus emittit professionem fidei,[2]) vel si nesciat legere, sacerdos eidem professionem hanc lente praelegit, ut conversus eam intelligere et cum sacerdote distinctis verbis enuntiare possit.

Professio fidei.

Ego N., firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu sanctu ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secun-

1) Ex decr. d. 20. Junii 1899 (D. auth. n. 4036) ita nunc S. R. C. conclusionem per totum annum occurrente quocumque festo fieri iussit.

2) Quae lingua vernacula habetur in II. appendice.

dum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis

et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Ecclesia catholica transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendum.

Indulgentiarum etiam potestate a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam Romanam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum principis, successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico concilio Vaticano tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio ac profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio et anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte pro-

fiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum: ego idem N. spondeo, voveo ac iuro; sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Ad verba illa: Ego (idem) N. spondeo, voveo ac iuro etc. *neo-conversus tres digitos priores ponit super codicem Evangelii, vel super verba: In principio erat verbum etc.*

Tum sacerdos genuflexus dicit Psalmum „Miserere“:

Miserere mei, Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: * et exsultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proiicias me a facie tua: * et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: * et exsultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri etc. — Sicut erat etc.

Deinde surgit et aperto capite dicit:

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. — Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem. etc.

V. Salvum fac servum tuum *(vel* ancillam tuam), Domine. — *R.* Deus meus sperantem in te.

V. Nihil proficiat inimicus in eo *(vel* in ea).

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

V. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram; ut hunc famulum tuum *(vel* hanc famulam tuam), quem (quam) excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Mox sedet sacerdos ad profitentem conversus, et capite cooperto eum ab haeresi absolvit sequenti forma:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego, auctoritate ipsius et sanctissimi Domini nostri Papae mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi[1]) per haeresim professam, admitto te in gremium sanctae matris Ecclesiae et in Sacramentorum eius participationem et restituo te communioni et unitati fidelium et sanctis Sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Deinde abiuranti aliquam poenitentiam salutarem iniungat, e. g. aliquas preces, visitare ecclesiam aut similia: denique dicitur Hymnus Ambrosianus (v. pag. 394).

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut, omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Sequitur tunc brevis exhortatio ad conversum de fide conservanda et per opera bona et homine catholico digna exercenda etc.

Postea sacerdos actum abiurationis acceptum referet in abiurationum registrum, vel, si desit, in librum baptismalem. Subscribent autem recens conversus (qui si scribere nesciat, mentio de hoc fiat) et testes ad minimum duo, et ipse sacerdos.

---

[1]) In dubio gravi aut levi, num poenitens excommunicationem incurrerit per haeresis professionem, sacerdos hic inserat vocabulum *forsan (S. Congr. S. Off. 20. Julii 1859).*

Quibus omnibus peractis, conversus tempore congruo confitetur peccata sua, et SS. Eucharistiae Sacramenta reficitur. In foro interno confessarius, facultatem ab haeresi absolvendi habens, absolvit iuxta formam communem.

S. Offic. dicto decr. 20. Julii 1859 pro America septemtr. aliam formulam professionis fidei praescripsit, quam hic subnecto translatam in linguam latinam (ex Collect. S. C. de Prop. fid. ed. anni 1893 No. 1689):

Ego N. N., coram me habens sancta Evangelia, quae mea manu tango, et sciens, neminem salvari posse extra fidem, quam tenet, credit, praedicat et docet sancta catholica et apostolica Ecclesia Romana, doleo, quod contra hanc fidem graviter erraverim, eo quod, natus extra Ecclesiam, habuerim et tenuerim doctrinas ipsius doctrinae contrarias. Nunc vero, illuminatus gratia Dei, profiteor me credere, sanctam Romanam Ecclesiam catholicam et apostolicam esse unicam et veram Ecclesiam a Christo Jesu hac in terra fundatam, eique me ex toto corde submitto. Credo igitur omnes articulos, quos ipsa mihi credendos proponit; reprobo et condemno omnia, quae ipsa reprobat et condemnat, atque paratum me declaro ad servanda omnia quae ipsa mihi mandaverit.

Speciatim profiteor et credo: Unum Deum in tribus personis distinctis quidem sed aequalibus, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

(Credo) catholicam doctrinam de Incarnatione, Passione, Morte, et Resurrectione Domini nostri Jesu Christi, hypostaticam duarum naturarum unionem, divinae naturae et humanae; divinam maternitatem Beatissimae Virginis Mariae simul cum eius integerrima Virginitate atque immaculata conceptione.

(Credo) praesentiam veram, realem et substantialem Corporis simul cum Anima et Divinitate

Domini Nostri Jesu Christi in sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

(Credo) Septem sacramenta instituta a Christo Jesu pro salute generis humani, videlicet: baptismum, confirmationem, Eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem, matrimonium.

(Credo) purgatorium, resurrectionem mortuorum, vitam aeternam.

(Credo) primatum Romani Pontificis, successoris S. Petri principis apostolorum et vicarii Jesu Christi, primatum non honoris tantum, sed etiam iurisdictionis.

(Credo) cultum Sanctorum eorumque imaginum.

(Credo) auctoritatem tum apostolicae et ecclesiasticae Traditionis, tum sacrarum Scripturarum, quas non debemus interpretari et intelligere nisi eo sensu, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia catholica.

Credo reliqua omnia, quae a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, speciatim a sacrosancto Concilio Tridentino et Concilio Vaticano definita et declarata sunt.

Dein corde sincero et fide non ficta detestor et abiuro omnem errorem, omnem haeresim et sectam, quae supradictae Sanctae Romanae Ecclesiae catholicae et apostolicae contraria est. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae mea manu tango.

Postea sequitur, ut supra, Psalmus *Miserere* vel *De profundis*, Absolutio etc.: quae quoad substantiam convenit cum formula, quam supra *ex Rituali Romano* dedimus pag. 410.

Quando matrimonio iuncti e secta ad catholicam fidem convertuntur, etiam videri debet, sitne matrimonium eorum validum secundum leges ecclesiasticas. Quodsi fuerit, relinquuntur in suo matrimonio; sin minus, curandum est, ut validum fiat.[1])

---

[1]) De matrimonii *benedictione* cf. supra pag. 391 cum nota.

— Si vero conversio fit eorum, qui nullo modo baptizati erant, ex Judaismo vel in fidelitate, inquirendum tantum est, num matrimonium validum sit secundum legem naturalem; nam impedimentum dirimens ecclesiasticum, etsi forte intercedat, non facit, ut eiusmodi matrimonia sint solvenda: immo baptismo, si ab utroque coniuge accipitur, matrimonium confirmatur et sacramentum evadit; si unus tantum baptizatur, relinquitur in suo statu legitimo non sacramentali, ita ut etiam postea, altera parte renuente pacificam cohabitationem, possit solvi secundum privilegium Paulinum novumque matrimonium iniri. Eiusmodi autem homines ex infidelitate in Ecclesiam suscipiendi non aliam, ut patet, fidei professionem tenentur emittere, quam eam quae in ipso ritu baptizandi seu in *„ordine baptismi adultorum“* continetur. — Ceterum de Baptismo Judaeorum vide Bened. XIV. Const. d. d. 28 Febr. 1747 et 15 Dec. 1751.

IV. De visitatione et cura infirmorum.

(Ex Rituali Romano.)

1. Parochus imprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere.[1] Quare cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat; idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit; horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua aegrotare contigerit, praecipue si morbus gravior fuerit.

2. Ad hoc iuvabit, praesertim in amplis parochiis, aegrotorum notam, seu catalogum habere, ut cuiusque statum et conditionem cognoscat, eorum-

[1] Cfr. *Bened XIV.* Institutio 63; *Giraldi (Barbosa)* de officio et potestate parochi, pag. 65, edit. Rom. a. 1831.

que memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit.

3 Quodsi parochus, legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest, id praestandum curabit per alios sacerdotes, si quos habet in parochia sua, aut saltem per laicos homines pios et christiana caritate praeditos.

4. Aegrotos visitans, ea, qua sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non aegris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem.

5. Eorum vero praecipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi pastoris caritatem et operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, et eleemoysinas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per caritatis, vel alterius nominis confraternitatem, si in ea civitate vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit.

6. Imprimis autem spiritualem aegrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in viam salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adiumentorum praesidio defendat ac tueatur.

7. Accedat autem ad aegrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac praesertim Sanctorum exempla, quae plurimum valent: quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. Horteturque, ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum poeniteat, divinam misericordiam imploret, et infirmitatis poenas, tanquam paternam Dei visitationem patienter ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam moresque suos melius instituat.

8. Deinde qua par est prudentia et caritate, hominem ad sacram Confessionem inducat,[1]) et confitentem audiat, etiamsi velit totius vitae peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam infirmo, quam eius familiaribus vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranensis Concilii,[2]) ac plurium Summorum Pontificum decretis[3]) cavetur sub gravibus poenis, ne medici ultra tertiam vicem aegrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet, illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse.

9. Illud praeterea diligenter servari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid aegroto suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animae convertatur.

10. Ubi vero periculum immineat, parochus monebit[4]) aegrotum, ne daemonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat, quo minus ea, quae ad animae salutem pertinent, opportune procuret, et qua par est devotione et cele-

---

1) Regulares ab Ordinario ad confessiones approbati, nulla indigent parochi licentia ad audiendas ipsius parochianorum confessiones, etiam *infirmorum*, nec etiam in Paschate *(Clemens X. in Constit.* Superna; *Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 11 cap. 14 n. 5:* cfr. *Bouix de iure regularium tom. II p. 340),* dummodo relinquant schedulam, vel notificent ipsis parochis, quod Confessio sacramentalis huiusmodi fuerit ab eis excepta. (Cfr. *S. C. Episc. et Regular. 13. Sept. 1641* apud Bizarri Collectanea etc. pag. 27.)

2) Can. 22 in cap. *Cum infirmitatis.*

3) S. Pii V. Const. *Super gregem Dominicum* (1566); Benedict. XIII. in Conc. Rom. a. 1725; cfr. *Bened. XIV. Institutio 22.* Quod tamen nostra aetate tam severe observari fere nequit.

4) Parocho *(confessario)* incumbit, si nemo adsit, qui hoc officium praestare velit, veritatem infirmo revelare, et statum periculosum aperire, ut sedulo cogitet ea, quae pro salute animae necessaria sunt *(Baruffaldus in h. l.).*

ritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quae plurimos ad aeterna supplicia perduxit, in diesque, fallente diabolo, perducit.

11. Quodsi aeger aliquis hortationibus ac monitis sacerdotum, vel amicorum et domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est; sed quamdiu ille vivit, repetendae sunt frequentes, variae, et efficaces sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque aeternae salutis damna, et sempiternae mortis supplicia; ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad poenitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendae sunt etiam tum privatae, tum publicae ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.[1])

12. Videbit denique sacerdos, quibus potissimum tentationibus aut pravis opinionibus aeger sit subiectus, eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

13. Sacras imagines Christi Domini crucifixi, beatae Mariae Virginis, et Sancti, quem aeger praecipue veneratur, ob oculos eius apponi curabit. Vasculum item adsit aquae benedictae, qua frequenter aspergatur.

14. Proponet etiam aegrotanti, prout eius conditio feret, aliquas breves orationes, et pias mentis ad Deum excitationes; praesertim versiculos e

[1]) Verbis primo utendum est ad convincendos pertinaces, deinde orationibus; sed prae ceteris posterior modus validior est, a quo abhorrere non debent tum parochus, tum adstantes. Itaque genibus flexis et omni humilitate iacentes tam parochus, quam domestici, et si qui alii sint, orent super eum enixis precibus, ut audiantur et videantur a pertinace infirmo *(Baruffaldus in h. l.)*.

Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, et Sanctorum martyria et exempla, ac caelestis gloriae beatitudinem. Haec tamen opportune et discrete suggerantur, ne aegroto molestia, sed levamen afferatur.

15. Consoletur infirmum, dicens, se pro eo in Missae sacrificio et aliis precibus oraturum, curaturumque ut alii itidem pro eo faciant; idque re ipsa praestabit.

16. Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, aegroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat, et testamentum faciat; si quid habeat alienum, restituat,[1]) et ad remedium animae suae pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat; sed haec suggerendo omnis avaritiae nota caveatur.

17. Hortetur denique, ut si convaluerit, ante omnia ad ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat

---

[1]) Caute agere debet confessarius cum moribundis, qui ad restitutionem obligati sunt. Sic procedere iuvabit: 1⁰ si poenitens reperiatur *in bona fide* nec *supersit tempus* eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur non *profutura monitio,* ea omissa, erit absolvendus. 2⁰ Si vero fructus monitionis speretur, aut si versetur poenitens in ignorantia vincibili, fortiter simul et suaviter admonendus est de restitutionis obligatione et ad illam statim peragendam adiuvandus. 3⁰ Si obligatio occulta sit, nec statim fieri queat, aeger inducendus est ad summam pecuniae ipsi confessario vel viro fideli (quod magis suadendum videtur) committendam, ut postea creditori secreto mittatur, vel ad eam summam in testamento creditori legandam, omissa restitutionis mentione. 4⁰ Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, procuret confessarius, ut per heredes certo facienda sit, sive per schedulam creditori tradendam etc.

de restituta valetudine, et sacram Communionem pie suscipiat, ac deinceps meliorem vitae disciplinam teneat.

18. *Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus et aegrotorum conditio feret, arbitrio sacerdotis dici vel omitti possunt.*

19. *Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus, primum dicat:*

V. Pax huic domui.

R. Et omnibus habitantibus in ea.

20. *Mox infirmum, et lectum eius, et cubiculum aspergat aqua benedicta dicens Antiphonam* Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. *Deinde erga infirmum officium suum praestet, ut supra dictum est. Quo praestito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus Poenitentialibus* (v. *pag. 409 Ps.* Miserere) *vel Ps. 90.* Qui habitat in adiutorio etc. *cum* Gloria Patri *in fine. Postea dicat:*

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. — Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Salvum fac servum tuum,

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,

R. Et de Sion tuere eum.

V. Nihil proficiat inimicus in eo,

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

V. Esto ei Domine turris fortitudinis,

R. A facie inimici.

V. Dominus opem ferat illi,

R. Super lectum doloris eius.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos,

et hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem; ut ope misericordiae tuae adiutus, Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur.

Concede, hunc famulum tuum, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeternae perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Benedictio Dei, omnipotentis, Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper.[1] — *R.* Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

Modus iuvandi morientes.

1. *Ingravescente morbo, parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter iuvare non desinet; monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti,*[2])

---

1) In Appendice Rit. Romani edit. typica habetur specialis *Benedictio adulti aegrotantis*, et alia *Benedictio puerorum aegrotantium.*

2) Moribundi *nondum sensibus destituti* et in absolutionem consentientes, mandatisque confessarii obtemperantes, absolvendi sunt *absolute*, si confessionem ultro requirant, aut si libenti animo confiteri proponant; *conditionate* absolvendi sunt, si vix confiteri velint, aut de ipsorum sufficienti contritione prudenter dubitetur. — Moribundi *sensibus destituti* absolvendi sunt vix non omnes, saltem conditionate: a) qui, licet fuerint habituati in peccatis et confessi adhuc non sunt, ante sensuum privationem expresse

sumptoque sanctissimo Viatico, et sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis animae officium praestabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia praestare poterit, si ita expedire iudicaverit, pro conditione personae.

2. *Ac primo, si aegrotus indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat: praesertim, ut contrito corde*

---

confessionis desiderium ostenderunt, v. g. iubendo advocari sacerdotem etc. *(S. Alph. lib. 6 num. 481);* b) qui christiane vixerunt, etsi nullum sit signum doloris, nec petitionis confessionis certum *(S. Alph. l. c. 482);* c) qui parum christiane vixerunt, quia adhuc in ipsis praesumi aliquo modo potest poenitentia *(Lacroix n. 1162);* d) qui in ipso actu peccati sensibus destitutus est, e. g. in duello, adulterio, furto etc. — Ratio est, quia etiam iste potest habere lucidum intervallum, et velle in hoc extremo periculo cum Deo reconciliationem, et desiderium suum fortasse aliquo modo ostendit *(S. Alph. lib. 6 num. 483).* — Nullo modo potest absolvi moribundus, qui recusat certo Sacramentum Poenitentiae, vel nullo modo praesumi potest attritus. — Dum infirmus *adhuc sensibus viget,* absolutionem pluries ei conferre post brevem exhortationem iuvabit. Si autem *iam rationis usu videtur carere,* nec ullum doloris vel absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit tam saepe intra eundem diem absolutionem ei impertiri: sacerdos se dirigere potest, quantum sigilli ratio permittit, ex infirmi conscientia, quam novit, ita ut propter graves tentationes et labendi periculum, quod infirmus patiatur, saepius absolutio detur. Non autem abs re erit, aegrotum, dum mente pollet, monere, ut, si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quaerit, e. g. oculos claudat, vel reseret, caput inclinet, et similia *(S. Alph. lib. 6 n. 482. Scavini tract. 10, disp. I, cap. 3 scholion).*

sanctissimum nomen Jesu semel vel saepius invocet (vide supra pag. 290—294).

3. *Deinde hortetur infirmum, et excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei et caritatis aliarumque virtutum, nempe:*

Ut firmiter credat omnes articulos fidei, et quidquid sancta Romana Ecclesia Catholica et Apostolica credit et docet: — ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, et merito eius sanctissimae Passionis, et per intercessionem beatae Mariae et omnium Sanctorum se vitam aeternam consecuturum; — ut toto corde diligat, et maxime diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati Sanctique omnes; — ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa qualitercumque contra Dominum Deum et proximum commissa; — ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti aut inimici; — ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit; — ut, quem patitur dolorem et morbi molestiam, propter Deum in poenitentiam peccatorum suorum patienter toleret; — ut, si Dominus sibi salutem corporis praestare dignabitur, proponat de cetero pro viribus suis a peccatis cavere, et eius mandata servare.

4. *Hortetur praeterea, ut eo modo, quo potest, saltem ex corde ita per intervalla precetur:*

Miserere mei, Deus, secundum magnum misericordiam tuam. — In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. — In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis. — Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuvandum me festina. — Esto mihi, Domine, in Deum protectorem. — Deus, propitius esto mihi peccatori. — Dulcissime Domine Jesu Christe, per virtutem sanctissimae Passionis

tuae recipe me in numerum electorum tuorum. — Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. — Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe. — Sancte Angele Dei, mihi custos assiste. — Omnes sancti Angeli, et omnes Sancti intercedite pro me, et mihi succurrite.

5. *Haec et his similia poterit prudens sacerdos vulgari*[1]) *vel latino sermone, pro personae captu, morienti suggerere.*

Ordo commendationis animae.

1. *Parochus ad decedentis animae commendationem accedens, clericum saltem unum, si potest, secum habeat, qui deferat vasculum aquae benedictae, superpelliceum et stolam violaceam, quibus ipse sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens, dicat:*

Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergat aegrotum, lectum, et circumstantes aqua benedicta, dicens:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

2. *Postea Salvatoris nostri crucifixi imaginem aegroto osculandam praebeat, verbis efficacibus*[2]) *eum ad spem aeternae salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens salutis suae spem sumat.*

3. *Deinde accensa candela,*[3]) *genibus flexis, cum*

---

[1]) Poterit etiam uti precibus in II. appendice contentis.

[2]) Quanta poterit maiori devotione, admoneatque domesticos et circumstantes, ut simul orent pro moriente. — Aegrotum alloqui potest vulgari sermone, verbis in II. appendice contentis.

[3]) Candelam moribundo praebens vel ostendens uti poterit verbis in II. appendice contentis.

omnibus circumstantibus breves Litanias[1]) *devote recitet in hunc modum:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Sancta Maria, ora pro eo.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel,
Omnis chorus iustorum,
Sancte Abraham,
Sancte Joannes Baptista,
Sancte Joseph,
Ora pro eo.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro eo.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Joannes,
Ora pro eo.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro eo.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro eo.
Omnes sancti Innocentes, orate pro eo.
Sancte Stephane, ora pro eo.
Sancte Laurenti, ora pro eo.
Omnes sancti Martyres, orate pro eo.
Sancte Sylvester, ora pro eo.
Sancte Gregori, ora pro eo.
Sancte Augustine, ora pro eo.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro eo.
Sancte Benedicte, ora pro eo.
Sancte Francisce, ora pro eo.
Sancte Camille, ora pro eo.
Sancte Joannes, ora pro eo.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena, ora pro eo.
Sancta Lucia, ora pro eo.

---

1) In his Litaniis, quando recitantur pro muliere, variandum est genus, et in orationibus et precibus eiusdem commendationis animae similiter fieri debet variatio, ubi sensus id exposcit.

Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro eo.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro eo.
Propitius esto, parce ei, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.

Ab ira tua,
A periculo mortis,
A mala morte,
A poenis inferni,
Ab omni malo,
A potestate diaboli,
Per nativitatem tuam,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per gloriosam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per gratiam Spiritus sancti Paracliti,
In die iudicii,
— Libera eum, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos,
Ut ei parcas, te rogamus, audi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

4. *Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes orationes:*

Oremus. Proficiscere, anima christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit, in nomine Jesu Christi, Filii Dei vivi, qui pro te passus est, in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est, in nomine Angelorum et Archangelorum, in nomine Thronorum et Dominationum, in nomine Principatuum et Potestatum, in nomine Cherubim et Seraphim, in nomine Patriarcharum et Prophetarum, in nomine sanctorum Apostolorum et Evangelistarum, in nomine sanctorum Martyrum et Confessorum, in nomine sanctorum Monachorum et Eremitarum, in nomine sanctarum Virginum et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei. Hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in sancta

Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Oremus. Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est, et unitati corporis Ecclesiae membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrimarum eius, et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuae sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, carissime frater, et ei, cuius es creatura, committo, ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terrae formaverat, revertaris. Egredienti itaque animae tuae de corpore splendidus Angelorum coetus occurrat, iudex Apostolorum tibi senatus adveniat, candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet, liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet, iubilantium te Virginum chorus excipiat, et beatae quietis in sinu Patriarcharum te complexus adstringat, mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi deterrimus satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in aeternae noctis chaos immane diffugiat. Exsurgat Deus, et dissipentur

inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei; et iusti epulentur et exsultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareae legiones, et ministri satanae iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab aeterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus, Filius Dei vivi, intra paradisi sui semper amoena virentia, et inter oves suas te verus ille pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et praesens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinae dulcedine potiaris in saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Oratio. Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandae sibi salvationis a misericordia tua.
R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni, et de laqueis poenarum, et ex omnibus tribulationibus. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi.
R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noë de diluvio. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldaeorum. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahae.
R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, et de flamma ignis. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis, regis Aegyptiorum.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. — *R.* Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul, et de manu Goliae.

R. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus. — *R.* Amen.

Et sicut beatissimam Theclam, virginem et martyrem tuam, de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam huius servi tui, et tecum facias in bonis congaudere caelestibus.

R. Amen.

Oratio. Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui N. precamurque te, Domine Jesu Christe, Salvator mundi, ut, propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero; quia non est alius Deus praeter te, et non est secundum opera tua. Laetifica, Domine, animam eius in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum eius antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio. Delicta iuventutis, et ignorantias eius, quaesumus, ne memineris, Domine; sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuae. Aperiantur ei coeli, collaetentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michaël Archangelus Dei, qui militiae caelestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, et perducant eum in civitatem caelestem Jerusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claves regni caelestis traditae sunt. Adiuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes, electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta caelestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti et Electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc saeculo sustinuerunt; ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni caelestis, praestante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. — ℞. Amen.

In exspiratione.

1. *Cum tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens, sive sacerdos pro eo elata voce pronuntiet:* Jesu, Jesu, Jesu. *Quod et ea, quae sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam saepius repetat.* In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

2. *Tunc, ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana parochialis ecclesiae aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus instantem mortem exspirantis aegroti, ut pro eo Deum rogare possint.*

3. *Egressa anima de corpore, statim dicatur hoc:*

R. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, * Suscipientes animam eius, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli deducant te.

R. Suscipientes animam eius, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

R. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine, etc.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animam eius.

V. Requiescat in pace, etc.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N., ut defunctus saeculo tibi vivat: et quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

4. *Interim detur campana signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro eius anima Deum precentur. Deinde corpus de more honeste compositum loco decenti cum lumine collocetur; ac parva crux super pectus inter manus defuncti ponatur; aut ubi crux desit, manus in mo-*

dum crucis componantur; interdumque aspergatur aqua benedicta; et interim, donec efferatur, qui adsunt, sive sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto.

V. De sepultura ecclesiastica et exsequiis.[1]

(Ex Rituali Romano.)

1. Sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, et Summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exsequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria christianaeque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, parochi summo studio servare debent, atque usu retinere.

2. His itaque praestandis, qua par est modestia ac devotione, ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quaemadmodum vere sunt, non ad quaestum, eiusmodi ritus sancti instituti esse videantur.

3. Nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

4. Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur.

5. Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis, praesente corpore, celebrari poterit; dum tamen conventualis Missa et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet.

6. Caveant omnino parochi aliique sacerdotes ne sepulturae vel exsequiarum seu anniversari

---

[1]) Cfr. *Bened. XIV.* Inst. 36 et 54.

mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant; sed iis eleemosynis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. Neque permittant, ut pallia aut alia altaris ornamenta ad ornatum feretri vel tumbae adhibeantur.[1])

7. Cum autem antiquissimi ritus ecclesiastici sit, cereos accensos in exsequiis et funeribus deferre, caveant item, ne eiusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare aut indigne in eo committatur.

8. Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, iuxta loci consuetudinem.

9. Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeteriis, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur; at vero cui locus sepulturae dabitur in ecclesia, humi tantum detur. Cadavera autem prope altaria non sepeliantur.

10. Sepulchra sacerdotum et clericorum cuiuscumque ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita; atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiae ministris parata sint.

11. Sacerdos, aut cuiusvis ordinis clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus

---

[1]) S. R. C. interrogata, „utrum feretrum, si in ea reconditur *corpus puellae innuptae*, panno ex *lana alba* contexto cooperire liceat in signum virginitatis, et etiam pro castro doloris in die tertia, septima et trigesima et anniversario ipsius puellae innuptae"? respondit *(D. auth. n. 3035 ad 11)* „Negative in utroque casu"

usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali vel clericali, quem ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, et casula seu planeta violacea sit indutus.

12. Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quae sub axilla dextra annectatur, et dalmatica violacea.

13. Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella.

14. Alii praeterea inferiorum ordinum clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent; singuli praedicti cum tonsura ac biretis suis.

15. Nullum porro cadaver perpetuae sepulturae traditum ex ulla cuiusvis ordinis ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarii.

16. Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit, clerici ne deferant, sed laici.

17. Corpora defunctorum in ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare maius, vel si conduntur in oratoriis aut capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria; quod etiam pro situ et loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus altare.

18. Ceterum nemo christianus, in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam aut coemeterium rite benedictum sepeliri debet; sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum, illum in Christo quievisse.

Quibus non liceat dare ecclesiasticam sepulturam.[1]

1. Ignorare non debet parochus, qui ab ecclesiastica sepultura ipso iure sint excludendi, ne quemquam ad illam contra sacrorum canonum decreta unquam admittat.

2. Negatur igitur ecclesiastica sepultura paganis, Judaeis, et omnibus infidelibus; haereticis, et eorum fautoribus; apostatis a christiana fide; schismaticis, et publicis excommunicatis maiori excommunicatione: interdictis nominatim, et iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.

3. Seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat), nisi ante mortem dederint signa poenitentiae.

4. Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa.[2]

5. Manifestis et publicis peccatoribus,[3] qui sine poenitentia perierunt.

6. Iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt.

7. Infantibus mortuis absque Baptismo.

8. Ubi vero in praedictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

---

[1] Cfr. Archiv für katholisches Kirchenrecht. Neue Folge. Band 10, Seite 323.

[2] Agunt de hac re ephemerides *Katholik* a. 1862 vol. II p. 187; et *Kölner Pastoralblatt* a. 1868 pag. 90.

[3] Quinam sint manifesti et publici peccatores, vide supra pap. 262 n. 8. — Si sacerdos solus testis fuerit impoenitentiae moribundi, non est deneganda sepultura ecclesiastica, nisi aliunde ipsi denegari debeat, eo quod v. g. scandalum non reparaverit.

Modus sepeliendi adultum.

(Exsequiarum ordo.)

1. *Constituto tempore, quo corpus ad ecclesiam deferendum est, convocetur clerus, et alii, qui funeri interesse debent, et in parochialem, vel in aliam ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac datis certis campanae signis, eo modo et ritu, quo in eo loco fieri solet, parochus* [1], *indutus superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali eiusdem coloris, clerico praeferente crucem, et alio aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit. Distribuuntur cerei, et accenduntur intortitia. Mox ordinatur processio, praecedentibus laicorum confraternitatibus, si adsint; tum sequitur clerus regularis et saecularis per ordinem; binique procedunt, praelata cruce, devote Psalmos, ut infra, decantantes, parocho praecedente feretrum, cum luminibus; inde sequuntur alii funus comitantes et pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio.*

2. *Parochus vero, antequam cadaver efferatur, illud aspergit aqua benedicta. Mox dicit Antiphonam.* Si iniquitates observaveris, *cum Psalmo.*

De profundis clamavi ad te, Domine: * Domine exaudi vocem meam:

---

[1]) Possunt Regulares cum stola et cruce conventus et sine parochi interventu deferre ad coemeterium commune Regularis defuncti cadaver, modo id fiat absque solemni pompa, et defunctus recto tramite deferatur ad coemeterium (S. C. C. 24. Jan. 1846). Associatio cadaveris sanctimonialium pertinet ad earum confessarium, dummodo cadaver deferatur cum stola et cruce, sed absque pompa, et recto tramite ad coemeterium (S. C. C. 24. Febr. 1872. Cfr. *Acta S. Sedis* vol. VII p. 161–173, ubi illud *pompa* de solemni et numeroso comitatu extraneorum, confraternitatum etc. explicatur).

Fiant aures tuae intendentes, * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia; * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, * ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem aeternam.

Repetit Antiphonam totam Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit? *Deinde cadaver effertur, parochusque de domo procedens, statim gravi voce intonat Antiphonam* Exsultabunt Domino; *et cantores inchoant Psalmum* Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc. (pag. 409), *clero, alternatim prosequente; at si longitudo itineris postulaverit, dicantur Psalmi Graduales.* Ad Dominum cum tribularer etc. vel *alii Psalmi ex Officio mortuorum: et in fine cuisque Psalmi dicitur:* Requiem aeternam dona ei, Domine, etc. *qui Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari debent usque ad ecclesiam.* [1])

3. *Ad ingressum ecclesiae repetitur Antiphona* Exsultabunt Domino ossa humiliata. *Deinde ecclesiam ingressi, cantant Responsorium, cantore incipiente, et clero alternatim respondente, videlicet:*

---

1) Si corpus non in ecclesiam, sed statim ad sepulchrum defertur, sequitur antiphona *In paradisum* etc. pag. 442 ante num. 12.

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini — Suscipientes animam eius.

Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Suscipiat te Christus, qui vocavit te: et in sinum Abrahae Angeli deducant te.

Suscipientes animam eius.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei.

Offerentes eam in conspectu Altissimi.

4. *Deposito feretro in medio ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius, si vero fuerit sacerdos,*[1] *ut dictum est, caput sit versus ipsum altare, et cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediat*[2] *dicatur Officium mortuorum*[3] *cum tribus Nocturnis et Laudibus, et duo ex clero incipiant absolute Invitatorium* Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus, *et repetitur a clero,* Regem, cui omnia vivunt, etc.

---

1) In exsequiis defuncti sacerdotis praesenti corpore locetur crux ad caput defuncti inter feretrum et altare *(D. auth. n. 2392 ad 2)* et celebrans se sistit semper ad pedes defuncti contra crucem.

2) Si cadaver delatum sit in ecclesiam, officium autem mortuorum ad aliud tempus remittatur, post *Subvenite* addi potest *Kyrie, Pater noster* et Oratio *Absolve* cum aspersione *(D. auth. n. 2983 ad 4).*

3) Parochus aliique sacerdotes exsequiis mortuorum officiisque quotidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, tenentur per se officium defunctorum persolvere, ita ut, qui solummodo assistunt et non cantant vel psallunt, fructus non faciant suos; nec sufficit, ut assistant et schola officium persolvat, ipsis interea pro suo lubitu alias preces fundentibus, v. g. Breviarium recitantibus pro sua quotidiana obligatione *(D. auth. n. 3045).*

Psalm. Venite, exsultemus, etc. *et duplicantur Antiphonae.* [1])

5. *Ad finem Officii post Antiphonam Cantici* Benedictus, etc. Ego sum resurrectio etc. *dicitur* Pater noster *secreto.*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animam eius.

R. Requiescat in pace, etc.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Absolve, quaesumus, Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

6. *Dum in Officio dicuntur Laudes, sacerdos cum ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro defuncto, si tempus congruens fuerit, ut in die depositionis in Missali Romano.* [2])

---

[1]) In officio defunctorum, licet pro uno tantum dicatur, ante Lectionem *Parce mihi, Domine* (I. Noct.) *V.* cum *R.* dicitur prout iacet, i. e. „erue animas *eorum*“: *(D. auth. n. 2572 ad 24).*

[2]) Si sacerdos sermonem habere debet vel velit in laudem defuncti, pro quo Missa celebrata est, eiusmodi concionem nunquam inter ipsam Missam, finito Evangelio Missae, facere licet, sed tantummodo finita Missa, et quidem ante absolutionem *(Caerem. Epist. l. 1 cap. 22 n. 6).* Ante absolutionem itaque sermocinaturus, *vestibus nigris* (veste talari et pallio) indutus, *sine* cotta (superpellico) et facta oratione ante medium altare, nulla petita benedictione ab Episcopo (si adsit), sed facta ei (et altari) profunda reverentia... ascendet pulpitum panno nigro coopertum, ubi, facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo crucis facit sermonem *(Caerem. Episc. lib. 2 cap. 11 n. 10 et cap. 12 n. 6).* Hunc ritum in omnibus ecclesiis servandum esse, et vesti-

Absolutio ad feretrum praesente corpore.

7. *Finita Missa, sacerdos*[1] *deposita*[2] *casula, seu planeta, et manipulo, accipit pluviale nigri coloris; et subdiaconus accipit crucem, et accedit ad feretrum, et se sistit ad caput defuncti cum cruce, medius inter duos acolythos seu ceroferarios cum candelabris et candelis accensis; et omnes alii de clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, et stant in circuitu feretri; tum sequitur sacerdos cum diacono et assistente, aliisque ministris, et facta reverentia altari, sistit se contra crucem ad pedes defuncti, retro adstantibus ei a sinistris duobus acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase aquae benedictae et aspersorio, et acolytho seu clerico tenente librum, absolute dicit sequentem Orationem:*[3]

Non intres in iudicium cum servo[4] tuo, Domino, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quaesumus, tua iudicialis sententia

---

bus nigris stolam non comprehendi, ideoque stolam super veste talari gestari *non* posse, S. R. C. declaravit die 14. Julii 1845 *D. auth. n. 2888.*

[1]) In die obitus non potest alius sacerdos a celebrante diversus accedere ad absolutionem peragendam; hoc iure gaudet tantum Episcopus *(D. auth. n. 3029 ad 10).*

[2]) In plano ad cornu Epistolae *(D. auth. n. 3108 ad V).*

[3]) Absolutio permittitur omnibus diebus, quibus permittitur Missa de Requiem; aliis diebus vero non permittitur ut post Missam diei absolutio in nigris peragatur *(S. R. C. in collect. Gardell n. 2433 ad 2 et in coll. Gard. n. 4702).* — Officium super cadaveribus in ecclesiis regularium per ipsos regulares, non autem per parochos defunctorum peragi debet *(S. R. C. 9. Dec. 1638 Coll. Gard. n. 1103).*

[4]) Ex decretis S. R. C. *(D. auth. n. 2355)* nihil immutare licet in hac Oratione pro defuncta muliere aut pluribus defunctis.

premat, quem tibi vera supplicatio fidei christianae commendat, sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis, qui, dum viveret, insignitus est signaculo sanctae Trinitatis; qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R. Amen.

8. *Deinde cantore incipiente, clerus circumstans cantat sequens Responsorium.* [1]

Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda: * quando coeli movendi sunt et terra: * dum veneris iudicare saeculum per ignem.

V. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. — Quando coeli movendi sunt et terra.

V. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde:

Dum veneris iudicare saeculum per ignem.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.

R. Libera me etc. *usque ad V.* Tremens.

9. *Dum cantatur praedictum Responsorium, sacerdos, acolytho seu diacono ministrante, accipit incensum de navicula, et ponit in thuribulum; et finito Responsorio, cantor cum primo choro dicit:*

Kyrie eleison, *et secundus chorus respondet:*
Christe eleison; *deinde omnes simul dicunt:*
Kyrie eleison.

10. *Mox sacerdos dicit alta voce* Pater noster, *et secreto dicitur ab omnibus; et ipse interim accipit a diacono vel acolytho aspersorium aquae benedictae, et facta profunda inclinatione cruci, quae*

---

[1]) Responsorium *Libera* canendum non est nisi finita Missa, et cantores illud incipiant, cum sacerdos fuerit pluviali indutus et subdiaconus cum cruce ad pedes tumuli pervenerit, etiamsi castrum doloris absit in medio chori" *(D. auth. n. 3108 ad IV).*

est ex adverso, diacono seu ministro genuflectente, et fimbrias pluvialis sublevante, circumiens[1]) *feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit), aspergit corpus defuncti; deinde reversus ad locum suum, diacono ministrante, accipit thuribulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus incensat, ut asperserat; postea reddito thuribulo ei, a quo acceperat, stans in loco suo, acolytho seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit:*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animam eius.

V. Requiescat in pace, etc.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere: te supplices exoramus pro anima famuli tui N., quam hodie de hoc saeculo migrare iussisti, ut non trades eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed iubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci: ut quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Si defunctus fuerit sacerdos, in Oratione dicatur: pro anima famuli tui N. sacerdotis, quam hodie etc.

11. *Finita Oratione, corpus defertur ad sepulchrum, si tunc deferendum sit; et dum portatur, clerici cantant Antiphonem:*

---

[1]) „In exsequiis non solemnibus, sive corpore praesente, sive non, sufficit, ut celebrans sine circuitione ter ducat aspersorium super feretrum vel tumulum, nempe in medio, a latere dextero et a sinistro“ *(Man. eccl. Rom. n. 661 pag. 32 Supplem.).*

In paradisum deducant te Angeli, in tuo adventu suscipiant de Martyres, et perducant te in civitatem sanctam Jerusalem.

Chorus Angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem.

12. *Cum autem pervenerit ad sepulchrum, si non est benedictum, sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem:*

Oremus. Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, hunc tumulum bene † dicere dignare, eique Angelum tuum sanctum deputa custodem: et quorum quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

13. *Dicta Oratione, sacerdos aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus defuncti, et tumulum.*

[NB. Rituale Romanum non habet preces sub hisce actibus persolvendas: quare ex Baruffaldo, Rituale Ratisb., et Agend. Colon. eas adieci, quibus uti possunt, ubi permissum est.]

Dum sacerdos corpus aspergit:

Rore caelesti perfundat et reficiat animam tuam Deus Pater et Filius † et Spiritus sanctus.

R. Amen.

Dum incensat:

Odore caelesti pascat animam tuam Deus, Pater et Filius † et Spiritus sanctus. — *R.* Amen.

In actu sepeliendi:

Sume terra, quod tuum est; sumat Deus, quod suum est, corpus de terra formatum, spiritus de caelo inspiratus est.

Pala ter proiiciens terram super funus:

Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

Vel:

De terra plasmasti eum (eam), pelle et carnibus vestiti eum (eam), resuscita eum (eam) in novissimo die.

Assumpta cruce cum extremitate hastae ter signat tumbam tribus in locis (in capite, in medio et ad pedes) dicens:

Signum Salvatoris Domini nostri Jesu † Christi sit signatum super te, qui in hac imagine † redemit te, nec permittat † introire Angelum percutientem in aeternum.

Vel:

Signo corpus tuum hoc signaculo crucis †, ut in die iudicii resurgat †, et vitam aeternam possideat †. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

14. *Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omisso Responsorio* In paradisum etc. *et benedictione sepulchri, si iam est benedictum, prosequatur Officium, quod nunquam omittitur, et intonet Antiphonam* Ego sum, *et dicitur Canticum* Benedictus.

Et repetitur Antiph. Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum.

Postea sacerdos dicit:

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. — Pater noster, etc. *interim corpus aspergit.*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.
V. A porta inferi,
R. Erue, Domine, animam eius.
V. Requiescat in pace. — *R.* Amen.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Fac, quaesumus, Domine, hanc cum servo tuo defuncto *(vel* famula tua defuncta) misericordiam, ut factorum suorum in poenis non

recipiat vicem, qui (*vel* quae) tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic eum (*vel* eam) vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum (*vel* eam) tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine, etc.

R. Requiescat in pace. — *R.* Amen.

V. Anima eius, et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. — *R.* Amen [1])

15. *Deinde a sepultura in ecclesiam, vel in sacristiam revertentes dicant sine cantu Antiphonam* Si iniquitates, [2]) *cum Psalmo* De profundis etc. (v. pag. 435). Requiem aeternam etc.

16. *Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, praedictum officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest; deposito in ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi eiusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio* Regem, cui omnia vivunt, Venite adoremus.

17. *Et postea omnia alia dicantur, quae supra praescripta sunt dicenda post Officium mortuorum et Missam.*

---

1) Multis in locis sacerdos loco sermonis funebris apud sepulchrum lingua vernacula recitat orationem in II. appendice contentam.

2) Haec Antiph. cum Psalmo *De profundis* dici debent post absolutionem ad tumulum in reditu ad sacrarium, non vero cum, celebrata Missa *De Requiem,* ad medium progreditur processionaliter pro exsequiis absolvendis *(D. auth. n. 2696 ad 2).*

18. *Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non possit, aliae praedictae preces et suffragia nunquam omittantur.*

19. *Missa vero, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, praesente corpore, non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat; et post Missam fiat ut supra.*

De absolutione ad feretrum absente corpore

sive

Da officio faciendo in exsequiis, absente corpore defuncti, et in die tertio, trigesimo et anniversario.

(Ex Rit. Rom.)

1. *Si faciendae sint exsequiae absente corpore, eo die, quo bene visum fuerit, in ecclesia dicatur Officium mortuorum, cum tribus Nocturnis et Laudibus et Antiphonis duplicatis, vel saltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus et Laudibus et Missa.*[1] *Post Missam celebrans deponit manipulum et planetam, accipit pluviale nigri coloris, et praecedentibus subdiacono cum cruce, et clero, et duobus ceroferariis cum luminaribus accensis et duobus acolythis, uno cum navicula incensi et thuribulo, et altero cum vasculo aquae benedictae et aspersorio, et libro Rituali, accedit cum diacono a sinistris ad locum tumuli,*[2] *et ibi a circumstante clero cantatur Responsorium:*

---

1) In fine Missae cantatae de Sancto fieri non potest absolutio iuxta lecticam collocatam in plano ecclesiae canendo *Libera me etc. (D. auth. n. 2186).*

2) Cadavere *absente,* licet insepulto, crux locatur semper inter feretrum et fores ecclesiae, seu ad *pedes* tumbae contra altare, et celebrans inter altare et tumbam contra cru-

R. Libera me, Domine, etc. [*ut supra pag. 440*]. *Interim ministratur incensum, benedicitur, et imponitur in thuribulum.*

2. *Postea dicitur:* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos dicit Pater noster, *et dum secreto dicitur, accipit aspersorium, circuit tumbam aspergens; deinde incensat eodem modo, ut* [*pag. 440 n. 10*] *dictum est.* [1])

3. *Postea dicit: V.* Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animam eius.

V. Requiescat in pace. — *R.* Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Absolve, quaesumus, Domine, animam famuli tui N. (*vel* famulae tuae N.), ut defunctus (*vel* defuncta) saeculo tibi vivat: et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Vel dicatur Oratio, quae dicta est in Missa, vel alia conveniens. [2])

---

cem: praesente corpore, crux locatur ad caput defuncti, quicumque ille sit: (*Missale*; *Caerem. Episc. lib. 2 cap. 11 num. 15*).

1) In exsequiis, dum post Orationem celebrans dicit *Requiem aeternam dona ei, Domine,* facere debet manu dextera signum crucis super feretrum vel tumbam iuxta *Rubricam Missalis XIII n. 2 et Caerem. Episc. lib. 2 cap. 11 num 12.*

2) In absolutionibus in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum oratio concludenda est minori conclusione (*D. auth. n. 2002 ad 4*). In recitandis Orationibus *Deus indulgentiarum* etc. et *Inclina, Domine* etc.

V. Requiem aeternam dona ei, Domine, etc.

V. Requiescat in pace. — *R.* Amen.[1])

4. *Si Officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio et Versus dicantur in plurali numero; si fuerit mulier, in genere feminino; si fuerit sacerdos, vel Episcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis, etc.*

5. *Praedictus autem Officii ritus pro defunctis, adultis tam sacerdotibus et clericis, quam saecularibus et laicis, servari debet in Officio sepulturae in die depositionis, sive in die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario.*

De exsequiis parvulorum. (Ex Rit. Romano.)

1. *In primis admonendi sunt parochi, ut iuxta vetustam et laudabilem ecclesiarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis coemeteriorum et ecclesiarum sepulturis; sed ut pro illis in parochialibus ecclesiis, aut illarum coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos dicretionis obierunt.*

2. *In funere parvulorum ut plurimum non pulsantur campanae; quodsi pulsentur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent.*

---

non potest superaddi nomen et titulus defuncti *(S. R. C. 22. Mart. 1862 in una S. Marci ad XVII).*

[1]) Subiungitur: *Anima eius et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace;* die autem Commemorationis omnium fidelium defunctorum nihil additur *(D. auth. n. 1743 ad 7).* Si exsequiae fiunt pro pluribus excepta die Commemoratione fidelium defunctorum, subiungitur: *Animae* **eorum** *etc.: (D. auth. n. 3267).*

Ordo sepeliendi parvulos. (Ex Rit. Romano.)

1. *Cum igitur infans vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis,*[1]*) induitur iuxta aetatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis; et parochus superpelliceo et stola alba indutus, et alii de clero, si adsint, praecedente cruce, quae sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti cum clerico aspersorium deferente. Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit*

Antiphonam Sit nomen Domini.

Psalmus 112. *Laudate, pueri, Dominum*, * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, * et super coelos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in coelo, et in terra?

Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri.

Antiphona. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in saeculum.

2. *Dum portatur ad ecclesiam, dicatur Psalmus*

---

1) Communiter censentur ii, qui septimum non compleverunt annum, nisi malitia supplet aetatem (Rit. Augustanum). In sepultura eorum, qui annum discretionis superaverunt, strictim servandum et Rituale.

Beati immaculati in via: * qui ambulant in lege Domini.

Beati, qui scrutantur testimonia eius: * in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, * in viis eius ambulaverunt.

Tu mandasti * mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viae meae, * ad custodiendas iustificationes tuas!

Tunc non confundar, * cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis: * in eo quod didici iudicia iustitiae tuae.

Iustificationes tuas custodiam: * non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam? * in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te: * ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Domine: * doce me iustificationes tuas.

In labiis meis, * pronuntiavi omnia iudicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, * sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor: * et considerabo vias tuas.

In iustificationibus tuis meditabor: * non obliviscar sermones tuos.

Gloria Patri.

Retribue servo tuo, vivifica me: * et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: * et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas, * in omni tempore.

Increpasti superbos: * maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium, et contemptum: * quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: * servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Nam est testimonia tua meditatio mea est: * et consilium meum iustificationes tuae.

Adhaesit pavimento anima mea: * vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, et exaudisti me: * doce me iustificationes tuas.

Viam iustificationum tuarum instrue me: * et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea prae taedio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me: * et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: * iudicia tua non sum oblitus.

Adhaesi testimoniis tuis, Domine: * noli me confundere.

Viam mandatorum cucurri, * cum dilatasti cor meum.

Gloria Patri.

Si tempus superest, dici potest Psalmus Laudate Dominum de coelis, *cum aliis duobus sequentibus [qui dicuntur in Laudibus] et in fine* Gloria Patri etc. [1])

Cum autem pervenerit ad ecclesiam, dicatur Antiph. Hic accipiet.

---

1) In hebdomada maiori Psalmi recitantur sine Gloria Patri *(S. R. C. 4. Sept. 1745 in Aquen. ad 7).*

Psalm. 23. Domini est terra, et plenitudo eius: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes vestras, et elavamini, portae aeternales: * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes vestras, et elevamini, portae aeternales: * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.

Gloria Patri.

Antiph. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Postea dicitur:

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.

Pater noster, *secreto (interim corpus aspergit)*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Me autem propter innocentiam suscepisti,

R. Et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens et mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte Baptismatis, dum migrant a saeculo, sine ullis eorum meritis vitam illico largiris aeternam, sicut animae huius par-

vuli hodie credimus te fecisse: fac nos, quaesumus, Domine, per intercessionem beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, et in paradiso cum beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Dum portatur ad tumulum, et etiamsi tunc non portetur, dicitur

Antiph. Juvenes.

Psalmus. Laudate Dominum de coelis, etc. [*ut in Laudibus*] *et in fine,* Gloria Patri etc. *et repetitur Antiph.* Juvenes et virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. — Pater noster *(secreto).*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Sinite parvulos venire ad me,

R. Talium est enim regnum coelorum.

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, sanctae puritatis amator, qui animam huius parvuli ad coelorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam, Domine, ita nobiscum misericorditer agere, ut meritis tuae sanctissimae Passionis, et intercessione beatae Mariae semper Virginis, et omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis et Electis tuis semper facias congaudere: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. — *R.* Amen.

3. *Deinde sacerdos corpus aspergat aqua benedicta, et thurificet, similiter et tumulum; postea sepeliatur.*

4. *Cum autem a sepultura revertuntur in ecclesiam, dicatur*

Antiph. Benedicite.

Canticum trium puerorum [*ut in Laudibus*].

Antiph. Benedicite Dominum omnes Electi eius, agite dies laetitiae, et confitemini illi.

Deinde ante altare dicit sacerdos:

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut, a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

VI. De modo instituendi processiones.

(Ex Rituali Romano.)

1. Publicae sacraeque processiones, seu supplicationes, quibus ex antiquissimo SS. Patrum instituto catholica Ecclesia vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum uti consuevit,[1]) qua par est religione celebrari debent; continent enim magna ac divina mysteria, et salutares christianae pietatis fructus eas pie exsequentes a Deo consequuntur; de quibus fideles praemonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, parochorum officium est.

2. Videant imprimis sacerdotes, aliique ecclesiastici ordinis, ut in his processionibus ea modestia ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quae piis et religiosis huiusmodi actionibus maxime debetur.

3. Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel aliis sacris vestibus, sine galeris, nisi pluvia cogente,

---

[1]) Cfr. *Gretserus,* de ecclesiasticis processionibus, Coloniae 1608; *Eveillon,* de processionibus ecclesiasticis, Parisiis 1641; *Christianus Lupus,* de SS. Sacramenti publica expositione et de sacris processionibus, Leodii 1681; *Quarti,* Biga aetherea, h. e. tractatus duplex de processionibus ecclesiasticis et Litaniis Sanctorum, Venetiis 1665; *Serarius* de sacris processionibus. Coloniae 1609.

induti, graviter, modeste, ac devote bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent.[1])

4. Laici a clericis, feminae a viris separatae, orantes prosequantur.

5. Praeferatur crux,[2]) et ubi fuerit consuetudo, vexillum sacris imaginibus insignitum,[3]) non tamen factum militari seu triangulari forma.

6. Edendi ac bibendi abusum, secumve esculenta et poculenta deferendi in sacris processionibus, agrisque lustrandis et suburbanis, ecclesiis visitandis, tollere parochi studeant, ac fideles, praesertim die Dominica, quae proxime Rogationes antecedit, quam haec dedeceat corruptela, saepius admoneant.

7. Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari: nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario vel clero videatur.

---

1) In *Motuproprio Pii X.* d. d. 22. Nov. 1903 habetur n. 21: „In processionibus *extra ecclesiam* ab Ordinario permitti potest, ut adhibeatur manus symphoniaca (Musikbande), dummodo ne ullo modo profanas res producat. Optatur in eiusmodi casibus, ut concentus musicus sit tantum coniunctus cantui hymnorum, qui lingua sive latina sive vernacula a cantoribus vel piis congregationibus cantentur."

2) Crucis imago converti debet ad populum, qui antecedit, non autem ad deferentem et clerum, ut Christus quasi praeire videatur *(D. auth. n. 1538 ad 1)*; Deferens crucem, dum transit ante SS. Sacramentum, genuflectere non debet.

3) In processionibus, si deferantur reliquiae vel statuae Sanctorum, qui eas deferunt, detecto capite debent incedere *(D. auth. n. 1043)*. *Beatorum* reliquiae sine *speciali* concessione S. Sedis minime circumferantur (Decr. gener. Alex. VII. iussu promulg. ut D. auth. n. 1130 ad 11).

8. Processiones autem quaedam sunt ordinariae, quae fiunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis beatae Mariae semper Virginis, et in Dominica Palmarum, et in Litaniis maioribus in festo sancti Marci, et in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et in die festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine ecclesiarum.

9. Quaedam vero sunt extraordinariae, ut quae variis ac publicis Ecclesiae de causis in dies indicuntur. [1])

I) De processione in festo Purificationis B. M. V.

(Ex Rituali Romano.)

1. *Completa* [2]) *benedictione* [3]), *et distributione candelarum, ut in Missali R. reformato, fit processio. Et primo celebrans imponat incensum in thuribulum; deinde diaconus vertens se ad populum, dicit:* Procedamus in pace. *Et chorus respondet:* In nomine Christi. Amen.

2. *Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde subdiaconus paratus deferens cru-*

---

[1]) Quod ad Episcopum privative pertinet ordinare.

[2]) Ubi vero expositum est SS. Sacramentum *ob publicam causam,* uti in precibus 40 et 13 horarum, vel in adoratione perpetua, benedictio candelarum facienda non est in altari, ubi expositum est SS. Sacramentum, nec instituenda processio *(Decr. gener. a Pio VII. approb. D. auth. n. 2621 ad 9).* — In aliis expositionibus, quae fiunt *ob causam privatam,* congrueret, ut SS. Sacramentum reponeretur tempore processionis. Ita adnotatio ad praed. decr. — Idem observandum est feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, festo Assumptionis B. M. V. etc.

[3]) Benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum non sunt de iuribus mere parochialibus *(Decr. U. et O. inter D. auth. n. 2123 ad 5).*

cem, [1]) *medius inter duos acolythos cum candelabris, et candelis accensis; sequitur clerus per ordinem;* [2]) *ultimo celebrans cum diacono a sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus: et cantantur Antiphonae sequentes:* [3])

Antiph. Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe Regem Christum.

Amplectere Mariam, quae est coelestis porta.

Ipsa enim portat Regem gloriae novi luminis.

---

1) „In processionibus quibusdam *solemnioribus*, utpote candelarum, palmarum, feria V. et VI. maioris hebdomadae, sabbati sancti, in absolutionibus defunctorum, et quoties Episcopus, pontificaliter celebraturus in ecclesia cathedrali, processionaliter procedit a sacrario sive ab alio loco deputato ad altare, *subdiaconus*, etiam canonicus, deferre debet crucem, quae tamen sit longitudinis competentis et ad portandum facilis; in *aliis* autem processionibus a supradictis alius, nempe cruciferarius consuetus, ipsam deferat, superpelliceo vel tunica indutus, nullo autem modo pluviali.“ *(D. auth. n. 9 ad 18.)*

2) Tam in processionibus quam in funeralibus et quibuscumque aliis actibus publicis clerus saecularis praecedit quoscumque regulares. Monachi autem semper et ubique supra Mendicantes habent praecedentiam *(D. auth. n. 374)*.

3) Genuflectendum est in processionibus, quae fiunt per ecclesiam, dum transitur ante altare SS. Sacramenti, non obstante quaecumque in contrarium consuetudine *(D. auth. n. 117)*. In processionibus candelarum, palmarum et similium, quae fiunt per ecclesias sine SS. Sacramento, si occurrat transiri ante altare, ubi occasione Missae fiat elevatio SS. Corporis Christi, genuflectendum est uno genu, et deposito Sacramento progrediendum; similiter, si alii transeant in elevatione calicis, ut ex rubricis patet; quando vero defertur ipsum SS. Sacramentum, non fit genuflexio; quia omnes sunt in actuali Sacramenti servitio et adoratione *(Merati II tit. 14 n. 4)*.

Subsistit Virgo, adducens manibus Filium ante luciferum genitum.

Quem accipiens Simeon in ulnas suas, praedicavit populis, Dominum eum esse vitae et mortis, et Salvatorem mundi.

Alia Antiph. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

Et cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:

Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace.

Cum inducerent puerum Jesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in ulnas suas.

Et ingrediendo ecclesiam cantatur:

Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, * Sicut scriptum est in lege Domini.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae, secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. * Sicut scriptum est in lege Domini.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Sicut scriptum est in lege Domini.

3. *Finita processione, celebrans* [1]) *et ministri depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa.* [2]) *Et candelae tenentur in manibus accen-*

---

[1]) Qui benedicit candelas, cineres et ramos, debet etiam cantare Missam sequentem *(Decr. ad Missale pertin. D. auth. n. 1333. 12)*; solus Episcopus Ordinarius loci excipitur ab illa lege.

[2]) Si hoc festum venerit in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae, fit tantum benedictio et distributio candelarum et processio, et Missa dicitur de Dominica: Missa vero festi transfertur in feriam II. immediate sequentem, quocumque festo etiam aequalis,

sae, dum legitur Evangelium, et iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem.[1])

2) De processione in die palmarum.

(Ex Rituali Romano.)

1. *In Dominica Palmarum, facta benedictione et distributione palmarum seu olivarum, post ultimam Orationem* Omnipotens sempiterne Deus etc. *fit processio;*[2]) *ac primum celebrans imponit incensum in thuribulum, et diaconus, vertens se ad populum, dicit:*

Procedamus in pace. *Et chorus respondet:* In nomine Christi. Amen.

2. *Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde subdiaconus paratus, deferens crucem, medius inter duos acolythos cum candelabris et candelis accensis; sequitur clerus per ordinem, ultimo celebrans cum diacono a sinistris, omnes cum ramis in manibus: et cantantur sequentes Antiphonae, vel omnes vel aliquae, quousque durat processio.*

Antiph. Cum appropinquaret Dominus Jerosolymam, misit duos ex discipulis suis dicens:

Ite in castellum, quod contra vos est; et invenietis pullum asinae alligatum, super quem nullus hominum sedit.

Solvite, et adducite mihi.

Si quis vos interrogaverit, dicite: Opus Domino est.

---

non autem altioris ritus in ea incidente (*Decr. U. et O. inter D. auth. n. 3103 ad V*).

1) Inclusive. Si vero Missa fuerit de Dominica, candelae ad Evang. vel Elevationem non accenduntur (*Caeremoniale Episc. l. 2 c. 16 n. 17 et 19*).

2) Vide notas supra pag. 456.

Solventes adduxerunt ad Jesum: et imposuerunt illi vestimenta sua, et sedit super eum.

Alii expandebant vestimenta sua in via; alii ramos de arboribus sternebant;

Et qui sequebantur, clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini:

Benedictum regnum patris nostri David; Hosanna in excelsis; miserere nobis, fili David.

Alia Antiph. Cum audisset populus, quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum:

Et exierunt ei obviam, et clamabant pueri, dicentes:

Hic est, qui venturus est in salutem populi.

Hic est salus nostra, et redemptio Israel.

Quantus est iste, cui Throni et Dominationes occurrunt?

Noli timere, filia Sion; ecce rex tuus venit tibi, sedens super pullum asinae, sicut scriptum est.

Salve rex, fabricator mundi, qui venisti redimere nos.

Alia Antiph. Ante sex dies solemnis Paschae, quando venit Dominus in civitatem Jerusalem,

Occurrerunt ei pueri, et in manibus portabant ramos palmarum,

Et clamabant voce magna, dicentes: Hosanna in excelsis;

Benedictus, qui venisti in multitudine misericordiae tuae: Hosanna in excelsis.

Alia Antiph. Occurrunt turbae cum floribus et palmis Redemptori obviam: et victori triumphanti digna dant obsequia.

Filium Dei ore gentes praedicant; et in laudem Christi voces tonant per nubila: Hosanna in excelsis.

Alia Antiph. Cum Angelis et pueris fideles inveniamur, triumphatori mortis clamantes: Hosanna in excelsis.

Alia Antiph. Turba multa, quae convenerat ad diem festum, clamabat Domino: Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

3. *In reversione processionis, duo vel quatuor cantores intrant in ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad processionem, incipiunt: V.* Gloria, laus etc. *et decantant duos primos versus: sacerdos vero cum aliis extra ecclesiam repetit eosdem. Deinde qui sunt intus, cantant versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur; et qui sunt extra, ad quoslibet duos versus respondent:* Gloria, laus etc. *sicut a principio.*

V. Gloria, laus, et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor. Cui puerile decus prompsit Hosanna pium. — *R.* Gloria, laus etc.

Israel es tu Rex, Davidis et inclyta proles: nomine qui in Domini, Rex benedicte, venis.

R. Gloria, laus etc.

Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis, et mortalis homo, et cuncta creata simul.

R. Gloria, laus etc.

Plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit. Cum prece, voto, hymnis, adsumus ecce tibi.

R. Gloria, laus etc.

Hi tibi passuro solvebant munia laudis. Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.

R. Gloria, laus etc.

Hi placuere tibi, placeat devotio nostra: Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.

R. Gloria, laus etc.

4. *Postea subdiaconus hastili crucis percutit portam; qua statim aperta, processio intrat ecclesiam cantando Responsorium:*

Ingrediente Domino in sanctam civitatem, Hebraeorum pueri resurrectionem vitae pronuntiantes,

Cum ramis palmarum: Hosanna, clamabant, in excelsis.

V. Cum audisset populus, quod Jesus veniret Jerosolymam, exierunt obviam ei. Cum ramis etc.

Et non dicitur Gloria Patri.

5. *Deinde dicitur Missa, et rami tenentur in manibus, dum cantatur Passio et Evangelium tantum.*

3) Ordo servandus in Litaniarum maiorum processione, quae in festo S. Marci celebratur.[1])

(Ex Rituali Romano.)

1. *Clerus et populus hora statuta*[2]) *mane in ecclesia congregati, omnes contrito et humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur. Sacerdos pluviali cum ministris, vel saltem superpelliceo et stola violacei coloris sit indutus; cuius coloris habitu in reliquis processionibus semper utatur, praeterquam in processionibus Corporis Christi, et quae fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actionem; quibus diebus utitur colore propriae solemnitati congruente. Ceteri vero sacerdotes et clerici superpelliceis induti, sequentem Antiphonam stantes concinant.*

Antiph. Exsurge, Domine, adiuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

Psalm. Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis.

---

[1]) Quando Litaniae et processio S. Marci occurrunt in Dominica Resurrectionis Domini, transferendae sunt in feriam tertiam sequentem. — Quoties processionem temporis inclementia ab ecclesia egredi non patiatur, congruentius est rubricis, ut intra eius ambitum fiat, si ecclesia capax est *(D. auth. n. 3069 ad I).*

[2]) Ubi hoc die vel in Litaniis minoribus (triduo ante Ascensionem Domini) adoratio perpetua occurrit, processio Rogationum instituenda est hora quinta matutina et finienda ante horam sextam.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Et repetitur: Exsurge, Domine, etc.

2. *Deinde genuflectant omnes; et duo clerici ante altare maius genuflexi, devote Litanias cantare incipiant, ceteris eadem voce respondentibus.* [1])

Cum autem cantatum erit

Sancta Maria, ora pro nobis,

3. *surgunt omnes, et ordinatim procedunt, egredientes Litaniasque prosequentes, praecedente cruce, et sequente clero, ultimo loco sacerdos paratus, ut supra dictum est, cum ministris, prout res vel locus postulat, sacris vestibus indutis.*

4. *Si processio sit longior, vel repetantur Litaniae, vel Litaniis absolutis usque ad preces exclusive, dicantur aliqui Psalmi ex Poenitentialibus, seu Gradualibus; Hymni vero vel Cantica laetitiae in iis, vel in Rogationibus, aut aliis poenitentiae causa institutis processionibus non dicantur.*

5. *Si ad unam, vel plures ecclesias in via sit divertendum, ingressis ecclesiam,* [2]) *intermissisque Litaniis, vel Psalmis, cantatur Antiphona* [3]) *cum*

---

[1]) Absentes a Processione Litanias dicere debent privatim cum precibus post Laudes, non tamen pridie anticipare *(D. auth. n. 2503 ad 4).* Litaniarum versus integre a cantoribus dici et a clero repeti debent etiam in festo S. Marci et triduo Rogationum *(D. auth. n. 3135);* unde non audiendus est Baruffaldus, qui i. h. l. n. 32 putat, illam repetitionem in solo Sabbato sancto praescribi. Ab iis vero, qui dictis diebus Litanias simul recitant seu extra processionem vel in choro vel extra chorum, recitantur absque repetitione *(D. auth. n. 3011 ad 2).*

[2]) Servetur consuetudo pulsandi campanas eiusdem, festivo sonitu; non vero legitimum est, ut sacerdos ad ecclesiae fores praebens lustralem aquam clero ingredienti utatur stola coloris violacei *(D. auth. n. 3043 ad III et IV).*

[3]) Tolerari potest, ut Antiphonae cantentur in ecclesiis, quas processio ingreditur, ritu paschali. Non licet, in

Versu, et Oratione sancti Patroni illius ecclesiae. Deinde egredientes, resumptis precibus, eodem ordine procedunt usque ad ecclesiam, ubi cum precibus et orationibus omnibus processio terminatur, ut in fine Breviarii Romani post Psalmos poenitentiales.

In Litaniis minoribus Rogationum serventur omnia, ut supra in Litaniis maioribus [1]).

---

dictis ecclesiis, introgressa processione, interruptis Litaniis Sanctorum, invocare nomina titularium, si non adsint in iisdem Litaniis *(ibid. ad II)*.

[1]) Missa processionis in festo S. Marci et tribus feriis Rogationum de praecepto celebranda est, si fiat processio *(D. auth. n. 2740 ad 9)*, ut in Missali praescribitur post Dom. V. Paschae, eaque in colore violaceo, etiam occurrente die S. Marci infra octavam Resurrectionis *(D. auth. n. 1017)*, sine *Gloria* et *Credo (ib. n. 1801)*, etiam in Dominicis et infra octavam Paschatis, cum tribus Orationibus in Missa Rogationum praescriptis sine commemoratione festi duplicis, semiduplicis et simplicis occurrentis, Dominicae aut octavae Paschatis, nisi unica tantum Missa cantetur aut legatur, quo casu facienda est commemoratio festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum, semper cum Praefatione paschali et *Benedicamus Domino* in fine; at si forte S. Marcus sit titulus ecclesiae, in eo casu Missa fit de S. Marco (Caerem. Ep. l. 2 c. 32 n. 6). — In ecclesiis, in quibus non instituitur processio dictis diebus, si festum duplex occurrat, non est celebranda Missa Rogationum, sed de festo cum commemoratione Rogationum *(D. auth. n. 2682 ad 35)*. In parochia, in qua praeter parochum nullus est alius sacerdos, et diebus S. Marci et Rogationum et in vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quae anticipari vel differri non potest, non est omittenda functio diei, sed facienda est sepultura sine Missa defunctorum *(D. auth. n. 3208)*. Commemoratio feriarum III. et IV. Rogationum omitti debet in Missis festi I. classis *(D. auth.*

Litaniae de omnibus Sanctis [1])

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte, Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, — miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
— Ora pro nobis.

Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ss. beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
— Ora pro nobis.

---

n. 3352 ad V). Quoad organa pulsanda in Missis Rogationum servetur consuetudo *(S. R. C. in ed. Gard. n. 4859 ad 9).*

1) Non licet alium Sanctum addere vel aliquid immutare. *Decr. gen. U. et O. (D. auth. n. 2166 ad 2; n. 2983 ad 6; n. 3074 ad III).*

Sancte Simon, Ora pro nobis.
Sancte Thaddaee,
Sancte Matthia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis.
Omnes ss. Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes ss. Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancti Fabiane et Sebastiane, Orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes sancti Martyres,
Sancte Silvester, Ora pro nobis.
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Omnes ss. Pontifices et Confessores, orate pro nobis.
Omnes ss. Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora pro nobis.
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce, [1]
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.

[1] In expositione XL horarum Romae hic additur: *S. Ludovice.*

Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
— Ora pro nobis.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, — parce nobis, Domine.
Propitius esto, — exaudi nos, Domine.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,[1]
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio, et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A flagello terrae motus,
A peste, fame et bello,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
— Libera nos, Domine.

[1]) In expos. XL hor. post „Ab ira tua“ sic pergitur: *Ab imminentibus periculis — A flagello terrae motus — A peste, fame et bello — A subitanea et improvisa morte — Ab insidiis diaboli — Ab ira et odio et omni mala voluntate — A spiritu fornicationis — A fulgure et tempestate* — A morte perpetua, etc.

Per admirabilem ascensionem tuam, libera nos, Domine.

Per adventum Spiritus sancti Paracliti, libera etc.

In die iudicii, libera etc.

Peccatores! — Te rogamus, audi nos.

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,[1]
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad caelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

Te rogamus, audi nos.

---

1) In expos. XL hor. hic additur: *Ut Turcarum et Haereticorum conatus reprimere et ad nihilum redigere digneris.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis.
Christe, audi nos, — Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster *(secreto)*.

V. Et ne nos inducas in tentationem,
R. Sed libera nos a malo

Psalmus 69. Deus, in adiutorium meum intende: * Domine, ad adiuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: euge, euge!

Exsultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, * et dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum, * Deus adiuva me.

Adiutor meus et liberatur meus es tu, * Domine, ne moreris.

Gloria Patri, et Filio, etc.
Sicut erat etc.

V. Salvos fac servos tuos,
R. Deus meus, sperantes in te.
V. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis,
R. A facie inimici.
V. Nihil proficiat inimicus in nobis,
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis,

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

V. Oremus pro Pontifice nostro N.

R. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.

V. Oremus pro benefactoribus nostris,

R. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

V. Oremus pro fidelibus defunctis,

R. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace. — *R.* Amen.

V. Pro fratribus nostris absentibus,

R. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,

R. Et de Sion tuere eos.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis; te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

R. Amen.

V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

4) De processione in festo sanctissimi Corporis Christi.[1])

(Ex Rituali Romano.)

1. *Decenter ornentur ecclesiae, et parietes viarum, per quas est transeundum, tapetibus et aulaeis, et sacris imaginibus, non autem profanis aut vanis figuris, seu indignis ornamentis.*

2. *Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas hostias consecret*[2]*) et sumpta una, alteram in tabernaculum in processione deferendum ita reponat, ut per vitrum seu crystallum, quo ipsum tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat, veloque operiatur, donec auferatur ab altari. Peracto autem sacrificio*[3]*) et processione iam inchoata, ordine, quo iam supra dictum est in Litaniis*

---

[1]) Cfr. *Bened. XIV.* Institutio 5. — *Ex conc. prov. Col.* pag. 100 habes haec: In theophoriis, quae semper horis antemeridianis, nunquam vero post meridiem habendae sunt, imagines et reliquiae Sanctorum ne gestentur, stricte interdicimus. Supplicationes sive processiones solemnes secundum Ecclesiae statuta et diebus praescriptis cum decore et pietate habeantur, nec ulli parocho in alium diem eas pro arbitrio et sine expressa Ordinarii permissione transferre licet. A processionibus quivis armorum et tympanorum strepitus bellicosus clangorque tubarum excludendus est, excepto comitatu, quem guardiam honorariam vocant. (Cf. etiam ex *Motu proprio* Pii X supra pag. 454 n. 1.)

[2]) Hanc rubricam servandam esse etiam in Germania respondit S. R. C. 9. Maii 1857. — Consule notam 2 in p. 9 positam.

[3]) Ubi adorationem perpetuam hodie fieri contingit, processio fit hora consueta, et post processionem continuabitur adoratio, exposito SS. Sacramento.

maioribus, sacerdos pluviali [1] *albo indutus, ter incenset Sacramentum genuflexus.*

3. *Deinde diaconus oblongum ac decens velum circumponit scapulis sacerdotis, qui, parte veli ante pectus pendente utraque manu cooperta, ostensorium seu tabernaculum a diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo altaris gradu; mox ad altare ascendit, et Sacramentum ante faciem tenens, vertit se ad populum; inde descendit sub umbellam,* [2] *comitantibus ministris; et duo acolythi, vel clerici* [3] *cum thuribulis effumantibus praecedunt.* [4]

4. *Omnes procedunt nudo capite accensos cereos* [5] *gestantes et sequentes Hymnos pro longitudine processionis devote concinentes.*

---

1) Sacerdos, etiam Canonicus, deferens SS. Sacramentum in processione debet incedere indutus pluviali, nec sufficit simplex stola super cappam *(D. auth. n. 2526 ad 1)*.

2) Color baldachini debet esse albus *(Caerem. Episc. lib. 1 c. 14 n. 1. — Instructio Clementina num. XVIII)*.

3) Facie, non dorso, ad Sacramentum semiversâ incedentes *(D. auth. n. 2368)* a latere baldachini.

4) Magistratus locum tenet post baldachinum, cuius hastas intra ecclesiam deferre debet *(D. auth. n. 3024)*.

5) Veruntamen cum, quae deferri solent lumina, aperta gestentur eaque non raro, vento aut pluvia improviso superveniente, exstincta omnia remanere videantur, ne idcirco (quod incongruum satis esset atque augustissimo Domino indecentissimum) lumina tunc debita desiderentur, curent Episcopi ... aut ad quos pertinet, ut *quatuor saltem cum suis hastis laternae*, quae tamen aliis sint nobiliores, comparentur, et suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa celebrantem, qui Sacramentum gestat, in posterum deferantur *(Conc. prov. Rom. anni 1725, Tit. 15, cap. 7)*.

Dum vero sacerdos[1]) *discedit ab altari, clerus, vel sacerdos cantare incipit sequentem Hymnum:*

Pange lingua *(ex I. Vesperis festi Corporis Christi)*,

Sacris solemniis *(ex Matutino festi Corp. Christi)*,

Verbum supernum prodiens *(ex Laudibus festi Corp. Christi)*,

Salutis humanae Sator *(ex Laudibus festi Ascensionis Domini)*,

Aeterne Rex altissimi *(ex Matutino festi Ascensionis Domini)*,

Te Deum laudamus etc. *(pag. 394)*,

Benedictus Dominus Deus Israel etc.,

Magnificat anima mea Dominum etc.

5. *Peracta processione, et sanctissimo Sacramento ad ecclesiam reportato, et super altare deposito, omnes ecclesiastici, qui adsunt, hinc inde ordine genuflexi illud reverenter adorantes, dum sacerdos de more incensat, sequentem Hymni partem concinant:*

Tantum ergo Sacramentum etc.

Genitori Genitoque etc.

Postea duo clerici dicant:

V. Panem de coelo praestitisti eis, Alleluia.

R. Omne delectamentum in se habentem, Alleluia.

Deinde[2]) *sacerdos stans dicit:*

---

[1]) Consuetudo, ut in una eademque supplicatione SS. Sacramentum non ab uno tantum sacerdote (scilicet ab illo, qui solemniter celebravit Missam: *D. auth. n. 652)* deferatur, sed per plures sacerdotes, qui sibi invicem succedunt, tamquam abusus eliminanda est *(D. auth. n. 2835)*.

[2]) S. R. C. in Granaten. 16. Junii 1663 *(D. auth. n. 1265 ad 7)*: „In festo sanctissimi Corporis Christi servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. II cap. 33 ... ubi nulla fit mentio de V. *Dominus vobiscum*, ... et sic servat in Urbe Summus Pontifex et servatur ab omnibus."

Oremus. Deus, qui nobis etc. *ut supra pag. 266; sed cum conclusione brevi.*

6. *Tunc sacerdos, facta genuflexione, cum Sacramento semel benedicat populum in modum crucis, nihil dicens; postea illud reverenter deponat.*

7. *Hic autem modus benedicendi servatur etiam in aliis processionibus faciendis cum sanctissimo Sacramento.*

VII. De modo dandi benedictionem cum SS. Sacramento.[1]

Celebrans peracta incensatione accipit super humeros velum oblongum (quod semper debet esse albi coloris. *D. auth. n. 3086 ad V),* ascendit ad altare, flectit unico genu, surgit, vertit ostensorium[2]) ita, ut facies Hostiae populum respiciat, et velatis

---

[1]) Dum Vesperae solemniter celebrantur cum expositione SS. Sacramenti et concione ad populum, circa colorem paramentorum pro repositione SSmi. S. R. C. *(D. auth. n. 2562)* respondit: Quatenus sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab altari, et assistat cum concioni, tum precibus, repositionem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis officio diei et velo humerali albi coloris, si illud abhibeatur. Quatenus vero recedat et repositio habeatur tanquam functio omnino separata et distincta ab officio Vesperarum, utendum est paramentis coloris albi." — Expositio SS. Sacramenti, si canitur *Missa pro quacumque tribulatione* et statim sequuntur Litaniae, benedictio et repositio SS. Sacramenti, omnia in paramentis violaceis sunt peragenda; si vero Missa non habetur, sed tantum preces, tunc in expositione et repositione SS. Sacramenti color albus est adhibendus *(D. auth. n. 3175 ad III).*

[2]) Si SS. Sacramentum in pyxide exponitur vel cum ciborio datur benedictio, congruentius omittitur thurificatio *(D. auth. n. 2957),* sed saltem sex lumina sunt accendenda;

manibus illud accipiens, convertit se ad populum per latus Epistolae, et summa cum reverentia, gravitate et devotione, oculos continuo in SS. Sacramentum figendo „cum eodem SS. Sacramento producit signum crucis super populum“, prout praescribit Caerem. Episc. II, 33, n. 27; et iste modus Romae servatur in omnibus ecclesiis, prout testatur Meratus IV, 13. 2 dicens: communis usus ecclesiarum Urbis est, ut, postquam sacerdos reduxit ostensorium ad latus dexterum, non debeat rursus ante pectus reducere, sed statim ad cornu Evangelii se convertere, et ita perficere circulum sicut cum dicit *Orate fratres*. — Sed ex D. auth. n. 1563 ad 2, si placet, potest observari ritus, quem tradit Bauldry (parte IV, cap. 16 art. 3 n. 34) scilicet: „Dum stat ante populum, ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non supra caput, sed tantum usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus; mox iterum recta illud attollit usque ad pectus, et deinde ad sinistrum humerum ducit et reducit ad dexterum, et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes mundi partes cruce, SS. Sacramentum venerandum omnibus praebet, tunc gyrum perficiens, collocat ostensorium super altare.“ Dum benedicit, nihil dicit, nec quidquam cantatur *(S. R. C. 9. Febr. 1762 et 11. Julii 1857 D. auth. n. 2464, n. 3058 ad II)*;[1]) sed ad summum organa pulsantur sono gravi et suavi. Usus, ex quo sacerdos post Missam imposito sibi velo humerali extrahit e tabernaculo SS. Sacramentum

---

sub benedictione pyxis tota cooperiri debet extremitatibus veli oblongi humeralis *(D. auth. n. 2786 ad 1)*.

[1]) *Danda igitur est benedictio cum SS. Sacramento in fine Hymni „Pange lingua“; non ad versiculum Hymni: „Sit et benedictio“.*

et cum eo immediate benedicit populum et recondit, quin prius vel postea aliquid dicat vel cantet. non licet *(D. auth. n. 3402 ad I)*.

VIII. Observanda in precibus XL horarum, XIII horarum, et in adoratione perpetua.

I. Instructio Clementina.[1]

I. Supra ianuam ecclesiae, in qua fit expositio, et a capite vicinae viae, ponatur signum SS. Sacramenti sertis festivis ornatum, ut transeuntibus innotescat, inibi fieri SS. Sacramenti expositionem.

II. SS. Sacramentum exponendum erit in altari maiori (exceptis Basilicis patriarchalibus ...).

III. Cooperiatur imago vel statua, quae ibidem reperitur: item parietes altari vicini, deficientibus ornamentis fixis, pannis cooperiantur; verum caveatur, ne inter apparatus sint historiae resve profanae.

IV. In altari non ponantur Sanctorum reliquiae[2]) aut statuae (adhiberi possunt Angelorum statuae, quae candelabrorum vicem gerunt), multo minus ponantur animarum purgatorii figurae, qualescumque sint; quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particularibus, immo in iis

---

[1]) „*Quaedam* ea continet, quae cum sint *generalia* et *ad essentiam pertineant cultus sacrae Eucharistiae debiti,* nedum Romae in sola oratione XL horarum, sed *etiam in aliis omnibus expositionibus,* quae per annum fiunt, *servanda omnino sunt.* Sed *instructio qua talis* vim legis habet quoad Urbem quidem, ad *alias* autem ecclesias *non* extenditur, licet laudabile multum sit, ut ubique servetur" *(Gardellini).* — Idem declaravit *(S. R. C. D. auth. n. 2403).*

[2]) Sanctorum reliquiae non sunt collocandae super altari, in quo reipsa SS. Sacramentum est expositum *(D. auth. n. 2365 ad 1).*

etiam, quae in illarum animarum suffragium quandoque instituuntur. [1])

V. Super altare praedictum et in eminenti loco sit tabernaculum, [2]) sive thronus cum baldachino conveniente albi coloris; supra cuius pedem ponatur corporale ad reponendum ostensorium, quod in medio radiis quidem circumdatum esse potest, quovis vero ornatu carere debet, qui SS. Sacramenti aspectum impedire possit.

VI. Ad altare continuo ardeant viginti [3]) saltem lumina, sex nempe candelae unius librae, quarum tres ab unoquoque latere crucis, et octo candelae in superiori parte, cum aliis quatuor a partibus ostensorii, in cuius parte anteriori nullum omnino ponatur lumen; adsint tandem duo candelabra cum cereis, quorum unusquisque trium saltem sit librarum. Idem quoque, clausa ecclesia per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera; tempore autem vespertino tot in ecclesia ponantur lumina, quot ad vitandam confusionem sufficiant, accensaque remaneant usquedum ianuae claudantur. Fenestrae altari expositionis vicinae, etiam per diem claudi aut cooperiri poterunt, ad fovendam fidelium in oratione recollectionem.

VII. Nemo saecularis, etsi cuiusvis societatis, sacco [4]) vestitus, ad altare circumire audeat ad lumina curanda,

---

[1]) Tres tabellae, quas rubricae ad celebrantis commoditatem exigunt in celebratione Missae, in expositione SS. Sacramenti sive pro Oratione XL horarum, seu alia quavis causa omnino amovendae sunt ab altari, excepto Missae tempore *(D. auth. n. 3130 ad III)*.

[2]) Admitti non potest usus cuiusdam machinae, cuius ope elevatur et deponitur ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur *(D. auth. n. 3425)*.

[3]) Hoc praeceptum valet tantum in Urbe; extra eandem standum est statutis et iustis laudabilibusque consuetudinibus dioecesium.

[4]) In Italia omnes fere sodalitates suum quaeque habent indumentum in ecclesia et quibusdam festivitatibus velata plerumque facie portandum.

aut ad aliud quid agendum; sed adesse debet sacerdos aut saltem clericus[1]) superpelliceo indutus, quod super propriam vestem regulares etiam cuiuslibet religionis induent; notandum praeterea, ex Decreto S. R. C. 19. Aug. 1651 (num. 937 ad 6), a quibuscumque personis cuiusvis conditionis et ordinis, transeuntibus ante SS. Sacramentum expositum, in accessu et recessu faciendam esse, flexis duobus genibus, reverentiam. Quod attinet ad sacerdotem privatim celebrantem, innuitur, decretum esse ab eadem S. Congregationis, ut, quando transeat ante SS^{um} expositum, *post adorationem genibus flexis et detecto capite factam*, surgens demum caput operiat.

VIII. Durante expositione, in ecclesiae porta, sive ad intra, sive ad extra, prout commodius erit, appendatur tapetum in veli forma, cum aliquo tamen spatio a lateribus, pro populi commoditate, illudque ita disponatur, ut a via nunquam possit aspici SS. Sacramentum. [2])

IX. Per vices unus aut alter sacerdos,[3]) vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non supra genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapeto pannove rubro, aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum altaris gradum, orantes die ac nocte. Ubi exsistit aliqua confraternitas, insuper assistant saltem duo confratres ad scamnum panno viridis alteriusve decentis coloris coopertum, sed extra presbyterium atque a dictis sacerdotibus distantes, et cum omni devotione in adstantium aedificationem adorent, sed submissa voce, [4]) ne ceteris distractiones afferant.

X. In sacristia sit horologium, ad singulas horas ado-

---

[1]) Apud nos in Germania custos superpelliceo indutus.

[2]) Ubi vero duplices habentur portae, opus non est tali velo.

[3]) *Sacerdotes,* quando hanc adorationem faciant, *stola debere esse indutos*, idque, si forte lex non omnino clara sit, saltem ex constanti consuetudine etiam in Urbe servata, v. *Gard.* comment. in hanc Instructionem cap. IX n. 8.

[4]) In Germania fere ubique adoratio fit alta voce.

rationis dignoscendas; quare quavis hora diei ac noctis maiori campana dabitur signum.

XI. Pridie expositionis vespere, dato signo pro „Ave Maria", ad commouendum populum, solemni modo campanae pulsentur, idemque fiat mane sub aurora, et quotidie durante expositione, ad quodvis signum Salutationis Angelicae; pariterque triplici vice de more pulsentur campanae ante Missas solemnes.[1]

XII. In altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, nulla[2] alia celebratur Missa, praeter solemnem in expositione et repositione. His duobus tridui diebus praeter Missam conventualem (in ecclesiis, in quibus datur obligatio eam cantandi), celebretur post Nonam Missa votiva solemnis de SS. Sacramento pro re gravi, exceptis tamen omnibus Dominicis 1ae aut 2ae classis, et omnibus diebus, quibus secundum calendarium sive universale sive particulare officium est 1ae vel 2ae cl., item excepta feria 4a Cinerum, feria 2a, 3a et 4a maioris hebdomadae, omnibus diebus per octavas Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, vigiliis festorum Natalis Domini et Pentecostes. Hisce Dominicis, aliisque diebus festis et feriis exceptis cantetur solummodo Missa conventualis de die cum adiuncta Oratione de SS. Sacramento, et quidem sub unica conclusione; quae omnia in omnibus ecclesiis, tum saecularium, tum regularium servabuntur.

XIII. Die medio tridui expositionis praeter Missam conventualem, post Nonam Missa votiva[3]) pro pace vel alia

---

1) Extra Urbem serventur consuetudines laudabiles *(Gardellini).*

2) Tolerat tamen alibi S. R. C. aliquando alias Missas in ipso altari expositionis propter immemorialem consuetudinem *(D. auth. n 3124 ad II et III).* Per se autem non licet in illis Missis distribuere S. Communionem nisi „ex necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto" *(D. auth. n. 3448 ad I).*

3) Quando expositio Sacramenti pro oratione XL horarum ad quatuor dies protrahitur, debet Episcopus decernere, utrum secunda an tertia die Missa votiva cani debeat *(D. auth. n. 2723).*

ex Sanctitatis Suae praescripto cantari debet, sed semper sub eadem exceptione quoad dies supra relatos, et sub eadem regula quoad Orationem.

XIV. In ecclesiis vero noncollegiatis, et ubi non datur obligatio Missam conventualem cantandi, dicto secundo tridui die, solummodo praedicta Missa votiva solemnis cantanda est, servando exceptionem et regulam pro Missa de SS. Sacramento traditas.[1]) — Haec vero Missa votiva solemnis cantanda est in altari, ab eo, in quo fit expositio, et ab eo, in quo adest tabernaculum cum incluso Sacramento, diverso. In ecclesiis, in quibus ex obligatione Missa conventualis cantanda est, haec quoque cantabitur in alio altari.

XV. Expresse iubetur, ut diebus expositionis, medio, et repositionis Missae solemnes cum ministris paratis cele-

---

1) Notanda pro adoratione perpetua: Absque speciali indulto in festo duplici non licet cantare Missam votivam de SS. Sacramento; sed cantari debet Missa de die cum commemoratione SS. Sacramenti *(D. auth. n. 2814 ad 3)*, nisi adoratio sit in forma XL horarum. — In Archidioecesi Coloniensi vi indulti die 21. Febr. 1861 concessi (cfr. Kirchl. Anzeiger für die Erzdiözese Köln d. d. 1. April. 1861) dies, quibus adoratio perpetua, item dies, quibus adoratio tredecim horarum instituitur, iisdem, quoad Missam solemnem de SS. Sacramento gaudent privilegiis, quibus preces XL horarum. — Missa *solemnis* cantanda est more votivo de SS. Sacramento, quae habetur in ordine Missarum votivarum cum *Gloria,* unica Oratione, *Credo,* Praefatione Nativitatis Dni., *Ite Missa est,* ac Evang. S. Joannis. Infra octavam SS. Corporis Christi sumenda est Missa ut in festo SS. Corporis Christi cum *Sequentia.* Excipiuntur tamen festa 1. et 2. classis, Dominicae privilegiatae 1. et 2. classis, octavae privilegiatae Paschatis, Pentecostes ac Epiphaniae, feria 4. Cinerum, feriae maioris hebdomadae, vigiliae Pentecostes ac Nativitatis Domini, — quibus diebus canenda est Missa diei occurrentis cum Oratione SS. Sacramenti sub una conclusione, omissis omnibus aliis commemorationibus. — Color conveniens Missae.

brentur, etiam in ecclesiis regularium, non obstante quocumque eorum usu, more aut consuetudine in contrarium.

XVI. In Missis privatis, quae durante expositione celebrantur, non pulsetur campanula ad elevationem,[1] sed tantum in egressu celebrantis e sacristia detur tenue signum cum solita campanula.

XVII. Non celebrentur Missae de Requiem[2] tempore quo peragitur Oratio 40 horarum; et Missae de Ss Sacramento, quae diebus a rubrica permissis[3] celebrabuntur, pariter votivae sint, sine Gloria et Credo. In aliis vero Missis privatis (de die) post Orationes a rubrica praescriptas addenda est Oratio de SS. Sacramento.

XVIII. Celebrans SS. Sacramentum in processione delaturus pluviali albo indutus erit, nisi celebraverit cum paramentis alterius coloris; nam in hoc casu color Missae retinendus est. Velum autem humerale, quotiescumque SS. Sacramentum portandum est, albi coloris esse debet, vel in ipsa Fer. VI in Parasceves. Sacrorum ministrorum paramenta eiusdem coloris ac celebrantis esse debent. Pariter pallium sive antependium[4] altaris, in quo fit expositio, semper erit albi coloris, quamvis diversi coloris sint paramenta Missae solemnis, quae hodie celebratur. Item baldachinum inserviens processioni albi coloris esse debet.

XIX. Finita Missa solemni pro expositione, celebrans et ministri, factis Sacramento debitis reverentiis, ad latus Epistolae (ad credentiam, sive ad locum paratum retro altare) recedunt, ibique manipulos deponunt; celebrans

---

1) D. auth. n. 3157 ad X.

2) In altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, licet in pyxide tantum, omni tempore prohibentur Missae de Requiem tam privatae, quam solemnes *(D. auth. n. 3302 ad II)*. Extra altare expositionis quando expositio est in pyxide, possunt celebrari, dummodo tamen oratio coram SSmo non sit ex publica causa *(D. auth. n. 2390 ad 4)*.

3) De Missis votivis privatis vide nunc clare Decr. auth. n. 3922: de quo supra in Sectione I.

4) Etiam Dominica Pentecostes (D. auth. n 2673).

planetam exuit et pluviale assumit, incensum ibidem in duobus thuribulis ponit, illud non benedicendo, et deinde cum ministris in medio genuflexus, ter SS. Sacramentum incensat.[1]) Processione ordinata (quae ordinari incipiet ostensorio elevato, aut prius, prout plures vel pauciores fideles adsunt); diaconus congruo tempore ascendit, et facta genuflexione Sacramentum assumit, illudque stans genuflexo dabit celebranti, statimque genuflectit. Celebrans, manibus extremitate veli humeralis coopertis, illud assumit et surgit (convertens se ad populum). Incepto dein a cantoribus Hymno Pange lingua etc., sub baldachinum procedit, submissa voce Psalmos et Hymnos recitans cum ministris pluvialis fimbrias sustinentibus.

XX. Processio ex toto ecclesiae clero componatur; crucifer in hac functione non subdiaconali habitu, sed superpelliceo erit indutus. Intereunt superpelliceo induti, et cereos ardentes in manibus [extimis] tenentes octo sacerdotes, qui hinc inde a lateribus ante baldachinum ibunt; ipsos subsequentur duo acolythi cum thuribulis, continuo per viam Sanctissimum incensantes; durante processione campanae solemniter pulsabuntur.

XXI. Processio fit intra ecclesiam; quodsi ecclesiae angustia exigat, per plateam exire poterunt, quae est ante ecclesiam; sed curandum est, ut eadem nitide mundetur. Ubi vero occurrit officina, vel taberna, tempore processionis erit claudenda.

XXII. Quod si exsistant saecularium confraternitates, sive sacco sint induti, sive non, tam eorum praefecti et officiales, quam confratres, omnes simul in unum corpus congregati progredientur ante saecularem et regularem clerum ibi praesentem, cui semper digniorem locum cedere debebunt. Prohibetur districte, ne earum praefecti aliique offi-

---

[1]) Sacerdotem, dum incensum ponit in thuribulo, stare debere, ab eodem vero SS. Eucharistiae Sacramentum thurificandum esse triplici tantum ductu, sed genibus flexis, et tam ante quam post incensationem profunda facta capitis inclinatione, S. R. C. *(D. auth. n. 3086 ad III)* declaravit.

ciales, sub quovis praetextu consuetudinis aliove quocumque, post baldachinum incedere praesumant . . . Possunt tamen dicti officiales manicos baldachini portare, officium sane magni honoris, ad quod, ut ait Caeremoniale Episcoporum (lib. II cap. 33), deputentur nobiles viri, barones, etc.

XXIII. Dicto clero, tam saeculari, quam regulari praecipimus, ut in propriis ecclesiis usum contrarium non permittant ... (sequuntur poenae).

XXIV. Cum processio in ecclesiam regressa fuerit, iamque ad infimum altaris maioris gradum celebrans pervenerit, diaconus genuflexus Sanctissimum recipiet ab eodem celebrante (qui statim ipse genuflectit, velum humerale deponens), illudque in throno reponet, atque factis debitis reverentiis ad suum locum ad dexteram celebrantis redibit; statim cantores devote cantabunt Tantum ergo etc., et, dum intonant Genitori Genitoque, celebrans cum ministris surget, ibidemque in medio et absque benedictione incensum ponit in thuribulo, et genuflexus ter Sacramentum adolet. Hymno finito, Versiculo Panem de coelo etc. omisso, canentur Litaniae positae in libro pro 40 horarum Oratione edito.[1]) Precibus his dictis, celebrans surgit, et absque nova genuflexione, manibus iunctis (dum ministri genuflexi sustinet librum) cantabit Dominus vobiscum, cum Orationibus subsequentibus; quibus finitis, omnes genuflexi brevem instituent orationem, et deinde recedunt, teguntque caput, dum e conspectu SS. Sacramenti recesserint; sicque incipiunt preces XL horarum.

XXV. Juxta S. R. C. decretum celebranti non licet uti cathedra supina (Lehnsessel), sed scamno (brachia non habente), cuius pars posterior panno rubri alteriusve decentis coloris ornata sit. In hoc scamno una cum ministris sedeat celebrans. Multo minus cathedris supinis uti possunt in ecclesiis praefecti, deputati et officiales confraternitatum, societatum aut congregationum laicorum, sed sedebunt in scamno dorsum quidem, non vero brachia a lateribus ha-

---

[1]) Litanias habes p. 464 sqq., *orationes* addendas p. 489.

bente, nec utantur cussinis, neque genuflexoriis;[1]) illud autem scamnum omnino extra presbyterium collocabitur, quando praedicti Missis aut Vesperis solemnibus assistunt, aut quando in presbyterio a clero celebrabitur aliqua sacra caeremonia, aut quando concio erit in ecclesia, iuxta pluries declarata a S. R. C. et in particulari per decretum generale diei 13. Martii 1688 (n. 1792).

XXVI. Attamen, si ob ecclesiae formam conveniens locus non daretur extra presbyterium, tunc concedi poterit, ut scamnum collocari possit in unius lateris facie extra *terminum* presbyterii.

XXVII. Viris et mulieribus cuiuslibet status aut conditionis (exceptis regiis personis, ubi adsunt) districte prohibetur, ne in presbyterium[2]) seu circuitum altaris, in quo expositum est Venerabile, ingrediantur et orent, quum praefatus locus occupari solum debeat ab ecclesiasticis, divino ministerio aut adorationis officio addictis. Idque observandum est, non solum in ecclesiis, in quibus ordinaria recurrit expositio, sed etiam in aliis omnibus, in quibus, ex indulto Apostolico, aut ex alia legitima facultate, expositio, licet per breve tempus, fit. Rem ita fieri providebunt Superiores aut sacellani, etiam adhibita scamnorum congerie, si opus fuerit. Mandamus praeterea, ac praecipimus rectoribus et Superioribus cuiusvis ecclesiae tam saecularibus, quam regularibus, ut durante expositione non praesumant quodlibet sedilium genus cuipiam personae

---

1) Genuflexoria cum stratis et pulvinis in ecclesiis non parentur, nisi pro personis regali vel cardinalitia dignitate fulgentibus *(S. R. C. 17. Sept. 1822 decr. gen. a Pio VII. approb. eiusque iussu promulg. n. 2621 ad 10,* „locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam observantiam urgeant").

2) Quum secundum perpetuam Ecclesiae consuetudinem alius presbyteris, alius laicis sit locus, prohibemus, ne in posterum nova subsellia vel scamna gentilitia laicis in choro cuiuscumque ecclesiae concedantur, quippe quae in navi collocanda sunt *(Conc. prov. Colon. pag. 144).*

cuiusvis sexus, gradus et conditionis et reverentiae concedere sub poena...

XXVIII. Tempore expositionis, licet particularis, non apponantur in ecclesiis lances ad eleemosynas deponendas, neque stabunt ad eas recipiendas religiosi aliive ecclesiastici, neque laici; sicuti neque clerici, confratres, mandatarii aliaeve personae per ecclesiam circuibunt, ut eleemosynas a fidelibus eliciant. Multo minus id agere poterunt pauperes, qui si stipem volunt postulare, viginti passus ab ecclesiae ianuis distare debent. Idcirco cura pariter erit Superioribus et sacellanis aliisque assistentibus custodibus, orantium scilicet fidelium distractionis vitandae gratia, invigilare, ne ecclesiam ingrediantur pauperes, ut mendicent: cum rite possint benefici extra ecclesiam eleemosynas dare, prout ordinavit S. Sanctitas Clemens XI. in speciali edicto, in quo omnibus fidelibus prohibet, ne in ecclesiis eleemosynam distribuant.

XXIX. Notandum, orationi finem in una ecclesia dari non licere, nisi postquam eadem in altera iam inceperit, idque servabitur ab unaquaque ecclesia, licet basilica aut collegiata, aut quolibet modo sit privilegiata.

XXX. Finita Missa repositionis celebrans assumet pluviale (observando ritum supra descriptum pro Missa expositionis), et cum ministris coram SS. Sacramento in medio super infimum altaris gradum genuflectit. Cantores statim intonabunt Litanias, quae continuabuntur usque ad Domine, exaudi orationem meam, inclusive. Deinde erectus celebrans cum ministris, in medio ponet incensum absque benedictione, et genuflexus in infimo gradu altaris ter SS. Sacramentum adolebit, atque assumet velum humerale. Incensatione peracta, diaconus cum debitis reverentiis Sacramentum e throno levabit, statimque erectus stans tradit genuflexo celebranti. Deinde genuflectit diaconus. Ceterum observanda veniunt respective, quae supra, ubi de expositione agebatur, de caeremoniis ac ritu processionis dicta sunt.

XXXI. Post processionem, celebrante ad infimum altaris gradu egresso, diaconus genuflexus ab ipso stante recipiet Sanctissimum, coram quo celebrans immediate genuflectet,

velumque humerale deponet. Deinde celebrans genuflectit in infimo gradu altaris; diaconus autem SS. Sacramentum in medio altaris supra corporale reponet, genuflectit et ad suum locum recedit ad dexteram celebrantis. Celebrans vero, sub Genitori Genitoque cum ministris erectus, absque benedictione incensum ponet, ut supra, et Sacramentum incensabit. Cantores dicent Versiculum Panem de coelo, etc. (cui adiiciendum *Alleluia* tempore tantum paschali ac per totam octavam Corporis Christi in qualibet expositione), tum celebrans surgit, non vero iterum genuflectit, et sustinentibus librum ministris (omisso Dominus vobiscum, ex decreto S. R. C.), Orationes manibus iunctis cantabit; quibus finitis genuflexus humerale velum assumet, atque solus ad altare ascendens, debitis factis reverentiis, manibus velo humerali tectis, uti dictum iam est, ostensorium accipit, et cum eodem benedictionem populo impertitur; Sacramento dein supra corporale reposito, descendit, velum deponit, suoque loco genuflexus manebit. Statim diaconus, aut sacerdos stola indutus, debitis factis reverentiis, Sacramentum includit in tabernaculo, quod ad hunc finem in altari expositionis retinendum erit; hostia autem consecrata in Missa consumenda est, sive hac, sive sequenti die. His peractis, revertuntur in sacristiam, sicque finitur horatio XL horarum.

XXXII. Tempore, quo durabit eadem oratio, districte interdicitur praedicare; verum si quis, ad fovendam fidelium erga SS. Sacramentum devotionem, brevem concionem post Vesperas [1]) instituere velit, licentiam a Nobis, aut a

---

[1]) Si Vesperae cantantur coram SS. Sacramento exposito, sacerdos celebrans induitur stola et pluviali super rochettum aut superpelliceum; ceteri vero assistentes non possunt adhibere stolam, nisi in casu, quo aliquis eorum faciat expositionem, qua facta statim eam deponit. Si SS. Sacramentum ante Vesperas iam fuerit expositum, celebrans et ministri procedunt ex sacristia capite cooperto, sed ingredientes presbyterium seu capellam, in qua est expositum, se discooperiunt, et mox bireta tradunt acolythis, vel illa tenent ante pectus per partem inferiorem, manibus

S. Excell. Nostro Vice-Gerente etiam pro ecclesiis regularium, et quomodocumque privilegiatis petere debebit, et non modo in expositione XL horarum, sed etiam in qualibet expositione: quae licentia dari debet in scriptis. Praedicaturus autem in ordine saltem diaconali erit, atque

---

infra iunctis et pollicibus in parte concava cancellatis. Accedentes ad altare, vel ab eo recedentes utroque genu flectere debent in plano. Convenit, ut ob reverentiam SS. Sacramenti omnes stent capite detecto. Ad Canticum *Magnificat* incensatur altare, chorus et populus: unde Officians cantato versu primo Cantici mox citati se signat in fronte, pectore et humeris: tum accedit ad infimum gradum altaris, flectit duobus genibus in plano, ob expositum SS. Sacramentum, ad altare ascendit, flectit uno genu in medio altaris, illudque, depositis hinc et inde manibus, osculatur; osculatus altare retrocedit aliquantulum in cornu fere Evangelii facie versa ad cornu Epistolae, thus imponit ac illud benedicit; iniecto autem thure, renovat genuflexionem, receditque ab altari, ac flexis duobus genibus in infimo gradu accipit thuribulum et more solito ter incensat SS. Sacramentum, et dein ascendit et thurificat altare. Finita altaris incensatione Officians descendit in planum capellae, ubi conversus ad populum per suam sinistram, incensatur, ac postea redit ad sedem in choro, vel ad gradus altaris ac cantandam Orationem. (Cfr. *Man. ecclesiastic. num. 568.)* – Exposito SS. Sacram. non thurificantur alia altaria *(D. auth. n. 2396 ad 6)*, nec imagines seu statuae Sanctorum. Alioquin casus, in quo Officians praeter unum altare aliud incensare potest, ille est, quando in aliquo altari parvo exponitur reliquia alicuius Sancti, quae in die obitus ipsius speciali cultu honoratur; tunc incensato altari, in quo est SS. Sacramentum vel patenter expositum, vel in tabernaculo reconditum, procedere potest ad dictum altare, et illud incensare. In Vesperis solemnibus, quae persolvuntur non ab Episcopo (non exposito SS. Sacramento), praeter altare chorale, ubi SS. non exsistit, thurificari debet altare ecclesiae, in quo SS. Sacramentum asservatur *(D. auth. n. 3110 ad VI)*.

superpelliceo indutus, quamvis regularis sit, sed sine stola, capite discooperto,[1]) prope altae, in quo SSmum manet expositum, atque tandem in eo situ, ut auditores non adducat ad actus irreverentiae, convertendo terga Sacramento.

XXXIII. Ecclesiae, in quibus instituitur XL horarum oratio, vespere, donec aderit populus ad orandum, apertae manere debebunt; quoniam tamen hac in re aliqua determinatio horae stabiliri nequit, tum ob ecclesiarum situm, tum ob temporum mutationem, ideo circa horam tertiam post Salutationis Angelicae signum aestivo, et circa quintam hiemali tempore claudi poterunt. Advertendum interea quod, etiam ianuis clausis, continuari debet Oratio, prout dictum fuit supra n. IX., quia ex decreto S. R. C. dicta oratio nunquam interrumpi potest.

XXXIV. Romae in qualibet ecclesia ad informationem fidelium apparenti loco affixus remanebit elenchus, in quo videri potest, quando oratio XL horarum in singulis ecclesiis celebretur.

XXXV. Pariter in sacristia cuiusvis ecclesiae, in qua expositionem institui statutum est, continuo affixa erit praesens instructio, ne quis regularum ac praescriptorum in ea traditorum ignorantiam praetendere possit.

XXXVI. Extra ordinem in elencho XL horarum assignatum nullus rector, curatus, aut sacellanus, exponere SS. Sacramentum audeat[2]) sub quovis praetextu, aut consuetudine,

---

[1]) Nunquam licet coram SSmo concionari *tecto capite*, etiamsi SS. Sacram. velo serico obductum fuerit *(D. auth. n. 2769 ad II)*.

[2]) Ne nimis frequens fiat SSi. expositio, etiam Conc. prov. Colon. pag. 100 dicit: „Usus ille frequentior sanctissimum Sacramentum exponendi in comprecationibus aliisque pietatis officiis abolendus et ab Ordinariis accuratius ordinandus est.“ — Regularibus licentia Episcopi satis est ad exponendum SS. Sacramentum, nec indigent licentia parochi *(D. auth. n. 1026)*; intra hebdomadam Corporis Christi possunt intra Missarum solemnia et ad Vesperas SS. Sacramentum exponere sine licentia Ordinarii *(D. auth. n. 753)*.

ob causam gravem, aut pro infirmis, absque speciali Brevi Sanctitatis Suae, aut saltem absque licentia a Nobis vel a S. Excell. Vice-Gerente et a deputato XL horarum subscripta; qua obtenta, exponetur Venerabile in altari, aut in capella obducto velo et servato supradicto 20 luminum numero. Observandum item ad amussim tempus, quo expositio durare potest, prout in dicta licentia assignatur.

XXXVII. (Inculcatur obligatoria vis huius Instructionis et statuuntur poenae contra transgredientes.)

2. Preces pro adoratione 40 et 13 horarum et pro adoratione perpetua praesciptae.

1. *Sanctissimo Sacramento exposito et processione finita, statim post* Genitori Genitoque *vel ante summum Sacrum cantantur* Litaniae omnium Sanctorum *(pag. 464); quibus usque ad V.* Dominus vobiscum *(pag. 469) cantatis, sacerdos stans cantat sequentes Orationes.*

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus.

Ex sequentibus Orationibus de B. M. V. sumitur ea, quae tempori convenit; deinde sequitur Oratio *Omnipotens, ... miserere* et sequentes pag. 490.

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini: Deus qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; praesta supplicibus tuis, ut, qui vere eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur.

— In nocte Nativitatis D. N. J. Ch. non probatur exponi SS. *(D. auth. n. 2528 ad 4).*

A Nativitate Domini usque ad Purificationem: Deus, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti; tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

A Purificatione usque ad Adventum Domini: Concede, nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta, ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Omnipotens, sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates et omnium iura regnorum; respice in auxilium Christianorum, ut gentes Turcarum et haereticorum, quae in sua feritate et fraude confidunt, dextera tuae potentiae conterantur.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis; te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. — *R.* Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus,

R. Et custodiat nos semper. Amen.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. — *R*. Amen.

2. *Post Completorium flexis genibus cantantur* Litaniae Lauretanae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe, audi nos. — Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte, Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, — miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater boni consilii,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,

Ora pro nobis.

Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi Rosarii,

Ora pro nobis.

Agnus Dei etc., — parce nobis, Domine.
Agnus Dei etc., — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei etc., — miserere nobis.

Deinde sacerdos superpelliceo et stola albi coloris, necnon pluviali indutus, stans ante infimum gradum altaris cantat:

V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix *(t. p. additur* Alleluia).

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi (Alleluia).

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui Angelo nuntiante,

Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per Passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Deinde in honorem SSmi. Sacramenti cantatur.

Antiphona: O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur *(temp. pasch. additur* Alleluia).

V. Panem de coelo praestitisti eis *(t. p.* Alleluia).

R. Omne delectamentum in se habentem (Allel.).

Oremus. Deus qui nobis etc. *(pag. 489).*

3. *Ultimo die precum decantatus Litaniis subiungitur Hymnus Ambrosianus (pag. 394) cum Versiculis, Responsoriis et Orationibus sequentibus.* [1])

V. Benedictus es, Domine, Deus, patrum nostrorum.

R. Et laudabilis, et gloriosus in saecula.

† *V.* Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

† *V.* Benedictus es, Domine, in firmamento coeli,

R. Et laudabilis, et gloriosus et superexaltatus in saecula.

V. Benedic anima mea Domino,

R. Et noli oblivisci omnes retributiones eius.

† *V.* Domine, exaudi orationem meam,

---

1) Hi versiculi cum Responsoriis et Orationibus ex praescripto Ritualis Romani cantantur, quando instituitur *gratiarum actio:* scilicet si fit *processio,* post *Te Deum* etc. cantantur omnes versiculi cum tribus orationibus; si vero *Te Deum* cantatur sine processione, susficiunt Versiculi *Benedicamus Patrem* etc., *Benedictus es* etc., *Domine, exaudi* etc., cum unica Oratione *Deus, cuius misericordiae* etc. *(D. auth. n. 2956 ad 3).* — Oratio de SSmo dicitur in fine immediate ante benedictionem.

R. Et clamor meus ad te veniat.

† *V.* Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus praestas auditum; pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Immediate ante benedictionem ter cantatur.

Defensor noster aspice etc.

4. *In precibus tredecim horarum, quae in Archidioecesi Coloniensi instituuntur feria quarta, ante Dominicam ultimam post Pentecosten, cantatis Litaniis omnium Sanctorum cum Psalmo et Precibus (omissis vero Orationibus supradictis), sacerdos subiungit:*

Oremus. Deus, qui nobis etc. *(pag. 489).*

Clementiam tuam, omnipotens Deus, suppliciter deprecamur, ut benedicere, visitare, et irrigare digneris fruges et fines servorum tuorum, noxias tempestates amoveas, inundationes coërcias imbrium, spirituales repellas nequitias, aërem salubrem indulgeas, et ab omni nos inimicorum infestatione in pace defendas, quos Corpore et San-

guine Filii tui a morte perpetua redemisti. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus,

R. Et custodiat nos semper. Amen.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. — *R.* Amen.

IX. De celebratione patrociniorum et festi dedicationis ecclesiae.

I. De Patronis. 1. Patronus dicitur persona creata, scilicet Angelus vel Sanctus, sub cuius patrocinio particulari locus vel ecclesia legitime sunt constituta. *Titulus* generaliter significat quamcumque personam divinam aut creatam et quodcumque mysterium, a quo nominatur ecclesia, sacellum etc. Loquendo de *ecclesiis* potius adhibendum est nomen Tituli seu Titularis; loquendo de *locis* nomen Patroni tantum in usu est.

Patronus loci [1]) ille est, sub cuius peculiari patro-

---

[1]) Interrogata „*quisnam sit patronus civitatis illius, in qua plures ecclesiae parochiales exstant?*“ S. R. C. die 9. Maii 1857 n. 3048 respondit: „Cessat omne dubium, si titularis ecclesiae, qui etiam appellari quandoque solet patronus ecclesiae, distinguatur a patrono loci, puta civitatis, provinciae, regni etc. *Titularis* enim sive *patronus ecclesiae* is dicitur, sub cuius nomine seu titulo ecclesia fundata est, et a quo appellatur. *Patronus* autem *loci* proprie is est, quem certa civitas, dioecesis, provincia, regnum etc. sibi delegit velut singularem ad Deum patronum, *servatis in eiusmodi electione regulis in decreto s. mem. Urbani VIII. diei 23. Martii 1630 statutis.*“

cinio constitutum est regnum, provincia, civitas, oppidum vel pagus, status, ducatus, patria; non autem sub nomine patroni loci intelligitur patronus dioecesis, neque patronus seu titulus parochiae, vel ecclesiae parochialis, quamvis huius festum ex devotione celebretur in populo, et quamvis parochia constituat integrum oppidum vel pagum neque sit constitutus alius patronus illius loci.

Si habeatur patronus regni, sive provinciae, et alter civitatis, oppidi vel pagi, utriusque festum eodem ritu celebrandum est *(Constit. Urbani VIII. „Universa" et decr. S. R. C. 22. Martii 1817 a Pio VII. confirm., n. 2576).*

Regulariter loquendo unus tantum patronus principalis censetur, cui ritus I. cl. cum octava competit, et reliqui sunt minus principales, de quibus generatim celebratur officium sub ritu tantum duplici maiori sine octava. Fieri tamen potest, ut plures sint Patroni seu Tituli aeque principales, qui eodem ritu I. cl. cum octava celebrantur; scilicet 1° *per modum unius,* ut si ecclesia dedicata sit SS. Apostolis Petro et Paulo, SS. Gervasio et Protasio etc., 2° si ecclesia principaliter sit dedicata in honorem plurium Sanctorum, 3° ex speciali indulto Apostolico, 4° ex consuetudine. 5° Plures esse possunt patroni loci, unus universalis totius regni aut provinciae, et alter particularis civitatis, oppidi aut pagi.

De secundario seu minus principali Titulari aut Patrono loci vel ecclesiae debet fieri officium, sub ritu duplici maiori, iuxta tabellam duplicium maiorum initio Breviarii positam.

2. *Festum patroni* cum obligatione audiendi Sacrum et vacandi ab operibus servilibus celebrandum est die propria, nisi aliud sit statutum pro

variis dioecesibus [1]); scilicet si sit mysterium, ea die, quae ab Ecclesia recolitur; et si sit Sanctus, ea die, quae per decretum Apostolicum, seu S. R. C. assignatur; vel si ita non assignetur, ea die quae in Martyrologio notatur *(D. auth. n. 847 ad 2)*; si consuetudo loci discrepet a Martyrologio Romano, standum est isti consuetudini.

Si titularis sit SS. Salvator, tanquam festum titulare celebratur Transfiguratio Domini 6. Aug. *(D. auth. n. 2721 ad 2)*, nisi obstet legitima consuetudo contraria loci.

Si B. M.V. fuit electa patrona absque assignatione mysterii vel festivitatis, eius festum celebrari potest et debet die Assumptionis eiusdem.

3. *Officium canonicum patroni.* Nova declaratio per decretum gener. *(D. auth. n. 3863)* d. d. 9. Julii 1895 haec statuit:

---

[1]) In ditione regni Borussiae iuxta Breve Apost. Pii VI. d. d. 29. April. 1788 et Leonis XII. d. d. 2. Dec. 1828 festum patroni principalis civitatis, oppidi vel pagi transfertur in Dominicam sequentem cum commemoratione occurrentis Dominicae facienda (cf. supra pag. 31); si autem tale festum in Dominica sequenti impediatur, iuxta rubricas transfertur in Dominicam antecedentem, prout declaratur in decr. S. R. C. 11. Sept. 1790 a Pio VI. confirmato. Secundum Decr. in Monaster. d. d. 7. Jan. 1898 *(D. auth. n. 3970)* non ipsum festum cum officio, sed externa festi solemnitas cum obligatione feriandi transfertur. In hisce diebus Dominicis fideles lucrari possunt indulgentias, si quae pro festo patroni concessae sunt. Ita nunc est *generalis* regula, ut omnes indulgentiae iam concessae et in posterum concedendae translatae intelligendae sint pro eo die, in quem festa quoad solemnitatem et externam celebrationem transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nulla fit translatio *(Pius IX. 9. Aug. 1852.* Cfr. *Decr. authent. Indulg. n. 360)*.

a) Ad festum praecipui patroni loci (vel si particularis non habetur, dioecesis) tenentur omnes degentes in eo loco: a) clerici saeculares sub ritu I. cl. cum oct.; b) clerici regulares sub ritu I. cl. sine oct.

b) Idem dic, si plures sunt patroni aeque principales, de festis singulorum patronorum.

c) Si vero de eodem patrono plura festa in eo loco sunt instituta, saeculares ad omnia tenentur; regulares ad unum tantum solemnius, i. e. natalitium festum, nisi forte alia etiam observantur cum feriatione (in quo casu regulares ut reliqui et ad feriationem et ad officium tenentur).

II. De titulari ecclesiae. 1. Sub ritu dupl. I. cl. cum octava celebrari debet festum solemnius *titularis ecclesiae,* ab omnibus e clero, qui ad illam ecclesiam ratione beneficii vel subiectionis pertinent.

2. Festum titularis ecclesiae cathedralis sub eodem ritu dupl. I. cl. cum octava celebrandum est ab universo *clero totius dioecesis;* sub ritu I. cl. sine octava a *clero regulari in dioecesi.*

3. Ut vero titularis ecclesiae celebrari possit et debeat, secundum decr. gen. d. d. 5. Juni 1899 *(D. auth. n. 4025)* requiritur, ut agatur de ecclesiis publicisque oratoriis vel *consecratis* vel saltem *solemniter benedictis.* Quod de *ecclesiis* quidem per se intelligitur, de oratoriis non ita. Habes igitur a) oratoria *publica,* scil. ea, quae pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinata, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minus serviant. In iis titularis celebratur saltem *per Missas;* si Rector Oratorio est addictus, ab eo etiam per officium canonicum.

b) In oratoriis *semipublicis,* aedium episcop., seminarii, hospitalis, domus regularium, titularis

festum non celebratur, nisi oratorium *revera sit vel consecratum vel solemniter benedictum*, quum *possit* esse non ita benedictum.

c) Oratoria *privata* non possunt recipere benedictionem *solemnem;* propterea festum titularis non celebratur.

III. De dedicationis ecclesiae anniversario festo.
1. Dedicatio ecclesiae intelligitur eius *consecratio.*[1]) Anniversarium festum Dedicationis agitur per se ipso illo die, quando quotannis recurrit, nisi forte Episcopus in ipso actu consecrationis alium diem vel certam Dominicam pro festo anniversario constituerit *(D. auth. n. 3881, V);* sed *ita* sumi nequit festum I. vel II. cl. universalis nec I. cl. particularis Ecclesiae, neque Dominica ulla praevilegiata *(ibid.).*

2. Celebrari debet festum anniversarium dedicationis sub ritu I. cl. cum octava ab omni clero,

---

1) Si quod oratorium publicum sive semipublicum revera *consecratum fuerit,* etiam eius dedicationis anniversarium festum eodem modo celebrandum est *(D. auth. n. 3471* d. d. 29. Nov. 1878). Verum attende a) quoad *Missam*: eam celebrandam esse de dedicatione, atque in festo titularis de titulari, ab omnibus, qui ibi celebrant; b) quoad *officium*: illud recitari et posse et debere ab iis tantum, qui vere tali sacello sunt addicti, v. g. a. *rectore* si quis ei adscriptus sit, vel a sacerdote qui v. g. in hospitali, conventu non solum Missam dicere solet sed curam animarum sibi ex officio demandatam exercet. Si igitur ecclesiae *filialis* cura non parocho, sed alicui ex capellanis ex officio incumbit, capellanus ille, non parochus officium de titulari debet recitare *(D. auth. n. 3952).*

Si quis vero duarum ecclesiarum servitio adscriptus fuerit, de utraque festum titularis et anniversarium dedicationis celebrare debet atque eorum officia recitare *(D. auth. n. 2002 ad 5, n. 2849).*

qui ad eam ecclesiam ut propriam ratione beneficii vel subiectionis pertinet.

Si vero alicui dioecesi vel Instituto indultum est, ut dedicatio omnium ecclesiarum uno eodemque die quotannis recolatur, omnes et singuli de relativo clero, quibus indultum favet, dictum festum celebrabunt sub ritu I. cl. cum oct., *sive ecelesia propria consecrata sive benedicta tantum fuerit, cuiuscumque particularis ecclesiae dedicationis festo omisso (D. auth. n. 3863, III).*

3. Ad anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis quod attinet, illud celebrari debet:

a) a clero saeculari dioecesis in civitate episcopali sub ritu dupl. I. cl. cum octava,

b) a clero saeculari dioecesis extra civitatem sub ritu dupl. I. cl. sine octava,

c) „ex clero regulari idem festum recolent ii tantum, qui in civitate degunt episcopali, sub ritu dupl. II. cl. sine octava" *(D. auth. n. 3863, IV).*

4. Demum quoad praeferentiam attende decretum gen. d. d. 4. Febr. 1896 *(D. auth. n. 3881, I—IV):*

„1) Dedicationem ecclesiae eiusque proinde anniversarium esse festum Domini. 2) Hinc ecclesiae *propriae* anniversarium, iuxta Rubricas solemnius *et primarium,* aliis quibuscumque locorum festis, etiam Patroni aut Titularis, esse per se praeferendum, tam in occursu quam in concursu; permitti nihilominus, ut Patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, *ratione feriationis* praedicto anniversario praeferatur. 3) Anniversarium vero dedicationis ecclesiae *non propriae* uti *secundarium* habendum esse, et si cum aliis quibuscumque festis occurrat vel concurrat, servandas esse rubricas et decretum gen. super primariis et secundariis festis. 4) Eiusdem autem dedicationis ecclesiae sive propriae sive non propriae anniversario

occurrente vel concurrente *cum festis solemnioribus universalis Ecclesiae, haec* semper illi praevalere, personali etiam dignitate posthabita, iuxta rubricas."

X. De aliquibus praestantioribus sacris functionibus in minoribus ecclesiis parochialibus peragendis.

(Ex memoriali Rituum Benedicti XIII.)

Praenotanda. In favorem ecclesiarum, quae sufficienti clero destituuntur, Pius PP. VII, die 31. Julii 1821 decretum die 28. eiusd. a S. R. C. latum approbavit *„ut locorum Ordinarii quoad paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, sacras functiones feriis V et VI ac sabbato maioris hebdomadae peragi studeant servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII iussu anno 1725 editi; quoad alias paroecias, quae clericis destituuntur, indulgere valeant, ob populi commoditatem, ut parochi (petita quotannis venia) feria V in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in cathedrali vel matrice conventualis incipiat,"* quod decretum *„ut ab omnibus servetur"*, in acta eiusdem S. R. C. referri typisque evulgari idem S. D. N. praecepit *(D. auth. n. 2616 ad 1).*

Accedit nunc aliud decretum d. d. 9. Dec. 1899.[1])

[1]) Videlicet: „Dub. I. An Feria V in Coena Domini in ecclesiis parochialibus aliisque non parochialibus celebrari possit Missa lecta vel cum cantu, quin peragantur functiones Feriae VI in Parasceve et Sabbati Sancti? — Dub. II. An praedicta Missa legi vel decantari possit in ecclesiis vel oratoriis spectantibus ad Regulares, ad seminaria et ad pias Communitates." Ad quae S. R. C. rescripsit: „Ad I. In ecclesiis parochialibus, ubi adest fons baptismalis, serventur Rubricae Missalis et Decreta, adhibito Memoriali Rituum Benedicti PP. XIII. pro functionibus praescriptis, si exstet

Unde patet: 1. in ecclesiis parochialibus non omittendas esse functiones Fer. VI, neque Sabbati sancti; 2. in aliis ecclesiis vel publicis oratoriis posse quidem Episcopum, si populi concursus adsit, dare facultatem, ut functiones sacrae secundum Memoriale Benedicti XIII peragantur, omittendas autem non esse functiones feriae VI, omitti posse functiones Sabbati sancti; 3. eandem facultatem dare aliquando posse Episcopum pro ecclesiis vel oratoriis Monialium sub clausurae lege viventium;[1]) 4. in oratoriis Regularium veri nominis posse pro necessitate solam Missam Feriae V sive lectam sive cantatam celebrari;[2]) 5. quod ut liceat in aliis oratoriis, piarum Communitatum vel seminariorum, requiri indultum Apostolicum.

Quare ut talium ecclesiarum rectores facilius ex mente Ecclesiae et ad aedificationem fidelium functiones, de quibus hic sermo est (clericorum vices cantoribus laicis gerentibus), peragere possint, ex altera editione dispositiones dicti Caeremonialis seu Memorialis Rituum hic inserui, et ubi necessarium vel utile videbatur, nonnulla S. R. C. decreta adieci.

---

defectus sacrorum ministrorum et clericorum. In aliis vero ecclesiis non parochialibus omitti *potest* functio Sabbati sancti, non tamen illa Feriae VI in Parasceve; et fiat sepulchrum: expetita facultate pro usu dicti Memorialis, si idem sacrorum ministrorum et clericorum defectus exsistat. — Ad II. *Affirmative* quoad Regulares proprie dictos, iuxta Decretum sub n. 2799 d. 31. Aug. 1839; *Negative* quoad seminaria et pias Communitates, nisi habeatur Apostolicum indultum" *(Ita Decr. auth. n. 4049).*

[1]) Ita concessum in dioecesi Mechlin. facult. quinquennali *(Decr. auth. n. 3390).*

[2]) *Decr. auth. n. 2799 ad 2m.* ita habet: „Superior celebret in privato oratorio ad ministrandam religiosis Communionem; et si desit oratorium, fiat in ecclesia ianuis clausis".

I. De iis, quae observanda sunt in festo Purificationis B. M. V.

Art. 1. De praeparandis pro benedictione[1]), processione et Missa. *a. In abaco seu credentia altaris maioris:* 1) Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris albi, nisi festum incidat in Dominicam privilegiatam, quia tunc debent esse coloris violacei. 2) Planeta, stola, et manipulus coloris albi; vel violacei, si in Dominica, ut supra. 3) Thuribulum et navicula cum thure. 4) Vas aquae benedictae cum aspersorio. 5) Pelvis cum medulla panis, et vasa pro lotione manuum post distributionem candelarum. 6) Manutergium. 7) Pelvicula cum ampullis vini et aquae, et mappula ad manus tergendas.

b. In altari: 1) Pallium violaceum facile amovibile, et aptatum super aliud albi coloris, si Missa erit de Beata Maria. 2) Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo, vel parvo legili.

c. Prope cornu Epistolae in plano: 1) Mensa cooperta mantili albo, et super eam candelae benedicendae, similiter aliqua mappa munda cooperta. 2) Crux processionalis.

d. In sacristia: 1) Tria superpellicea pro clericis. 2) Amictus, alba, cingulum, stola, et pluviale coloris violacei pro celebrante. 3) Foculus cum igne et forcipe.

Art. 2. De benedictione[2]) candelarum.

---

[1]) Cfr. *Rocca,* de origine et institutione benedictionis candelarum vel cereorum in festivitate Purificationis B. M. V. (in tom. 2 Thesauri Pontific. Romae 1745).

[2]) Fieri debet ab eodem ipso, qui celebrat Missam parochialem seu conventualem; idem dicendum de benedictione cinerum, palmarum, fontis baptismalis et de processione cum SS. Sacramento in Coena Domini et in Parasceve *(Decr. gener. inter D. auth. n. 1333, 12; n. 2783).*

1) Circa horam diei tertiam [1]) tres clerici, talari habitu induti, accipiunt superpellicea in sacristia, atque disponunt omnia, ut in articulo praecedente. 2) Festivo campanarum sonitu convocetur populus. 3) Celebrans, facta praeparatione ad Missam, ac lotis manibus in sacristia, ministrantibus secundo et tertio clerico, accipit super cottam amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale coloris violacei.
(Si fuerit dies Dominica, celebrans sic indutus benedicit aquam pro aspersione, ut in Missali.) 4) Interim primus clericus amovet ab altari vasa florum, et candelas in eo accendit. 5) Celebrans, facta cum clericis debita reverentia cruci, vel sacrae alii imagini in sacristia, praecedente primo clerico, manibus iunctis, medius inter secundum et tertium clericum, elevantes fimbrias pluvialis, tecto capite, procedit ad altare. 6) Ante infimum gradum deponit biretum in manibus primi clerici, qui, eo reposito, candelas discooperit. 7) Celebrans, facta in plano vel reverentia cruci vel genuflexione super infimo gradu, si adsit tabernaculum recondens SS. Eucharistiam, ascendit ad altare, et osculatur illud in medio. *(Si facienda sit aspersio aquae benedictae, celebrans genuflexus in primo gradu inferiori procedit ad aspersionem, ut in Missali, et deinde ascendit ad altare, ut supra.)* 8) Celebrans, osculato altari, accedit ad cornu Epistolae, semper medius inter clericos (ut in numero 5). 9) Ibidem facie ad altare versa, manibus iunctis, in tono feriali, dicit: *Dominus vobiscum,* et postea subiungit: *Oremus,* et Orationem: *Domine sancte* etc. cum quatuor aliis Orationibus. 10) Interim primus clericus ponit ignem in thuribulo, et accipit naviculam. 11) Dum dicitur quinta Oratio, tertius clericus, qui erat a sinistris celebrantis, facta genu-

1) Vel hora congrua.

flexione altari, recedit, et accepto e credentia vase aquae benedictae, una cum clerico thuriferario accedit ad celebrantem. 12) Celebrans, completa quinta Oratione, ministrante cum osculis consuetis naviculam secundo clerico, qui est a dexteris eius, imponit cum benedictione incensum in thuribulo. 13) Deinde, accepto aspersorio a secundo clerico, ter aspergit candelas, in medio, a dextris earum, et a sinistris, dicens submissa voce Antiphonam *Asperges me, etc.* 14) Successive similiter triplici ductu candelas adolet incenso, nihil dicens. 15) Completa benedictione, celebrans, facta in medio altaris debita reverentia, sedebit tecto capite super scabello in suppedaneo a parte Evangelii, et gravi sermone populum admonebit de institutione huius solemnitatis, atque mysterii, et utilitate candelarum benedictarum, utque populus reverenter accedat ad distributionem.

Art. 3. De distributione[1]) candelarum. 1) Expleto sermone, primus clericus accipit e mensa candelam pro celebrante et, *nisi adsit aliquis in presbyterali ordine constitutus,* eam collocat in medio altaris. 2) Celebrans, facta reverentia in medio altaris, genuflectit super suppedaneo, facie ad crucem versa. 3) Sic genuflexus accipit ex altari candelam et eam osculatur, et tradit primo clerico servandam. *(Si adsit aliquis sacerdos [2]) hic dabit*

---

1) Regulares in propriis ecclesiis suis, si adsit consuetudo, nec specialis ratio obstet, candelas, cineres et palmas benedictas etiam populo distribuere possunt *(D. auth. n. 2098 ad 1–3).*

2) **Pro maioribus ecclesiis:** Celebrans, dum accipit a digniore suam candelam, stare debet in suppedaneo, dignior vero infra sine stola; nec ipse celebrans debet tunc osculari manum dignioris, sed tantum candelam. Ipse vero dignior accipiendo a celebrante suam candelam debet genuflectere

candelam celebranti stanti facie ad populum, cum osculo candelae tantum, et celebrans similiter candelam tantum osculabitur.) 4) Deinde celebrans accedit ad cornu Epistolae, et alternatim cum suis clericis alta et aequa voce, more clericorum regularium recitabit Antiphonam *Lumen* etc., et Canticum *Nunc dimittis* etc. 5) Repetita post *Sicut erat in principio* etc. Antiphona *Lumen* etc., celebrans, facta inclinatione cruci, vertit se ad populum, et [1]) distribuit candelas primo presbyteris, si adsint, deinde clericis, dispositis per series super oram suppedanei, et digniores prope cornu Epistolae; qui omnes genuflexi candelam et manum celebrantis osculabuntur. 6) Deinde celebrans, facta reverentia altari, medius inter suos clericos accedit ad cancellos presbyterii a parte Epistolae. 7) Ibidem incipit distribuere candelas, primo viris, deinde feminis, praebente ei candelas tertio clerico a sinistris, allatas a primo clerico. 8) Completa distributione, celebrans lavabit manus in plano Epistolae, fundente aquam primo clerico, et aliis duobus manutergium ministrantibus. 9) Celebrans, lotis manibus, accedit ante altare per viam longiorem, factaque in medio cruci reverentia, pergit ad librum in cornu Epistolae. 10) Ibi cum suis cle-

---

in suppedaneo et osculari ultra candelam etiam manum eius *(D. auth. 2148 ad 5)*, ut facere tenentur reliqui. Dignior vero in ecclesiis cathedralibus et collegiatis non tenetur genuflectere, nec osculari manum celebrantis, ita neque reliqui canonici. Secus dicendum de beneficiatis seu mansionariis, clericis etc., qui omnes tenentur genuflectere et osculari etc. *(Caeremoniale Episc. lib. 2 cap. 16 n. 11)*. In accipiendis candelis et palmis accipientes *primum* candelam aut palmam et *postea* manum Episcopi osculari debent *(D. auth. n. 3139)*.

[1]) Detecto capite: *Decr. gen. ut supra n. 1333, 13.*

ricis alta voce recitabit Antiphonam: *Exsurge, Domine,* etc. 11) Deinde stans ibidem subdit: *Oremus,* et si sit post Septuagesimam, et non in die Dominica, subiungit ipsemet, ac genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua*, et secundus clericus primo surgens, respondit: *Levate.* 12) Postmodum celebrans dicet Orationem: *Exaudi, quaesumus, Domine* etc. semper tenens manus iunctas, ut supra.

Art. 4. De processione. 1) Completa Oratione, celebrans accedit ad medium altaris, ibidem accipit a primo clerico candelam accensam, et (exemplar huius Memorialis, vel) Rituale pro Antiphonis in processione cantandis.[1]) 2) Duo alii clerici similiter accipiunt candelas accensas, et exemplaria huius Ritualis. 3) Celebrans vertit se ad populum, et dicit:

Procedamus in pace: et clerici respondent: *In nomine Christi. Amen.* 4) Celebrans incipit recitare Antiphonam *Adorna* etc., ut supra (pag. 456) et alternatim cum clericis sibi assistentibus reliquas Antiphonas prosequitur. 5) Responso, ut supra: *In nomine Christi. Amen,* primus clericus accipit crucem processionalem, et facta genuflexione altari, vertit se ad populum, et procedit, iuxta consuetudinem, vel extra ecclesiam, vel intus eandem, et dirigit processionem a sua parte dèxtera, et circuit, et redit ante altare. 6) Subsequitur celebrans tecto capite, medius inter clericos, recitans, cum eis Antiphonas, *Adorna* etc. (p. 456). 7) Ingrediendo ecclesiam, si extra eam processum fuit, vel in ipso cancellorum presbyterii ingressu, si processio intus ecclesiam peracta fuit, recitatur Responsorium *Obtulerunt* etc. (pag. 457). 8) Clericus cum cruce, facta ante altare genuflexione,

---

[1]) Habentur supra pag. 456 seqq.

deponit eam in loco suo. 9) Celebrans absolvit Responsorium ante altare.

Art. 5. De Missa post processionem. 1) Absoluto Responsorio, primus clericus resumit candelas a celebrante et clericis, exstinguit, et servat in credentia. 2) Celebrans facta reverentia altari accedit ad planum Epistolae in loco, ubi alias sedetur in Missa solemni; et per manus secundi et tertii clerici deponit pluviale et stolam violaceam, et accipit manipulum, stolam et planetam coloris albi, si Missa erit de Beata Maria; alias, deposito pluviali, accipit manipulum, et planetam violaceam pro Missa de Dominica. 3) Interim, *si Missa erit celebranda de festo*, primus clericus amovet pallium violaceum ab altari, remanente albo, et apponit vasa florum inter candelabra, et successive defert calicem paratum ad altare, et expanso corporali eundem in medio concinne collocat. 4) Celebrans procedit ad Missam, in qua, si erit de festo, clerici tenebunt candelas accensas ad Evangelium et ab elevatione usque ad sumptionem. 5) Dum celebrans legit Antiphonam *Communio*, primus clericus amovet calicem ab altari, et refert ad credentiam. 6) Completa Missa celebrans, praecedentibus clericis, redit, manibus iunctis, in sacristiam. 7) Ibi deponit paramenta missalia, et gratias agit de more. 8) Clerici ex altari et abaco reportant omnia in sacristiam, et suis quaeque locis reponunt.

2. De iis, quae observanda sunt in feria IV. Cinerum.

Art. 1. De praeparandis pro benedictione et Missa. *a. In abaco seu credentia altaris maioris.* 1) Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa coloris violacei. 2) Manipulus et planeta violacea.

3) Thuribulum et navicula cum thure. 4) Vas aquae benedictae cum aspersorio. 5) Pelvis cum medulla panis, et vasa ad lavandas manus post cinerum distributionem. 6) Manutergium. 7) Pelvicula cum ampullis vini et aquae, et mappula ad manus tergendas.

b. In altari. 1) Altare cum pallio violaceo, cruce et candelabris cum cereis, absque vasis florum. 2) Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo, aut legili. 3) Vas argenteum, vel ex alia pulchra materia, cum cineribus ex ramis in praecedenti Dominica Palmarum benedictis, combustis, et subtiliter cribratis, et aridis,[1]) coopertum vel operculo consimili, vel velo violaceo, inter Missale et cornu Epistolae.

c. In sacristia. 1) Tria superpellicea pro clericis. 2) Amictus, alba, cingulum, stola et pluviale coloris violacei. 3) Foculus cum carbonibus accensis et forcipe.

Art. 2. De benedictione cinerum[2]): 1) Dispositis omnibus, ut supra, per clericos indutos superpelliceis, hora congrua, solito campanarum signo convocetur populus ad ecclesiam. 2) Celebrans in sacristia, lotis manibus, per manus secundi et tertii clerici accipit super cottam amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale coloris violacei. 3) Primus clericus accendit candelas super altare, et deinde in sacristiam redit. 4) Proceditur, facta reverentia cruci in sacristia, vel sacrae imagini, ad altare

---

1) Non debent esse aqua madidi in modum luti, sed aridi in modum pulveris *(D. auth. n. 130 ad 3).*

2) In paroeciis maioribus summo mane aliquis presbyter potest privatim cineres benedicere, recitando solum quatuor Orationes Missalis, et aspergendo cineres, ac eos imponere Christifidelibus, qui Missae solemni non possunt assistere.

maius. 5) Praecedit primus clericus manibus iunctis, et subsequitur celebrans tecto capite medius inter secundum et tertium clericum. 6) Celebrans ante altare deponit biretum in manus primi clerici, et facit debitam reverentiam altari. 7) Ascendit altare, medius inter secundum et tertium clericum, et osculatur illud in medio. 8) Interim primus clericus, deposito bireto, discooperit cineres. 9) Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et ex Missali recitat cum suis clericis Antiphonam *Exaudi* etc. 10) Interim primus clericus praeparat thuribulum cum igne. 11) Repetita Antiphona *Exaudi*, celebrans stans ibidem, non se vertens ad populum, dicit in tono feriali, ac manibus iunctis: *Dominus vobiscum,* et postmodum subiungit quatuor Orationes. 12) Dum dicitur quarta Oratio, tertius clericus, facta genuflexione altari, accipit vas aquae benedictae, et una cum clerico thuriferario accedit ad celebrantem. 13) Celebrans ministerio secundi clerici imponit incensum in thuribulo, et deinde aspergit et thurificat cineres de more. 14) Expleta benedictione, vas cum cineribus ponitur in medio altaris. 15) Celebrans sedens, ut alias in suppedaneo, habet sermonem ad populum super benedictione et impositione cinerum in hac feria.

Art. 3. De cinerum impositione: 1) Celebrans *absente alio sacerdote,* facta reverentia cruci, genuflectit super suppedaneo in medio. 2) Sic genuflexus sibi ipse cineres in modum crucis imponit in capite, nihil dicens. *Si adsit alius sacerdos, hic sine stola accedens ad altare, imponit cineres celebranti, qui stabit capite inclinato, et facie versa ad populum, dicendo:* „Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.“ 3) Celebrans acceptis cineribus, accedit ad Missale in cornu Epistolae, et recitat cum clericis, ut supra, Antiphonam *Immu-*

temur etc. usque ad finem. 4) Deinde[1]) imponit cineres omnibus de clero, dispositis super oram suppedanei, et dignior erit proximior ad latus Epistolae, dicens: *Memento* etc. 5) Celebrans, facta reverentia altari, medius inter secundum et tertium clericum, accedit ad cancellos presbyterii e regione Epistolae, et imponit cineres primo viris, deinde feminis. 6) Completa impositione, celebrans in plano Epistolae, ministrantibus clericis, lavat manus, cum mica panis, et tergit. 7) Deinde ascendit altare per longiorem viam, et facta reverentia in medio, pergit ad latus Epistolae. 8) Ibidem facie ad altare versa dicit manibus iunctis: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Concede nobis, Domine* etc.; et facta ibidem reverentia altari, descendit ad planum Epistolae.

Art. 4. De Missa: 1) Celebrans in plano Epistolae prope scabellum, adiuvantibus suis clericis deponit pluviale, et accipit manipulum et planetam et sedet aliquantulum. 2) Interim primus clericus defert calicem ad altare, et expanso corporali in medio eius, aptat calicem super illud. 3) Celebrans procedit ad Missam, in qua omnia, ut in Missali. 4) Dum dicitur *Communio,* primus clericus amovet calicem ab altari, et defert ad credentiam. 5) Completa Missa,[2]) celebrans redit, praecedentibus clericis, manibus iunctis, in sacristiam, ubi depositis paramentis missalibus Deo gratias agit. 6) Clerici reportant omnia in sacristiam et recondunt.

---

[1]) Detecto capite, ut supra pag. 506 not. 1.

[2]) Finita Missa *privata* potest sacerdos, sacris indutus paramentis cineres distribuere; non tamen sibimet imponere *(D. auth. n. 2704 ad 5).*

3. De iis, quae observanda sunt Dominica Palmarum.[1])

Art. 1. De praeparandis iis, quae ad sacras actiones huius Dominicae necessaria sunt.

a. In abaco, seu credentia altaris maioris. 1) Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris violacei. 2) Manipulus et planeta coloris violacei. 3) Thuribulum et navicula cum thure. 4) Pelvis et urceus pro lotione manuum. 5) Manutergium. 6) Pelvicula cum ampullis vini et aquae, et mappula ad manus tergendas. 7) Exemplaria huius Memorialis pro recitandis in processione.

b. In altari. 1) Pallium violaceum. 2) Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo, vel legili. 3) Rami palmarum, loco florum, inter candelabra.

c. Prope cornu Epistolae in plano. 1) Mensa cooperta mantili albo, et super eam palmae benedicendae. 2) Crux processionalis tecta velo violaceo, et vitta violacea pro liganda palma in summitate crucis.

d. In sacristia. 1) Tria superpellicea pro clericis. 2) Amictus, alba, cingulum, stola et pluviale violacei coloris pro celebrante. 3) Foculus cum igne et forcipe. 4) Vas aquae benedictae cum aspersorio.

Art. 2. De benedictione palmarum. 1) Omnibus suo loco dispositis, festivo campanarum sonitu, hora congrua convocatur populus. 2) Celebrans in sacristia, adiuvantibus secundo ac tertio clerico, induit super cottam amictum, albam, cingulum,

---

1) An functiones omnes hebdomadae sanctae sint de iuribus mere parochialibus? S. R. C. die 10. Decembris 1703, decr. U. et O. a S. Pont. approb. et eius iussu promulg. n. 2123 ad 7 sq. respondit: *Negative.*

stolam, et pluviale violaceum. 3) Item benedicit aquam, ut in Missali, et interim primus clericus accendit cereos in altari. 4) Celebrans, praecedente primo clerico portante vas cum aqua nuper benedicta, medius inter secundum et tertium clericum, tecto capite, procedit ad altare, et genuflectit in eius infimo gradu pro aspersione aquae benedictae. 5) Fit aspersio more solito, post quam primus clericus reponit Missale super legili in cornu Epistolae altaris. 6) Tertius clericus accipit e credentia manipulum, et illum aptat in brachio sinistro celebrantis. 7) Celebrans medius inter clericos, ut in numero 4, ascendit altare, ac illud osculatur in medio; deinde in cornu Epistolae, alta et aequali voce incipit Antiphonam *Hosanna*, etc., quam cum clericis prosequetur. 8) Stans ibidem dicit manibus iunctis: *Dominus vobiscum*, et deinde Orationem: *Deus, quem diligere* etc. 9) Subiungit Lectionem, et post eam dicit cum clericis Responsorium: *Collegerunt etc. in monte Oliveti etc.* 10) Praemisso eodem loco *Munda cor meum*, legit Evangelium [1]), et osculatur textum in fine, et postmodum deponit manipulum. 11) Deinde dicit: *Dominus vobiscum*, Orationem et Praefationem, tenens semper manus iunctas, tam ad haec, quam ad subsequentes Orationes. 12) Clerici dicunt: *Sanctus, Sanctus* etc. 13) Celebrans praemisso *Dominus vobiscum*, subiungit quinque alias Orationes. 14) Interim primus clericus ponit ignem in thuribulo, et accipit naviculam. 15) Dum dicitur quinta Oratio, tertius clericus facta genuflexione altari accipit e credentia vas aquae benedictae, et una cum thuriferario accedit ad celebrantem. 16) Celebrans mi-

[1]) In benedictione solemni palmarum, si celebretur absque diacono et subdiacono, canendum est hoc Evangelium in cornu Epistolae.

nistrante secundo clerico, imponit incensum in thuribulo cum benedictione et osculis. 17) Deinde ter aspergit ramos, dicens submissa voce: *Asperges me*, etc. sine Psalmo, ac demum eosdem thurificat. 18) Celebrans dicit iterum: *Dominus vobiscum,* et sextam Orationem. 19) Primus clericus deponit thuribulum, et tertius redit ad sinistram celebrantis. 20) Celebrans sedens sermonem habet solemnitati congruum.

Art. 3. De palmarum distributione. 1) Primus clericus accipit e credentia palmas pro celebrante et clericis, et collocat super altare. 2) Celebrans, facta reverentia cruci, genuflectit in medio altaris. 3) Genuflexus accipit ex altari palmam, quam osculatur, et tradit primo clerico servandam. *Si adsit aliquis sacerdos, hic dabit palmam celebranti, ut dictum fuit de candela in festo Purificationis.* 4) Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et cum suis clericis recitat Antiphonas: *Pueri Hebraeorum* etc. 5) Deinde, facta inclinatione cruci, vertit se ad populum, et[1]) distribuit palmas, primo presbyteris, si adsint, deinde clericis, genuflexis in suppedaneo, et dignioribus prope cornu Epistolae; qui omnes osculantur prius ramum, deinde manum celebrantis. 6) Celebrans descendit ab altari, et facta reverentia, accedit ad cancellos altaris versus cornu Epistolae. 7) Ibi offerente palmas a sinistris primo clerico, celebrans incipit easdem distribuere populo, primo viris, deinde feminis. 8) Completa distributione celebrans lavat manus in plano Epistolae, clericis ministrantibus. 9) Accedit per viam longiorem ad altare, et in cornu Epistolae dicit: *Dominus vobiscum* et ultimam Orationem. 10) Interim primus clericus apponit et firmat vitta violacea unam ex palmis in

---

[1]) Detecto capite: v. pag. 506 not. 1.

summitate crucis processionalis. 11) Completa Oratione, primus clericus porrigit celebranti et aliis duobus clericis palmas et exemplaria Memoralis pro recitandis in processione.

Art. 4. De processione. 1) Celebrans, tenens palmam in manibus, vertit se ad populum, et dicit in medio altaris: *Procedamus in pace;* et clerici respondent: *In nomine Christi. Amen,* et celebrans inchoat: *Cum appropinquaret* etc. (p. 458). 2) Dirigitur processio: praecedit primus clericus cum cruce, sequitur celebrans medius inter duos clericos, recitans alternatim cum eis alta voce Antiphonas (quae supra pag. 458—460 habentur) ad versus aptatas. 3) Proceditur per latus dexterum celebrantis extra portam principalem recitando Antiphonam *Cum appropinquaret* (pag. 458). 4) In reversione processionis primus clericus cum cruce sistit ante portam principalem, facie ad eamdem versa. 5) Secundus et tertius clericus intrant ecclesiam et clauso ostio, stantes versa facie ad processionem, dicunt *Gloria, laus* etc. (pag. 460). 6) Celebrans extra ecclesiam, facie ad portam versa, repetit tecto capite: *Gloria, laus* etc.; clerici: *Israel es tu rex* etc. (pag. 460). 7) Versibus completis, primus clericus calce hastilis crucis percutit imam partem ipsius portae, ita ut fragor audiatur; et duo clerici, qui sunt intra ecclesiam, portam aperiunt, et sistunt se hinc inde ad ianuam. 8) Primus clericus cum cruce ingreditur ecclesiam, et celebrans subsequendo incipit Responsorium: *Ingrediente Domino* etc. (pag. 460). 9) Secundus et tertius clericus exipiunt celebrantem, et ponentes illum in medio prosequuntur cum eo Responsorium: *Ingrediente Domino* etc. 10) Terminatur processio et Responsorium ante altare maius. 11) Primus clericus deponit crucem, et deinde recipit palmas a celebrante et clericis. 12) Celebrans

in plano Epistolae, ubi alias sedetur in Missa, deponit pluviale, et accipit manipulum et planetam, et sedet aliquantulum. 13) Primus clericus portat calicem ad altare et expanso corporali in medio eius illum collocat et aptat. 14) Celebrans procedit ad Missam celebrandam, in qua clerici poterunt tenere palmam in manibus, dum legitur Passio [1]), et in fine Missae legitur Evangelium S. Joannis: *In principio* etc. [2]) 15) Dum celebrans legit Antiphonam *Communio,* primus clericus amovet calicem ab altari, et portat ad credentiam. 16) Completa Missa, celebrans redit manibus iunctis in sacristiam, clericis praecedentibus. 17) Ibi deponit sacra paramenta, et gratias agit. 18) Clerici ex altari et credentia resumunt omnia, et suis locis recondunt, et modeste recedunt.

4. De iis, quae observanda sunt feria V. in Coena Domini.

Art. 1. De praeparandis pro functionibus hodie persolvendis. *a. in altari*: 1) Altare solemniter ornatum et cum pallio albi coloris. 2) Crux inter candelabra tecta velo albi [3]) coloris. 3) Mis-

---

1) In Missis privatis Passio legitur in cornu Evangelii: *(D. auth. n. 1275 ad I)*; etiam in ecclesiis, in quibus ob sacerdotum defectum celebrans cogitur decantare partem Passionis, illam decantare debet in cornu Evangelii: *(D. auth. n. 2740 ad 2).*

2) Si per se expleverit benedictionem palmarum immediate ante Mtssam; alioqui dicit Evangelium benedictionis palmarum: *(D. auth. n. 2693 ad 3).*

3) Albi coloris debet esse velum crucis altaris in quo Missa celebratur; violacei vero crucis processionalis: *(D. auth. n. 2425 ad 4).* — Imago S. Josephi nec debet nec potest detegi, quando eius festum occurrit in hebdomada Passionis: *(D. auth. n. 3396).*

sale super pulvino albo, sive legili in cornu Epistolae.

b. In abaco seu credentia. 1) Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi, et duabus hostiis. 2) Alius calix cum palla, patena, velo albo et ligula serica albi coloris. 3) Pyxis cum particulis consecrandis ad Communionem populi et infirmorum. 4) Pelvicula cum urceolis vini et aquae, et manutergio. 5) Schedulae tradendae communicatis. 5) Crux processionalis cooperta velo violaceo. 7) Thuribulum cum navicula. 8) Velum humerale albi coloris. 9) Mappa oblonga extendenda super cancellos in Communione populi. 10) Baldachinum hastatum vel umbella pro processione extra cancellos. 11) Crotalum pro signo Salutationis Angelicae.

c. In sacristia. 1) Tria superpellicea pro clericis. 2) Amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et planeta albi coloris. 3) Pluviale album. 4) Stola violacea. 5) Foculus cum igne et forcipe. 6) Funalia sive candelae pro processione.

d. In sacello[1]) *parato pro repositione SS. Sacramenti.* 1) Locus ipse ab altari maiori distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et

---

[1]) De his sacellis, quae vulgo dicuntur *sacra sepulchra*, acris controversia exorta est. Demum d. 15 Dec. 1896 S. R. C. approbante Leone XIII. (D. auth. n. 3939) ita decrevit: I. Altare, in quo Fer. V et VI maioris hebdomadae SS. Eucharistiae Paramentum publicae adorationi exponitur et asservatur, *repraesentare utrumque*, scil. et sepulturam Dni. et institutionem augustissimi Sacramenti.

II. Ad exornandum praedictum altare, per se quidem non esse adhibendas statuas aut picturas B. Virginis, S. Joannis Ev., S. M. Magdalenae, militum custodum vel huiusmodi; posse tamen Episcopos hanc consuetudinem, ubi ab antiquo vigeat, tolerare; caveant autem, ne novae consuetudines hac in re introducantur.

lumnibus ac floribus ornatus, sine reliquiis, aut imaginibus Sanctorum. 2) Supra altare ibidem [1]) erectum capsula elegans clave firmata, pro calice servando. 3) Corporale stratum intra capsulam. 4) Aliud corporale super altare. 5) Scabellum gradatum pro repositione calicis in capsula.

Art. 2. De Missa[2]) usque ad processionem. 1) Sonus harmonicus campanarum pro convocatione populi. 2) Clerici induti superpelliceis disponunt omnia suis locis, ut supra. 3) Rector interim excipit confessiones suorum parochianorum. 4) Hora congrua rector ecclesiae celebraturus induit se paramentis missalibus albi coloris. 5) Primus clericus accendit candelas in altari maiori, et aptat calicem in medio eius, et retro illum pyxidem cum particulis. 6) Celebrans praecendente primo clerico, et post eum secundo cum tertio, manibus iunctis, procedit tecto capite ad altare pro Missa. 7) Incipit Missam, omisso in confessione Psalmo *Judica*

---

1) Non licet in hoc altari apponere velum album, quod e magna cruce descendens cooperiat Eucharistiam: *(De auth. n. 2734 ad 1).*

2) Non licet celebrare Missam feria V in coena Domini, nec idem SS. Sacramentum asservare in sepulchro in iis ecclesiis, quae non gaudent iure SS. Sacramentum *continuo* asservandi: *(D. auth. n. 1120).* Arbitrio Episcopi posse in ecclesiis unam Missam privatam celebrari, habes supra ex decretis d. d. 31. Iulii 1821 et 9. Dec. 1899 *(D. auth. nn. 2626 et 4049).* — Spectat etiam ad Episcopum, permittere unam Missam in capellis et oratoriis publicis, in quibus reponitur SS. Sacramentum cum pompa et populi concursu. De Missa lecta in Coena D. in ecclesiis ruralibus, vide supra p. 501 sq. cum nota; si de ecclesiis regularium agitur, Superior, ut suos alumnos pro adimplemento paschalis praecepti possit communicare, celebrare debet vel in oratorio privato, vel clausis ianuis in ecclesia: cf. ibid. p. 502

me, Deus etc. et *Gloria Patri.* 8) Ad *Gloria in excelsis* pulsantur campanae, quae deinde silent usque ad Sabbatum sanctum.[1]) 9) Ultra hostiam consuetam consecratur et alia, et particulae pro Communione fidelium et pro infirmis. 10) Dicitur, ut alias, *Agnus Dei,* licet in Missa solemni non sit danda pax. 11) Cum celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus clericus portat ex abaco ad altare calicem vacuum cum palla, patena et velo albi coloris. 12) Celebrans sumpto Sanguine, et cooperto calice, ex quo sumpsit, alterum calicem ponit in medio corporalis, et detegit. 13) Genuflectit, et alteram hostiam consecratam reponit in calice, cooperit palla et patena inversa, et velum desuper expandit, et genuflectit. 14) Accipit pyxidem, et ponit eam ante calicem velatum; discooperit et facta genuflexione retrahit se in cornu Evangelii versa facie ad cornu Epistolae. 15) Clericus genuflexus in cornu Epistolae, omnibus similiter de clero et populo genuflectentibus, dicit: *Confiteor Deo* etc., et celebrans subiungit: *Misereatur* etc. et *Indulgentiam* etc., ut alias. 16) Celebrans accedens ad medium genuflectit, et accepta pyxide, vertit se ad communicandos, et dicit de more ter: *Ecce Agnus Dei* etc. 17) Fit Communio clericorum[2]) apud altare, deinde virorum et mulierum ad cancellos, expansa mappa ante pectus eorundem. 18) Peracta Communione celebrans ad altare cooperit pyxidem, et eam servat in tabernaculo. 19) Deinde dicto: *Quod ore* etc. se purificat, et

---

1) Cfr. *Bened. XIV.* Institutio 20. — Non licet regularibus pulsare campanas hodie post silentium illarum in ecclesia parochiali, nec die Sabbati ante earum pulsationem: *(D. auth. n. 1440 ad 6).*

2) Ad Apostolorum immitationem. Cfr. *Bened. XIV.* Institut. 38.

facta genuflexione, abluit digitos super calicem et super altare de more; et reaccedens ad medium, genuflectit et sumit ablutionem digitorum. 20) Calix Missae defertur ad credentiam; accenduntur cerei in sacello sepulchri; disponitur baldachinum sive umbella, et distribuuntur cerei pro sodalibus, si adsint, vel cultioribus de populo. 21) Celebrans prosequitur Missam, in qua haec observabit: Exterso calice genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, et legit *Communionem;* venit in medium, genuflectit, osculatur altare, et retrahens se a latere Evangelii dicit: *Dominus vobiscum.* Redit in medium, genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, ubi legit *Postcommunionem.* Iterum vadit in medium, genuflectit, osculatur altare, vertit se, ut prius, dicit: *Dominus vobiscum,* et *Ite Missa est.* Vertit se ad medium, genuflectit, dicit: *Placeat* etc., osculatur altare dicit *Benedicat vos* etc., et genuflectit. Vertit se in cornu Evangelii, dat benedictionem, et non perficiens circulum, convertit se ad latus Evangelii, non rediens in medium. Dicit Evangelium S. Joannis, ad quod signat librum, vel tabellam, non autem altare. Ad verba *Verbum caro factum est* etc., genuflectit versus Sacramentum. 22) Celebrans completa Missa, accedit ad medium, genuflectit, et per breviorem viam descendit ad planum Epistolae. 23) Ibi per manus clericorum deponit planetam et manipulum, et accipit pluviale albi coloris.

Art. 3. De processione SS. Sacramenti ad sacellum. 1) Celebrans accedit ante altare et facta genuflexione in plano, orabit genuflexus in inferiori gradu. 2) Primus clericus accipit thuribulum cum igne, et naviculam cum thure, et accedit ad celebrantem. 3) Celebrans surgens imponit thus in thuribulo sine benedictione, ministrante naviculam secundo ex clericis sine osculis. 4) Ce-

lebrans ascendit gradus altaris, et genuflexus in suppedaneo incensat SS. Sacramentum in calice. 5) Deinde accipit velum humerale, et surgens accedit ad mensam altaris, genuflectit, surgit, et ad cautelam firmat velum calicis ligula serica albi coloris. 6) Accipit calicem sinistra per nodum, submittens eam velo, et dexteram ponit supra calicem, supra quam secundus clericus extendit extremitates ambas veli humeralis. 7) Celebrans cum calice vertit renes altari, et incipit Hymnum *Pange lingua* etc. 8) Proceditur ordine sequenti ad sacellum sepulchri: Vexillum consuetum in delatione SS. Viatici, sodales, vel pii viri cum luminibus, crux processionalis delata a tertio clerico, primus clericus cum thuribulo fumigante, celebrans sub baldachino, vel sub umbella, et a sinistris eius secundus clericus elevans vestis anterioris eius extremitates, dum descendit gradus vel ascendit, recitantes Hymnum *Pange lingua* etc. 9) Ad sacellum omnes se disponunt per duas partes, ita ut thuriferarius et celebrans sub baldachino possint transire per medium illorum. 10) Deferentes labarum et crucem sistunt e regione sacelli. 11) Celebrans ascendit altare sacelli, et deponit calicem supra altare, genuflectit, descendit primum gradum, et genuflexus in suppedaneo deponit velum humerale. 12) Interim deferentes baldachinum asportant illud ad locum congruum. 13) Celebrans surgens imponit iterum incensum in thuribulo sine benedictione et sine osculis, et genuflexus super suppedaneo Sacramentum incensat, et clerici recitabunt versum *Tantum ergo Sacramentum* etc. 14) Deposito thuribulo celebrans surgit, ascendit ad altare, genuflectit, et accipiens calicem, illum recondit in capsula, admoto per secundum clericum scabello gradato, si opus erit. 15) Iterum genuflectit, et postea claudit capsulam,

genuflectit et descendit in planum sacelli. 16) Celebrans genuflectit in gradu infimo altaris, et post aliqualem orationem surgit, et facta genuflectione ambobus genibus in plano, praecedente cruce, medius inter clericos revertitur ad altare tecto capite.

Art. 4. De pyxidis asportatione. 1) Cum omnes pervenerunt ad altare, crux deponitur loco suo, et secundus et tertius clericus accipiunt cereos accensos. 2) Celebrans, facta genuflexione, ascendit ad altare, extrahit ex tabernaculo pyxidem cum particulis, collocat eam super corporale et genuflectit. 3) Descendens genuflectit in suppedaneo, et accipit a prima clerico velum pro humeris. 4) Ascendit ad altare, genuflectit, et manibus velatis accipit pyxidem, et praecedentibus clericis cum cereis accensis, portat pyxidem ad altare sepulchri, et collocat super corporale, et postea genuflectit. 5) Deinde descendens, genuflectit in suppedaneo, ubi per manus clerici deponit velum; iterum ascendit, et genuflectit; aperit capsulam, et recondit in ea pyxidem retro calicem. 6) Genuflectit, et claudit [1]) capsulam, et facta oratione in infimo gradu, genuflectit in plano, et revertitur tecto capite in sacristiam. 7) Ibi deponit pluviale et stolam albi coloris, et sumit stolam violaceam tantum, aptatam in modum crucis.

---

1) ,,SS. Sacramentum feria V in Coena Domini sub unica tantum clavi asservari debere, retinenda per sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas et saeculares, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit, et decretum afficere omnes ecclesias, tam saeculares quam regulares quovis modo a iurisdictione Ordinarii exemptas'', declaravit *S. R. C. (D. auth. n. 576 et n. 2904).*

Art. 5. De altarium denudatione. 1) Celebrans paratus, ut supra, associatus a clericis, manibus iunctis accedit ad altare. 2) In plano stans, inchoat alta voce Antiphonam *Diviserunt sibi,* quam presequitur cum Psalmo *Deus, Deus meus, respice in me* etc. *(ex feriali officio ad Primam, feria VI)* recitans illum cum clericis. 3) Interim celebrans ascendit altare, quod denudat amovendo tobaleam superiorem, et alias. 4) Clerici recipiunt tobaleas, et amovent ab altari vasa florum, pallium, tapete etc., adeo ut in altari non remaneant, nisi crux, et candelabra cum candelis exstinctis. 5) Celebrans, denudato altari maiori, procedit ad denudationem reliquorum altarium, si plura adsint. 6) Denudatis altaribus, celebrans redit ante altare maius, ubi post ultimum versum Psalmi, repetita Antiphona, genuflectit ad signum meridianum Salutationis Angelicae. 7) Clericus cum crotalo dat signum Salutationis Angelicae, ad quod omnes genuflectunt. 8) Surgit deinde celebrans, et facta sola reverentia cruci, quia paratus, clericis genuflectentibus, revertitur in sacristiam. 9) Ibi paramenta deponit et gratiis de more peractis, iubet, ut omnia suis locis reponantur. 10) Primus clericus amovebit a cruce altaris maioris vestem coloris albi, remanente consueta veste violacea. 11) Curabit parochus, ut assidue adsint, qui orent ante SS. Sacramentum in sacello sepulchri utque decens numerus cereorum in eo colluceat. [1])

---

[1]) In hoc ,,ultimo maioris hebdomadae triduo removenda est a vasis ecclesiae aqua benedicta, et consuetudo illam amovendi retinenda est" : *(D. auth. n. 2682 ad 54).*

5. De iis, quae observanda sunt feria VI in Parasceve.[1])

Art. 1. De praeparandis pro Officio huius feriae. *a. In altari maiori.* 1) Altare ipsum undequaque nudum, cum sex candelabris habentibus cereos exstinctos cerae communis. 2) Crux lignea in eodem, cooperta velo, quod facile solvi, et removeri possit. 3) Pulvinar violaceum in secundo gradu eiusdem altaris.

b. In abaco seu credentia altaris maioris. 1) Mantile lineum, planitiem abaci non excedens. 2) Mappa unica plicata pro altari ad mensuram mensae. 3) Legile cum Missali. 4) Bursa nigri coloris cum corporali, palla et purificatorio. 5) Thuribulum et navicula cum thure. 6) Velum nigrum pro calice in fine Officii. 7) Pelvicula cum ampullis vini et aquae, et manutergio. 8) Lanx argentea pro oblationibus.

c. Prope abacum. 1) Tapete, pulvinar violaceum, et velum album, serico violaceo contextum. 2) Crux processionalis.

d. In sacello sepulchri. 1) Corporale stratum super altare. 2) Velum humerale album. 3) Baldachinum, sive umbella albi coloris. 4) Intortitia, et cerei pro processione.

e. In sacristia. 1) Tria superpellicea pro clericis. 2) Amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et planeta nigri coloris. 3) Foculus cum igne et forcipe.

Art. 2. De principio Officii usque ad denudationem crucis. 1) Hora competenti datur

---

[1]) Licet feria VI in Parasceve et Sabbato sancto ante Missam audire confessiones fidelium, et contraria consuetudo, quae id reprobat, est omnino reprobanda *(D. auth. n. 3383)*.

signum cum crotalo, et celebrans et clerici accipiunt superpellicea in sacristia, et disponuntur omnia, ut supra. 2) Celebrans, lotis manibus, accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam et planetam nigri coloris. 3) Praecedentibus clericis, manibus iunctis accedit ad altare maius tecto capite. 4) Detecto capite genuflectit[1]) in plano altaris, et procumbit super pulvino posito in secundo gradu, et orat spatio unius *Miserere.* 5) Primus clericus accepta mappa illam extendit per longum super mensa altaris, adiuvante secundo clerico, non explicando eam per latitudinem; ita ut duplicatio sit versus medium altaris, et partes explicandae versus frontem eiusdem altaris. 6) Tertius clericus collocat legile cum Missali in cornu Epistolae. 7) Celebrans surgit a procubitu, et amoto per clericum pulvinari, ascendit altare, et osculatur illud in medio. 8) Accedens ad cornu Epistolae legit primam Lectionem cum Tractu. 9) Deinde dicit: *Oremus,* et genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua;* et secundus clericus primo surgens dicit: *Levate;* et celebrans subiungit Orationem: *Deus, a quo* etc. 10) Deinde legit secundam Lectionem et Tractum ac successive Passionem. 11) Dicto ibidem: *Munda cor meum* prosequitur partem, quae si cantatur profertur in tono Evangelii. 12) In fine non osculatur librum, sed immediate (nisi sit

---

[1]) Cruci altaris genuflectendum est ab initio adorationis feria VI in Parasceve usque ad Nonam sabbati sancti *(S. R. C. 9. Maii 1857 n. 3049 ad V).* Sacerdos paratus feria VI in Parasceve, antequam crux detegetur, non debet in accessu ad altare genuflectere, sed facere profundam reverentiam. At ipse omnesque alii, etiam ii, qui ceteroquin cruci faciunt tantum profundam inclinationem, post crucis adorationem debent hoc die genuflectere *(S. R. C. 12. Sept. 1857 n. 3059 ad IV).*

habendus sermo de Passione) incipit in eodem cornu Epistolae Monitiones et Orationes [1]) ut in Missali. 13) Ante singulas Orationes, octava excepta, celebrans genuflectens, prout faciunt et ceteri, dicit: *Flectamus genua;* et secundus clericus, surgens ante omnes, dicit: *Levate.* 14) Circa finem Orationum primus clericus, adiuvante tertio, extendit ante gradus altaris vel presbyterii tapete, et super primos eius gradus pulvinar violaceum et velum album sercio violaceo contextum expandunt per longum.

Art. 3. De crucis denudatione et adoratione. 1) Completis Orationibus, celebrans stans in eodem cornu Epistolae deponit planetam tantum. 2) Deinde genuflectit in medio altaris, et accipit crucem, et primus clericus accipit Missale. 3) Celebrans accedit ad angulum posteriorem cornu Epistolae, facie versa ad populum, et clericus sustinebit Missale ante illum. 4) Celebrans manu dextera detegit summitatem crucis usque ad transversum illius exclusive, et crucem ambabus manibus aliquantulum elevans, gravi voce legit: *Ecce lignum crucis;* et clerici eadem voce prosequuntur: *In quo salus mundi pependit;* et genuflectentibus omnibus, praeter celebrantem, clerici subiungunt: *Venite adoremus;* et deinde surgunt. 5) Celebrans in anteriore parte cornu Epistolae discooperiens brachium dexterum crucis, [2]) et magis elevans cru-

---

1) „Orationes pro Romanorum Imperatore tam in Missa Praesanctificatorum feriae VI in Parasceve, quam in fine Praeconii paschalis Sabbato sancto, ob sublatum Romanorum imperium non amplius recitantur: excudantur tamen ut antea in novis Missalibus.“ Decr. iussu Pii IX in initio Missalis imprimendum *(D. auth. n. 3103 ad III).*

2) Non *caput crucifixi,* ut in aliquibus Missalibus *erronec* habetur *(D. auth. n. 2326 ad 4).*

cem et vocem, secundo dicit: *Ecce lignum crucis.* 6) Clerici prosequuntur: *In quo salus mundi pependit;* et successive: *Venite adoremus;* et genuflectunt omnes ut prius. 7) Celebrans tandem in medio altaris totam discooperiens crucem, ac altius manum et vocem elevans, dicit tertio: *Ecce lignum crucis.* 8) Clerici tertio prosequuntnr, respondent, et genuflectunt, ut supra. 9) Tertius clericus ponit lancem a latere sinistro pulvinaris, et primus reponit Missale super legile, et discooperitur crux processionalis, et aliae omnes per ecclesiam. 10) Celebrans descendens per latus Evangelii portat devote crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum. 11) Ibi genuflexus collocat crucem super velum pulvino superpositum, et firmat eum cordulis. 12) Surgit, et facta genuflexione, vadit ad planum in cornu Epistolae; ibique sedens in scabello, deponit calceamenta, clericis adiuvantibus. [1]) 13) Celebrans excalceatus procedit ad adorationem crucis, quam primo, secundo, et tertio cum debita distantia adorat; offert pecuniam et osculatur crucem. 14) Surgit, et facta genuflexione cruci, redit ad scabellum in plano Epistolae, et calceamenta resumit. 15) Clerici deponunt et ipsi calceamenta, et post celebrantem, ante omnes alios de populo, adorabunt crucem eodem modo, quo celebrans et reversi ad sua loca, calceamenta resumunt. 16) Post clericos adorabunt sodales cum saccis, si adsint, deinde viri, ultimo mulieres, omnes bini, devote ac graviter. 17) Interim primus clericus assistit adorantibus et se-

---

1) **Pro ecclesiis maioribua:** Celebrans et ministri in adoratione crucis deponere debent manipulum. Ad *Quaesitum* ,,An etiam diaconus et subdiaconus debeant deponere calceamenta·', *resp.:* ,,Servetur consuetudo'' *(D. auth. n. 2769 ad X 5).*

cundus et tertius clericus accedunt ad celebrantem, et alta et clara voce recitant cum eo Improperia. 18) Circa finem adorationis primus clericus accendit cereos altaris, et tertius amovet legile cum Missali ab altari. 19) Deinde secundus et tertius clericus accedunt per planum ad altare; alter ad Evangelii, alter ad Epistolae cornu, et explicant tobaleam altaris. 20) Successive secundus clericus portat ad altare bursam cum corporali, et super eam purificatorium; extrahit, et explicat corporale, et prope illud in parte Epistolae extendit purificatorium. 21) Tertius clericus collocat Missale cum legili super altare in cornu Evangelii, apertum et inversum, ut in Missa. 22) Completa adoratione, celebrans reportabit crucem ad altare cum debitis genuflexionibus. 23) Clerici amovent tapete, pulvinar, velum, et lancem, et apponitur ignis in thuribulo. 24) Celebrans apud scabellum in plano Epistolae resumit planetam, et aperto capite accedit ante altare.

Art. 4. De processione [1]) ad sacellum, et regressu ad altare cum SS. Sacramento. [2]) 1) Celebrans ante altare imponit sine benedictione, et sine osculis, incensum in thuribulo. 2) Dirigitur processio ad sacellum, ubi asservatur SS. Sacramentum, hoc ordine: Vexillum Viatici, sodales sive pii viri, thuriferarius, crux processionalis de-

---

[1]) Non potest fieri extra ecclesiam. *(S. C. Ep. et Reg. 4. Aug. 1592.)*

[2]) Parochus, aegrotans in die Coenae Domini, qui ideo non potuit celebrare Missam et consecrare Hostiam pro Missa dicta Praesanctificatorum, non potest pro hac functione uti Hostia alia die praeconsecrata, si melius se habens functionem in Parasceve facere possit *(De auth. n. 3219).* Ille parochus supponitur solus existere in loco. Praecedentes functiones illius diei potest peragere.

nudata, et delata a tertio clerico, celebrans cum planeta, habens ante ipsum a sinistris secundum clericum. 3) Ad sacellum: labarum et crux e regione altaris, procedentes hinc inde in duas lineas, et iuniores prope labarum, seniores propinquiores erunt altari. 4) Celebrans, facta genuflexione in plano capellae, genuflectit in primo gradu altaris, et orat parumper cum omnibus. 5) Surgit, aperit capsulam, genuflectit, descendit primum gradum, et stans imponit incensum in thuribulo sine benedictione et sine osculis: accenduntur cerei pro processione, et disponitur baldachinum, sive umbella. 6) Celebrans genuflexus in suppedaneo incensat Sacramentum in capsula; surgit, et facta genuflexione, extrahit e capsula calicem, et ponit super altare. 7) Genuflectit, claudit capsulam, in qua remanet pyxis cum particulis; iterum genuflectit, et descendit primum gradum. 8) Genuflexus in suppedaneo accipit velum humerale, surgit, et facta genuflexione, stans accipit, ut heri, calicem, et secundus clericus velo cooperit. 9) Celebrans vertit renes altari, et facie ad processionem versa, inchoat alta voce Hymnum *Vexilla regis prodeunt* etc., quem cum secundo clerico prosequitur.[1] 10) Revertitur processio ad altare, ordine sequenti: Vexillum Viatici, sodales sive pii viri cum cereis accensis, crux processionalis, thuriferarius continuo thuribulum agitans, celebrans sub baldachino habens secundum clericum ante se a sinistris. 11) In sacello remanent quatuor candelae accensae. 12) Vexillum reponitur extra cancellos, crux processionalis prope credentiam. 13) Sodales et pii viri remanent extra cancellos, ibique dispositi, cereos usque ad Officii finem in manibus tenebunt. 14) Baldachinum sive umbella deponitur ante

[1]) Ut in Breviario ad Vesperas Dominicae Passionis.

cancellos, et loco congruo collocatur. 15) Celebrans ascendit altare, et calicem ponit super corporale; deinde genuflectit, surgit, et descendit primum gradum altaris. 16) Deponit velum, et stans imponit incensum in thuribulo sine benedictione et sine osculis; deinde genuflexus in suppedaneo Sacramentum incensat.

Art. 5. De reliquo Officio et ritu huius feriae. 1) Celebrans surgens accedit ad altare, et genuflectit; deinde solvit et amovet velum a calice, et ponit patenam super corporale. 2) Accepto calice, deponit ex eo sacram hostiam super patenam; deinde ambabus manibus patenam ipsam accipiens, collocat hostiam super corporale, nihil dicens, neque signans; et patenam ponit ubi alias, sed super corporale, non subtus. 3) Celebrans, facta genuflexione, accipit calicem, et accedit versus cornu Epistolae et calicem sinistra tenens ponit in eo vinum et aquam sine benedictione, nihil dicens. 4) Calix non abstergitur, sed ponitur in latere corporalis. 5) Celebrans accedit in medium, et facta genuflexione, reponit calicem in loco solito sine signo crucis, et cooperit palla. 6) Ibidem stans imponit incensum in thuribulo, absque benedictione et osculis. 7) Celebrans, accepto thuribulo, genuflectit, et incensat oblata, dicens de more: *Incensum istud* etc. 8) Incensatis oblatis, iterum genuflectit et incensabit [non iterum SS. Sacramentum, sed] crucem dicens: *Dirigatur Domine* etc., et repetita genuflexione cruci, prosequitur more solito incensationem altaris, semper genuflectens, quoties transit per medium *(D. auth. n. 2003)*. 9) Incensato altari, dat thuribulum in manu thuriferarii, dicens *Accendat in nobis* etc.; et ipse non incensatur. 10) Celebrans immediate (advertens, ne terga vertat Sacramento) descendit e snppedaneo

in secundo gradu, at aliquantulum extra altare in cornu Epistolae, versa facie ad populum, lavat manus, nihil dicens. 11) Redit ad medium altaris, genuflectit, surgit, et iunctis manibus super altari, mediocriter inclinatus, dicit submissa, sed intelligibili voce: *In spiritu humilitatis* etc. 12) Celebrans osculatur altare, genuflectit, et ad populum versus in cornu Evangelii dicit: *Orate, fratres*, et redit per eamdem viam, non perficiens circulum, et iterum genuflectit. 13) Non respondetur: *Suscipiat.* 14) Celebrans iunctis manibus ante pectus in tono feriali dicit: *Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. et dum dicit: *Pater noster* etc., extendit manus. 15) Clerici respondent: *Sed libera nos a malo,* et celebrans: *Amen* sub silentio; et adhuc tenens manus extensas, subiungit in priori tono feriali: *Libera nos* etc. et clerici in fine respondent: *Amen.* 16) Celebians genuflectit, surgit, discooperit calicem, supponit patenam hostiae, et tenens manu sinistra patenam super altare, elevat dextera hostiam, ut ab omnibus videri possit. 17) Celebrans declinat hostiam immediate super calicem iam discoopertum, et statim dividit eam in tres partes, more solito, nihil dicens, quarum ultimam immittit in calicem, pariter nihil dicens nec signans. 18) Cooperto calice, genuflectit, et postmodum surgens, manibus iunctis super altari, et inclinatus, dicit secreto: *Perceptio Corporis* etc., omissis duabus aliis Orationibus. 19) Celebrans iterum genuflectit; deinde accepta patena cum hostia, ut alias dicit: *Panem coelestem* etc. *Domine, non sum dignus* etc. more solito ter percutiens pectus. 20) Hostia se signat, dicendo: *Corpus Domini nostri* etc., et se communicat. 21) Facta brevi meditatione, discooperit calicem, et genuflectit. 22) Surgit, et collectis de more fragmentis, accipit ambabus manibus calicem, nihil dicens, nec

se signans; et sumit reverenter ex eo particulam hostiae cum vino. 23) Celebrans omissa consueta calicis purificatione, more solito abluit digitos super calicem cum vino et aqua. 24) Surgunt interim omnes, et cerei exstinguuntur. 25) Celebrans, sumpta in medio ablutione, calicem tergit, velo parvo nigro cooperit, atque componit; et inclinatus, manibus iunctis ante pectus, dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* etc. 26) Primus clericus calicem defert ad credentiam. 27) Celebrans descendens in planum altaris, et facta cum clericis genuflexione cruci, cooperto capite, revertitur in sacristiam. 28) Ibi deponit paramenta missalia, et super cottam accipit stolam albi coloris.

Art. 6. De pyxidis repositione. 1) Celebrans praecedente primo clerico cum velo, et duobus aliis cum cereis, vadit ad sacellum, ubi pyxis remansit. 2) Facta genuflexione in plano, genuflectit in primo gradu inferiori, et orat parumper. 3) Surgit, ascendit altare, aperit capsulam, genuflectit, accipit pyxidem et eam collocat super corporale, et iterum genuflectit. 4) Descendens primum gradum genuflectit in suppedaneo, et accipit a primo clerico velum pro humeris. 5) Ascendit altare, genuflectit, et manibus velatis accipit pyxidem, et praecedentibus clericis cum cereis accensis, reportat pyxidem, servandam in tabernaculo posito super altare alicuius remotioris capellae in ecclesia, vel (quod congruentius) in sacristia. 6) Debitis genuflexionibus pyxidem servat; et ante eam lampas continuo ardeat. 7) Reposita pyxide, omnes genuflectunt, et datur signum meridianum Salutationis Angelicae cum crotalo. 8) Tandem exstinguuntur cerei altaris, et omnia suis locis reportantur. 9) Si autem non adsit sacristia, vel capella remotior, ut supra, tunc pyxis

remaneat in loco, ubi calix repositus erat, et lampas ardens iugiter adsit. [1])

6. De iis, quae observanda sunt Sabbato sancto.[2])

Art. 1. De praeparandis iis, quae ad functiones huius diei necessaria sunt. *a. Extra portam principalem.* 1) Mensa cum mantili albo, et super eam: 2) Legile parvum cum Missali. 3) Patera argentea cum quinque globulis incensi. 4) Thuribulum et navicula cum thure. 5) Vas aquae benedictae cum aspersorio. 6) Manipulus, stola et dalmatica albi coloris. 7) Lanterna cum candela. 8) Item, prope mensam, tripes cum foculo, in quo carbones accendendi pro novo igne. 9) Forcipes ferreae. 10) Arundo ornata cum tribus candelis in summitate.

b. In altari maiori. 1) Altare cum cruce, et candelabris festivis. 2) Duplex in eo pallium, album subtus, et violaceum desuper. 3) Pes ligneus, vel basis marmorea in latere Evangelii pro firmanda arundine. 4) Legile pro Praeconio. 5) Cereus benedicendus, aptatus in candelabro magno a latere Evangelii, cum ellychnio concinnato ad prompte flammam recipiendam, cum quinque foraminibus in modum crucis. 6) Lampades compositae.

c. In abaco altaris maioris. 1) Mensa mantili albo cooperta. 2) Missale pro Praeconio et Missa.

---

[1]) Interrogata „an reprobanda ac proinde eliminanda sit consuetudo, feria VI in Parasceve de sero in ecclesia et ad proprium altare cum luminaribus iterum collocandi SS. Eucharistiae Sacramentum? S. R. C. respondit: „*Abusum esse eliminandum*“ *(D. auth. n. 2740 ad 4).*

[2]) Cfr. *Bened. XIV*, Institutio 99. — Ecclesia parochialis adigitur ad functiones sabbati sancti, idque ex parvo Caeremoniali Bened. XIII, si clerus non sufficit *(D. auth. n. 2970 ad 5);* cf. etiam supra pag. 501 not.

3) Calix cum ornamentis coloris albi. 4) Pelvicula cum urceolis vini et aquae, et manutergio.

d. In sacristia. 1) Quatuor superpellicea pro clericis, amictus, alba, cingulum, stola, et pluviale coloris violacei; manipulus, stola et planeta violacea. 2) Manipulus, stola, et planeta coloris albi. 3) Velum pro humeris albi coloris. 4) Cerei pro asportatione pyxidis.

e. In baptisterio, si adsit. 1) Mensa cooperta albo mantili pro abaco. 2) Manutergia duo. 3) Vas pro aqua benedicta, et aspersorium. 4) Vasa ad extrahendam aquam e fonte. 5) Ampullae oleorum chrismatis et catechumenorum. 6) Vasa ad lavandas manus cum mica panis. 7) Bombacium ad manus inunctas tergendas.

Art. 2. De principio Officii, usque ad benedictionem cerei. 1) Extra ecclesiam excutitur novus ignis e silice, et accenduntur carbones in foculo. 2) Hora competenti quatuor clerici accipiunt superpellicea in sacristia, et disponunt omnia suis locis. 3) Dato signo cum crotalo celebrans, lotis manibus, accipit supra cottam amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale coloris violacei. 4) Proceditur ad portam principalem hoc ordine: primus clericus manibus iunctis, tertius clericus cum cruce processionali, celebrans inter clericos secundum et quartum. 5) Extra portam clericus cum cruce sistit in limine portae, renes eidem vertens, facie crucifixi versa ad celebrantem. 6) Celebrans ante mensam collocatam inter ipsum et crucem. 7) Ibidem stans, et ex Missali super legile legens, benedicit ignem tribus Orationibus; deinde unica Oratione grana incensi. 8) Dum celebrans benedicit incensum, primus clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, et ponit in thuribulo. 9) Celebrans imponit cum benedictione et

osculis incensum in thuribulo, deinde aspergit ignem et grana, dicens Antiphonam *Asperges me* etc. et eadem thurificat. 10) Thuriferarius recepto thuribulo ponit alium novum ignem in eo. 11) Celebrans, deposito pluviali ac stola coloris violacei, accipit manipulum, stolam in humero sinistro more diaconorum, et dalmaticam albi coloris. 12) Interim secundus clericus accendit candelam de novo igne, et recondit in lanterna, et quartus accipit pateram cum granis incensi. 13) Celebrans iterum ponit incensum in thuribulo, cum benedictione et osculis, et postea accipit arundinem. 14) Proceditur ad benedictionem cerei ordine sequenti: clericus cum granis incensi a dexteris, et thuriferarius a sinistris; tertius clericus cum cruce; celebrans cum arundine, et secundus clericus cum lanterna a sinistris eius. 15) Clerici cum granis, thuribulo et cruce ingrediuntur ecclesiam, et sistunt quando celebrans ingressus fuerit ianuam ecclesiae. 16) Celebrans ingressus ecclesiam inclinat arundinem, et accensa ex lanterna una ex tribus candelis per secundum clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum clerico portante crucem. 17) Celebrans genuflexus, clara voce dicit: *Lumen Christi;*[1]) tum surgit, surgentibus omnibus, et clerici respondent: *Deo gratias.* 18) Proceditur usque ad medium ecclesiae, ubi secundo fiunt omnia, ut supra-

---

[1]) **Pro ecclesiis maioribus**: S. R. C. interrogata, utrum probari possit usus, quo in Sabbato sancto benedicatur novus ignis et incensum ab alio sacerdote, Missam non celebraturo; et deinde ab eodem diaconalibus vestibus induto deferatur arundo *Lumen Christi*, et cantetur Praeconium, etsi in subsequenti Officio et Missa ipsa celebranti non assistat? Respondit: *affirmative ad primam partem; negative ad secundam partem; quod approbavit Greg. XVI (D. auth. n. 2684 ad 8).*

accensa secunda candela, praeter modulationem vocis, quae alta esse debet. 19) Proceditur tandem ante gradus altaris, et accensa tertia candela, tertio fiunt ante dicta cum altiori voce.

Art. 3. De benedictione cerei. 1) Responso pro tertia vice, post *Lumen Christi,* a clericis *Deo gratias,* surgunt omnes, et formant rectam lineam cum celebrante in medio eorum ante altare. 2) Secundus clericus secedens deponit lanternam super credentiam, et accipit Missale pro Praeconio, et tradit illud celebranti, qui vicissim dat illi arundinem.[1] 3) Celebrans tenens Missale in manibus, genuflectit in infimo gradu altaris, et non praemisso: *Munda cor meum,* dicit tantum: *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem suum paschale Praeconium. Amen.* 4) Deinde surgens, ac facta cum omnibus genuflexione altari, accedit ad legile paratum in plano Evangelii pro Praeconio hoc ordine: Thuriferarius habens a dexteris quartum clerum cum granis incensi; tertius clericus cum cruce habens a sinistris secundum clericum cum arundine; celebrans cum Missali. 5) Cum pervenerint ad legile, supradicti sic apud illud se disponunt recta linea, et vertentes faciem sicut celebrans: Celebrans ponit Missale super legile, clericus cum cruce a dextris celebrantis, thuriferarius a dextris supradicti cum cruce, clericus cum arundine a sinistris, clericus cum granis a sinistris arundinis. 6) Celebrans accedente thuriferario incensat Missale apertum super legile, et incipit Praeconium *Exsultet* etc. clara et hilari

---

1) Arundo „Lumen Christi", expleta Sabbati sancti functione, post Missam removenda est ab ecclesia *(D. auth. n. 2873 ad 5).*

voce.[1]) 7) Ad verba: *Curvat imperia,* infigit grana incensi hoc ordine:

	1	
4	2	5
	3	

8) Quartus clericus deponit in credentia pateram, ubi erant grana incensi, et accipit virgam cum candelula superinflexa, et redit ad pristinum locum a sinistris clerici cum arundine. 9) Ad verba: *Rutilans ignis accendit,* celebrans ex arundine cereum accendit. 10) Ad verba: *Apis mater eduxit,* quiescit, donec quartus clericus ex cereo, per candelulam in virga, lampadem vel lampades accendat.[2]) 11) Finito Praeconio celebrans claudit Missale, secundus clericus firmat arundinem in sua basi a latere Evangelii, tertius deponit crucem in latere Epistolae. 12) Deinde, praecedentibus thuriferario, cum clerico de granis a sinistris, ac secundo et tertio clerico, facta genuflectione altari, revertitur in sacristiam. 13) Ibi depositis paramentis albis, accipit manipulum, stolam et planetam coloris violacei.

Art. 4. De prophetiis. 1) Celebrans paratus, ut supra, praecedentibus clericis, procedit ad altare.

---

1) **Pro ecclesiis maioribus**: Diaconus debet esse ille idem, qui in Missa et Officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem et ad cantandum tantummodo Praeconium *Exsultet. (Man. ecclesiastic. Rom. num. 33; D. auth. n. 2684 ad 8 et n. 2631 ad 2;* nihilominus Leo XII. *ibid. n. 2631* ecclesiae *Tiburtinae* indultum servandae contrariae consuetudinis concessit). Subdiaconus non induit tunicellam violacei coloris. Incepto *Exsultet,* celebrans stabit in cornu Epistolae manibus iunctis respiciens diaconum cantantem *(Caerem. Episc. lib. 2 cap. 28 n. 3).*

2) Oratio pro Romanorum imperatore omittitur: vide supra pag. 526 not. 1.

2) Facta reverentia cruci, ascendit ad altare, osculatur illud in medio, et accedit ad cornu Epistolae. Ibi alta voce legit duodecim Prophetias,[1] Orationes et Tractus, genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit: *Flectamus genua;* et clericus surgens respondet: *Levate.* 3) Completa ultima Oratione celebrans, facta ibidem reverentia cruci, descendit ad scabellum in plano Epistolae, et deponit planetam et manipulum. 4) *Si ecclesia habuerit fontem baptismalem, celebrans accipit pluviale violaceum, et sedet. Si autem fontem non habet, accedit sine casula ante altare pro Litaniis.* (Infra pag. 541.)

Art. 5. De benedictione fontis.[2]) 1) Sedente

---

1) **Pro ecclesiis maioribus**: Interrogata, an qui cantat Prophetias, possit vi consuetudinis eas relinquere, cum vix a celebrante earum lectio absoluta sit? S. R. C. respondit: *Negative (D. auth. n. 3104 ad VIII).*

2) Fontis benedictio non est de iuribus mere parochialibus, sed eam facere debent parochi *(D. auth. n. 2123 Urb. et Orb. ad 6)* per se vel per alium; estque peragenda *per celebrantem (D. auth. n. 2783 ad 1).* Benedictio aquae in Sabbato sancto non potest fieri in ecclesiis, quae non habent fontem baptismalem. Neque potest in ecclesia vel oratorio, in quo fons baptismalis non exstat, benedictio ordinaria aquae lustralis inter *Exsultet* et Missam peragi loco benedictionis solemnis tali die in Missali assignatae, sed quacumque alia hora illius diei privatim in sacrario *(D. auth. n. 3271).* Neque potest, ubi fons baptismalis non exsistit, aqua solemniter benedici Sabbato sancto et in vigilia Pentecostes in vase seu fonte portatili sine sanctorum oleorum commixtione *(D. auth. n. 3272).* Pro locis Missionum ut habeatur aqua baptismalis consecrata, provideri solet privilegio S. Sedis (cf. Append. ad Rituale Rom. de brevi forma *benedictionis fontis bapt.).*

Benedictionem fontis fieri debere tum in Sabbato sancto, tum in vigilia Pentecostes v. pag. 133 not. 1: Sabbato sancto

celebrante, ut supra, primus clericus amovet cereum[1]) accensum e candelabro, et accedit ante altare. 2) Tertius clericus accipit crucem, et similiter venit ante altare. 3) Duo alii clerici accedunt ad celebrantem. 4) Celebrans surgens incipit alta voce Tractum: *Sicut cervus* etc., ut infra, quod lente prosequitur cum suis clericis. 5) Inchoato Tractu, dirigitur processio ad fontem, facta reverentia altari, hoc ordine: clericus cum cereo, clericus cum cruce, celebrans medius inter clericos, recitans tecto capite Tractum:

Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus?


6) Ante cancellos fontis sistunt omnes, et celebrans, facie versa ad crucem, expleto Tractu, dicit: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Omnipotens sem-*

---

si recens oleum sacrum nondum habetur, *et aliquis baptizandus occurrit,* cum vetere *(S. R. C. 23. Sept. 1837 n. 2773 ad 1* et *19. Sept. 1859 n. 3092);* alioqui sine sacro oleo, et infusio s. olei recentis privatim postea suppleatur. *D. auth. n. 3879 d. d. 31. Jan. 1896* ita habet: „Parochus curet, ut presbyter vel clericus, si possibile sit in sacris constitutus, nova olea recipiat. Quodsi aliquod adhuc exstet impedimentum, idem parochus vel per se vel per alium sacerdotem benedicat fontem sine sacrorum oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiet: *nisi aliquem baptizare debeat;* tunc enim ipsa benedictione solemni vetera olea infundat."

[1]) Ubi cereus paschalis est magnae molis, in benedictione fontis adhiberi potest alius cereus minoris molis, alias benedictus *(S. R. C. 19. Junii 1875 n. 3358).*

piterne Deus[1]) etc., sustinente librum quarto clerico. 7) Clericus eum cereo, et deferens crucem ingrediuntur cancellos baptisterii, si loci capacitas sinat; stabunt vero semper ante faciem celebrantis. 8) Celebrans accedit prope fontem, et dicit secundam Orationem et Praefationem, ut in Missali, tenens semper manus iunctas. 9) Intra Praefationem, iuxta proprios rubricae locos, haec peragit: Post verba: *gratiam de Spiritu sancto,* dividit aquam manu dextera in modum crucis, et immediate manum tergit. Post verba: *non inficiendo corrumpat,* tangit aquam manu, et deinde tergit. Post verba: *indulgentiam consequatur,* facit tres cruces supra fontem manu dextera. Post verba: *super te ferebatur,* dividit manu dextera aquam, et effundit versus quatuor mundi partes, orientem, occidentem, aquilonem et austrum, hoc modo:



Post verba: *In nomine Patris* etc., mutat vocem in modum lectionis. Post verba, *tu benignus adspira,* halat ter in aqua in modum crucis. Post verba: *purificandis mentibus efficaces,* immittit aliquantulum cereum in aquam dicens: *Descendat in hanc plenitudinem* etc., et extrahit; immittit secundo profundius, et tono aliquanto altiori repetit: *Descendat in hanc* etc., et pariter extrahit; immittit tertio usque ad fundum, et altiori adhuc voce repetit: *Descendat* etc., et non extrahit. Ter sufflat immediate in aquam in formam tridentalem, iuxta figuram in Missali, et prosequitur: *totamque huius aquae* etc. Post verba: *foecundet effectu,* ex-

---

1) In conclusione huius Orationis verbum *eiusdem* delendum est.

trahit cereum, qui panno abstergitur. 10) Prosequitur Praefationem, quam concludit humiliori voce, dicendo: *Per Dominum nostrum* etc. et adstantes respondet: *Amen.* 11) Secundus clericus accipit vas pro aqua benedicta et cum eo haurit aquam ex fonte. 12) Celebrans, accepto aspersorio intincto in aqua fontis, aspergit se et circumstantes; deinde, medius inter clericos, aspergit omnes per ecclesiam de dicta aqua, et revertitur ad fontem. 13) Extrahitur aqua benedicta pro fontibus lustralibus, benedictionibus domorum et esculentorum, et aspersione in crastinum. 14) Celebrans, accedens ad fontem infundit in aquam oleum catechumenorum in modum crucis, dicens: *Sanctificetur* etc. 15) Deinde similiter chrisma, dicens: *Infusio chrismatis* etc. 16) Tandem infundit simul utrumque oleum, pariter in modum crucis dicens: *Commixtio chrismatis* etc. 17) Miscet manu sua olea infusa cum aqua, et spargit per omnem fontem. 18) Abstergit manum bombacio; deinde lavat manus cum mica panis.

Art. 6. De Litaniis et Missa[1]) **cum Vesperis,** 1) Praecedente clerico cum cereo et cruce proces-

---

[1]) „Celebratio Missarum privatarum die Sabbati sancti, nisi exstet speciale indultum, omnino prohibetur in quibuscumque ecclesiis et oratoriis privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, et unica Missa conventualis, una cum officio eiusdem Sabbati sancti celebranda est“ *(S. R. C. decr. gen. ab Alex. VIII. approb. inter D. auth. n. 1822; item a Pio VII. n. 2616 ad 3).* Missis privatis ex Indulto Apostolico celebrandis praemittenda non est lectio prophetiarum et Litaniarum, sed incipiendae sunt more solito, sed sine Introitu post Psalmum „Judica me Deus“ et Confessionem *(D. auth. n. 2616 ad 2 et n. 2970 ad 4);* sed si Episcopus privatim celebret ratione ordinationis, incipitur a prophetiis. — Conventualis autem sive parochialis Missa, etsi ob cantorum defectum cantata esse

sionali, celebrans subsequitur cum suis clericis, et redit ante altare. 2) Cereus figitur in proprio candelabro, et crux deponitur in cornu Epistolae. 3) Celebrans, stans ante altare, deponit pluviale tantum. 4) Idem genuflexus, omnibus similiter genuflectentibus, recitat Litanias ex Missali, posito super scabello ante seipsum. 5) Clerici respondent, et repetunt omnia, quae celebrans dicit. 6) Ad versiculum *Peccatores,* tollitur pallium violaceum ab altari, accenduntur candelae, et vasa florum inter candelabra apponuntur. 7) Celebrans prosequitur Litanias, usque ad: *Christe, exaudi nos,* inclusive. 8) Surgit celebrans et praecedentibus clericis, accedit in sacristiam, ubi, deposita stola violacea, accipit manipulum, stolam, et planetam albi coloris. 9) Celebrans comitatus a clericis, ut supra, redit ad altare, ante cuius gradus facit Confessionem de more, cum Psalmo *Judica me* etc. et *Gloria Patri.* 10) Ascendit altare, completaque Oratione: *Aufer a nobis* etc. in eius medio, dicit immediate: *Kyrie eleison,* ut alias, cum non legatur Introitus. 11) Ad *Gloria in excelsis* pulsantur campanae, quae usque ad hanc horam siluerunt. [1]) 12) Post Epistolam celebrans dicit ter *Alleluia,* elevando gradatim vocem, et clerici, post quamlibet vicem, in eodem tono repetent illud, et celebrans prosequetur Versum et Tractum. 13) Non dicitur *Credo,* et post *Dominus vobiscum* non legitur Offertorium, non dicitur *Agnus Dei,* neque da-

---

nequeat, ideo tamen stricte privatam censendam non esse, colligere licet ex *S. R. C. D. auth. n. 3059 ad VII.* Non licet die Sabbati sancti post Missam solemnem de die celebrare Missam solemnem de Requie in die depositionis praesente corpore *(D. auth. n. 2725 ad 7).*

[1]) In conclusione Orationis *Deus, qui hanc sacratissimam noctem* etc. verbum *eiusdem* delendum est.

tur hodie osculum pacis. 14) Loco Antiphonae *Communio*, dicuntur Vesperae, ut in Missali, videlicet: 15) Celebrans in cornu Epistolae dicit Antiphonam *Alleluia* etc., et cum clericis prosequitur Psalmum *Laudate* etc. et in fine repetitur *Alleluia*. 16) Deinde subdit Antiphonam *Vespere autem* etc., cum Cantico *Magnificat*. 17) Repetita Antiphona *Vespere* etc. celebrans accedit ad medium altaris, osculatur illud, et versus ad populum dicit: *Dominus vobiscum* et postea Orationem in solito cornu Epistolae. 18) Post *Ite Missa est* additur *Alleluia, Alleluia*. 19) Completo Evangelio S. Joannis, revertitur in sacristiam[1]) et missalia paramenta deponit.

Art. 7. De reportatione pyxidis. 1) Celebrans accipit super cottam stolam albam, et praecedentibus clericis cum cereis, et alio cum bursa corporalium, et velo humerali, accedit ad locum, ubi asservatur pyxis cum particulis. 2) Ibi adhibitis debitis genuflexionibus, accipit velatis manibus

---

[1]) Expleta Missa, fidelibus S. Communio potest ministrari cum particulis praeconsecratis. In ipsa Missa autem neque clerus, neque populus sumant Eucharistiam, nisi adsit consuetudo *(S. R. C. in coll. Gardell. n. 4815 ad II)*. Exsistente consuetudine, nil videtur obstare, quin post cantatum *Gloria* in Missa particulae praeconsecratae pro S. Communione distribuantur. Nam interrogata „utrum Sabbato sancto mane in ecclesiis, ubi potest una Missa cum cantu celebrari, cantato iam Hymno *Gloria in excelsis*, et nondum facta sacrarum specierum sumptione, ab alio sacerdote, quam a celebrante, superpelliceo et stola induto, ex sacris particulis, quae feria V in Coena Domini superfuere, adservatis, sanctissima Eucharistia Christifidelibus expetentibus distribui possit ac liceat, et an ab iisdem sic sumentibus paschali praecepto satisfiat?“ Sacra Rituum Congregatio die 13. Januarii 1882 rescripsit ac declaravit: „Servetur consuetudo.“

pyxidem, quam portat in solito tabernaculo servandam. 3) Revertitur in sacristiam, in qua, depositis sacris vestibus, legit Antiphonam *Trium puerorum* etc., cum *Alleluia,* et Canticum et Psalmum, et Orationes pro gratiarum actione. 4) Interim per Clericos exstinguuntur cerei altaris. 5) Item tres candelae in cuspide arundinis, quae amplius non accenduntur, et arundo ipsa amovetur omnino. 6) Item exstinguitur cereus paschalis, qui tamen, remanens in suo candelabro [1]) accendetur in Missis [et Vesperis solemnibus], in omnibus Dominicis ac Festis Domini et Sanctorum de praecepto, et usque ad Evangelium inclusive in die Ascensionis Domini; quo dicto cereus exstinguitur, [et in aliis diebus et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur, *quae servanda esset.*[2])] Et completa Missa [in die Ascensionis Domini] removetur e candelabro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad benedictionem fontis.

XI. Ordo ad recipiendum processionaliter Praelatum vel Legatum.

(Ex Pontificali Romano.)

Cum Praelatus vel Legatus civitatem aliquam vel oppidum insigne est ingressurus, processio cleri ex more loci ordinata cum cruce procedit illi obviam extra portam urbis, et cum Legatus sive Praelatus advenerit, Praelatus eius loci indutus amictu, stola, pluviali et mitra pretiosis, sive primum dignitatem habens indutus superpelliceo et pluviali pretioso, offert venienti crucem osculandam, quam Le-

1) Ponendus est super distincto candelabro in plano a cornu Evangelii *(D. auth. n. 2890 ad 2).*

2) *S. R. C. D. auth. n. 235 ad 11.*

gatus, seu Praelatus ex equo, vel si maluerit, descendens in terram super tapetem stratum genuflexus devote osculatur. Tum, si intrans est Episcopus, vel maior, aut Presbyter vel Episcopus Cardinalis, cantores incipiunt et prosequuntur Antiphonam:

Sacerdos et Pontifex et virtutum opifex, pastor bone in populo, sic placuisti Domino.

Vel dicatur Responsorium:

Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

V. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput eius.

Ideo etc. Gloria Patri etc. Ideo etc.

Si vero Legàtus recipiendus sit Diaconus Cardinalis, cantatur Reponsorium:

Fidelis namque et prudens dispensatur in magni patrisfamilias domo constitutus erat. Ut conservis suis mensuram tritici erogaret.

Pro salute et augmento gregis sibi commissi cura pervigili sollicitus erat. Ut etc.

Si autem duo vel plures reciperentur Legati, etiam si non essent Episcopi vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona:

Vos estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.

In porta autem urbis consueverunt magistratus illius obviare Legato vel Praelato primo intranti ac illum benigne suscipere et associare, ac baldachinum super eum deferre. Incepta Antiphona, processio, quae locum habere debet ante crucem Praelati, nisi intersint canonici cathedralis ecclesiae, ordine suo progreditur, et cantantur post dictas Antiphonas seu Responsoria alia Cantica vel Hymni, prout magis placebit, usque ad ecclesiam maiorem seu principalem loci. Si vero processioni intersint

canonici ecclesiae cathedralis, illi soli possunt ire post crucem Legati, immediate ante eum. Equitantes vero omnes equitare debent ante processionem; togati vero debent Legatum seu Praelatum sequi. Cum Praelatus seu Legatus descenderit, et intrat portam maioris seu principalis ecclesiae, Praelatus ecclesiae, seu maiorem dignitatem habens, indutus ut supra, detecto capite offert[1] *illi aspersorium cum aqua benedicta, quod Praelatus seu Legatus accipiens aspergit primo seipsum, deinde alios. Tum idem Praelatus ecclesiae, seu primam dignitatem habens offert ei naviculam, aliquo alio sacerdote superpelliceo induto thuribulum porrigente, et Legatus seu Praelatus imponit incensum, et statim Praelatus ecclesiae seu dignitatem habens incensat ipsum Praelatum seu Legatum stantem cooperto capite more consueto. Deinde procedunt ad altare maius ecclesiae, et ibi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato procumbit et orat Praelatus seu Legatus. Interim vero Praelatus ecclesiae, seu dignitatem maiorem habens stans in cornu Epistolae altaris versus ad orantem detecto capite dicit:*

V. Protector noster aspice Deus,

R. Et respice in faciem Christi tui *cum omnibus sequentibus, si receptus sit Praelatus aut Legatus Episcopus, vel Presbyter Cardinalis. Si vero sit*

---

[1] Cum osculo aspersorii et manus Praelati. *(Caerem. Episc. lib. I cap. 15 n. 3 et 4.)* Haec oblatio aspersorii (crucis et naviculae) non pertinet ad canonicum ecclesiae cathedralis, qui forte Praelatum concomitatur, sed ad rectores ecclesiarum parochialium *(D. auth. n. 2608, 1587)* et ad confessarios monialium, quando Episcopus ingreditur ecclesiam monialium *(ibid. n. 1587)*. Thurificatio et aspersorium capite detecto ministranda sunt.

Diaconus Cardinalis, omisso Versu praecedente, dicit sequentes tantum.

V. Salvum fac servum tuum,
R. Deus meus etc.
V. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,
R. Et de Sion tuere eum.
V. Nihil proficiat inimicus in eo,
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum,
R. Et cum etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super hunc famulum tuum et cunctas congregationes illi commissas Spiritum gratiae salutaris, et ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuae benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum.
R. Amen.

His dictis cantores cantant aliquam Antiphonam eis magis placentem de sancto patrono ecclesiae cum Versiculo de eodem Sancto. Et cum dicitur Versiculus, surgens Praelatus vel Legatus ascendit ad altare osculaturque illud in medio, deinde procedit ad cornu Epistolae, ubi stans, ad ipsum altare versus, cantat Orationem de dicto Sancto, deinde ad medium altaris revertitur, ubi stans dat benedictionem solemnem populo dicens:

Sit nomen Domini benedictum etc.

Qua data facit promulgari per unum ex suis sive ex beneficiatis ecclesiae indulgentias, quas ipse interessentibus concedit; deinde Praelatus ecclesiae et alii, dimissis paramentis, associant illum usque ad diversorium suum.

Cum vero novus Praelatus primo ad ecclesiam suam veniens recipitur, loco Orationis praedictae Omnipotens sempiterne Deus etc. *dicitur sequens Oratio.*

Oremus. Deus, omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

XII. Ordo ad visitandas parochias.

(Ex Pontificali Romano.)

Pontifex visitaturus dioecesim et parochias suas, cum ad civitatem seu oppida suae dioecesis pervenerit, recipitur processionaliter eo ordine, prout supra in receptione Praelati seu Legati dictum est, hoc solo dempto, quod loco Orationis Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna *etc. seu* Deus omnium *etc., ipso Praelato ante altare in faldistorio genua flectente, dicitur sequens Oratio.*

Oremus. Deus, humilium visitator, qui eos paterna dilectione consularis; praetende societati nostrae gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Qua finita, Pontifex surgens ascendit ad altare maius, osculaturque illud in medio et ibidem populo solemniter benedicit.

Deinde, vel in medio Missae, versus ad populum sedens, proponit populo causas adventus sui,[1] *quia ss. canones et ecclesiasticus ordo hoc fieri praecipiunt propter multa:*[2]

---

1) Cfr. Conc. Trid. Sess. 24 de reform. cap. 3.

2) Quaestiones in Visitationibus indagandae inveniuntur in Syn. prov. Ruthenorum anno 1720 habita in civitate Zamosciae (pag. 159), Romae 1838; et in *Collectione Lacensi* tom. II. col. 67—74; *Luc. Ant. Resta,* Directorium Visitatorum ac Visitandorum, Romae 1593; *Gavanti,* Praxis com-

1° *Ad absolvendas animas defunctorum.*

2° *Ut sciat et videat, qualiter ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis; qualiter ibi ecclesiastica Sacramenta ministrentur, et divina officia peragantur; quale servitium ibi impendatur; qualis sit vita ministrorum et populi; ut ex officio inquisitionis suae per eum, si quae in praemissis corrigenda fuerint, corrigantur et emendantur.*

3° *Ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes, et similia publica in populo punienda, ad quod interdum non sufficiunt ecclesiarum rectores; ostendens diligenter populo, quam damnabilia et detestanda sint crimina ipsa.*

4° *Propter casus, qui de iure, vel consuetudine ad Episcopum dumtaxat pertinere noscuntur, quia in Constitutionibus synodalibus continentur, in quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi, quod si quis, vel si quae in aliquo ipsorum casuum, vel in quocumque alio, consilio eius indiguerit, paratus sit benigne audire, et consilium et absolutionem impendere, ac poenitentiam misericorditer iniungere salutarem.*

5° *Ad exhibendum Sacramentum Confirmationis, cuius solus Episcopus ordinarius minister est.*

Deinde inducit diligenter populum ad poenitentiam, et instruit in ecclesiasticis Sacramentis et in articulis fidei, et qualiter debeant declinare a malo, et facere bonum; fugere vitia, et sectari virtutes; alteri non facere, quod sibi fieri nolunt. His expletis fit populi confessio et absolutio generalis et indulgentia datur per pontificem. Post haec Pontifex, deposita cappa, induitur amictu, stola, pluviali

---

pendiaria Visitationis Episcopalis (in tomo IV. Thesauri sacr. Rituum ed. Venetiis 1823); *Melchers*, de canonica dioecesium visitatione, Coloniae, 1892.

violacei vel nigri coloris, et mitra simplici, et stans cum mitra iuxta altare versus ad populum incipit Antiphonam: Si iniquitates.

Postea cum ministris seu capellanis suis dicit Psalmum De profundis clamavi ad te, Domine etc. *et in fine:* *V.* Requiem aeternam etc. *Tum dicit totam Antiphonam:* Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Qua dicta, deposita mitra, dicit: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

Quod secrete completur. Et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta, tertio aspergit ante se; deinde imposito incenso in thuribulo, et illo benedicto, eodem modo incensat. Quo facto pronuntiat versus:

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.
V. In memoria aeterna erunt iusti,
R. Ab auditione mala non timebunt.
V. A porta inferi,
R. Erue, Domine, animas eorum.
V. Requiem aeternam dona eis, Domine, etc.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes famulos tuos Pontificali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Deinde aqua benedicta, thuriferario, duobus ceroferariis, cruce et clero praecedentibus, et cantantibus Responsorium:

Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum, Tu eis, Domine, dona requiem, et locum indulgentiae.

V. Qui venturus es iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. Tu eis, Domine etc.

Pontifex cum mitra exit ad coemeterium, interim dicens cum ministris suis Antiphonam Si iniquitates etc.

Deinde Psalmum De profundis clamavi etc. *et in fine:*

V. Requiem aeternam etc.

Et Antiphona repetitur: Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Quibus omnibus dictis, cum fuerint in medio coemeterii, subsistunt suo ordine, et chorus cantat Responsorium: Libera me, Domine (ut supra pag. 440).

Interim dum Responsorium repetitur, offertur per parochum navicula, et per alium ex ministris thuribulum Pontifici, qui imponit incensum more consueto. Responsorio repetito, chorus cantat,

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Mox Pontifex, mitra deposita, conveniente voce dicit: Pater noster, *reliqua secreto.*

Deinde aspergit et incensat, prout fecit in ecclesia. Quo facto dicit versus:

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. In memoria aeterna erunt iusti.

R. Ab auditione mala non timebunt.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animas eorum.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine etc.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes famulos tuos sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitur, et humanae salutis amator; quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper

Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine, etc.

Tum duo cantores dicunt:

V. Requiescant in pace. — *R.* Amen.

Et mox Pontifex, elevata dextera, producit signum crucis ab omni parte super coemeterium. Tum accepta mitra per Pontificem, revertuntur omnes ad ecclesiam, ordine, quo venerunt, choro dicente congruenti voce sine nota totum Psalmum.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, etc. (supra pag. 409), *et in fine* Requiem aeternam, etc.

Quem etiam Pontifex ipse dicit voce demissa cum ministris, seu capellanis suis; quibus dictis, et cum ad chorum ante maius altare pervenerit Pontifex, deposita mitra, stans ibidem in medio, versus ad altare dicit:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster; *reliqua secreto.*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animas eorum.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Absolve, quaesumus Domine animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

His peractis, depositis stola et pluviali nigris seu violaceis, et assumptis albis, incipit visitationem a sanctissima Eucharistia; ad baptisterium, inde ad sancta olea, ad sacras reliquias, tum ad altaria, et capellas, et sacras imagines, item ad sacristiam, et coemeterium se confert; post ad aedes canonicales, hospitalia, confraternitates, et alia loca pia. Poterit postea Pontifex confirmare pueros, praemissa monitione, et aliis servatis.

Expedita itaque Confirmatione, et benedictis ornamentis, si quae benedicenda sunt, depositisque indumentis ecclesiasticis, Confessiones, et deinde querelas, si quae sunt, audit. Tum de conversatione cleri et populi, ac qualiter spiritualia et temporalia in ipsa ecclesia ministrentur; et de libris ac ornamentis diligenter de plano inquirit.

Peracta demum visitatione illius loci, et omnibus expeditis, cum discedere voluerit Pontifex in suo habitu communi accedit ad ecclesiam, et stans ante altare in cornu Epistolae versus ad illud, dicit Psalmum De profundis, *totum cum* Requiem aeternam, *et Antiphonam* Si iniquitates, *deinde dicit:*

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. A porta inferi,

R. Erue, Domine, animas eorum,

V. Requiescant in pace,

R. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

XIII. De s. Sacramento Confirmationis conferendo.

Quoniam in visitatione parochiarum Episcopus s. Sacramentum Confirmationis conferre solet, parochi[1]) *autem aliique sacerdotes hac occasione multa praeparare et peragere debent, quae, cum raro fiant, non semper praesto sunt, hic ex Pontificali Romano totum caput* „De confirmandis“ *cum nonnullis decretis S. R. C. subiicienda videbantur.*

„Pontifex infantes, pueros, vel alios sacri Baptismatis unda perfusos, confirmare volens, paratus supra rochettum, vel si sit regularis, supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra, accedit ad faldistorium ante medium altaris, aut in alio convenienti loco sibi paratum; et in eo sedens, renibus altari, et facie populo versis, baculum pastoralem in sinistra tenens, populum coram se stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est. — Nullus confirmatus debet reconfirmari. Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus, nec pater aut mater, maritus aut uxor. — Nullus excommunicatus, interdictus vel gravioribus facinoribus alligatus, aut fidei christianae rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum. — Adulti deberent prius peccata confiteri et postea confirmari; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.

---

[1]) Providendum est parochis et sacerdotibus omnibus curatis, ne Confirmationis Sacramento, quamvis ad vitam aeternam non sit aeque ac Baptisma necessarium, quispiam careat, nostris praesertim temporibus, quandoquidem fidei pericula incurruntur plurima. Certius et diligentiori cum praeparatione christiani illud recipient, si brevi ante, vel mox post primam Communionem ad eius susceptionem invitantur; aliunde etiam decet, ut illa aetate, qua chri-

Hoc Sacramento contrahitur spiritualis cognatio impediens Matrimonium contrahendum, et dirimens iam contractum; quae cognatio confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egreditur. — Nullus praesentet, nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat arbitrio Episcopi. — Confirmandi deberent esse ieiuni.[1] *— Confirmato debet ligari frons et sic manere, quousque chrisma desiccetur; v e l e x t e r g a t u r. — Proinde unusquisque confirmandus portat lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput. — Nullus confirmatus discedat nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit. — Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui*[2]*). Et ideo neque masculi feminis patrini, neque feminae masculis matrinae esse deberent. — Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus; deinde, deposita mitra, surgit, et stans versa facie ad confirmandos, iunctis ante pectus manibus, confirmandis genua flectentibus, et manus ante pectus iunctas tenentibus, dicit:*

Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. — *R.* Amen.

---

stianis complura parantur pericula, hoc Sacramento muniantur. Parochi autem ipsi, nisi legitime impediti, adducant suos et reducant, invigilentque redeuntibus. Omnino vero curent, ne quis confirmandus post sacrae actionis initium accedat, neve, si forte, ea ob confirmandorum multitudinem diutius protracta, exire permissus fuerit, in eius fine absit. *(Conc. prov. Colon. pag. 110.)*

[1]) i. e. ex consilio, per se non ex praecepto.

[2]) Sufficit, ut patrinus in Confirmatione ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi. *(S. R. C. 20. Sept. 1749 n. 2404 ad 6.)*

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pectus signo crucis, dicit:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini etc.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit:

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de coelis.

R. Amen.

Spiritum sapientiae et intellectus. — *R.* Amen.

Spiritum consilii et fortitudinis. — *R.* Amen.

Spiritum scientae et pietatis. — *R.* Amen.

Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo cru†cis Christi, in vitam propitiatus aeternam. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Pontifex, sedens super faldistorium praedictum, vel etiam, si multitudo confirmandorum id exegerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex stans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos; *et uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt et confirmantur, et sic usque in finem. Et Pontifex inquirit singillatim de nomine cuiuslibet confirmandi, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus chrismate intincta, dicit:*

N. signo te signo cru†cis[1]); *quod dum dicit,*

---

[1]) Potest confirmandus ad verba Episcopi *N. signo te* etc. praeter nomen suum baptismale aliud nomen Sancti sibi imponi curare. *(S. R. C. 20. Sept. 1749 n. 2404 ad 7.)*

producit pollice signum crucis in frontem illius, deinde prosequitur: et confirmo te chrismate salutis. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti.

℟. Amen.

Deinde leviter eum in maxilla caedit, dicens:

Pax tecum.

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim.

Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii. Interim, dum lavat manus, cantatur sequens Antiphona, vel legitur a ministris; quod etiam in similibus servari debet.

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Gloria Patri etc.

Sicut erat etc.

Deinde repetitur Antiphona: Confirma hoc, Deus etc.

Qua repetita, Pontifex, deposita mitra, surgit et stans versus ad altare, iunctis ante pectus manibus dicit:

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

Deinde iunctis adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit:

Oremus. Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum frontes sacro chrismate delinivimus, et signo sanctae crucis signavimus, idem Spiritus sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Deinde dicit: Ecce, sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.

Et vertens se ad confirmatos, faciens super eos signum crucis, dicit:

Bene†dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitae vestrae, et habeatis vitam aeternam. — ℟. Amen.

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis et matrinis annuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala et faciant bona, et doceant eos Credo in Deum *et* Pater noster, *et* Ave Maria, *quoniam ad hoc sunt obligati.*

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora, et loco, et causa ad arbitrium Episcopi.

XIV. Orationes quaedam publicae.

1) *Invocatio Spiritus sancti.*

Antiph. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende. ℣., ℟. et Orationem *vide pag. 406.*

2) *De SS. Sacramento.*

Antiph. O sacrum convivum etc. ℣., ℟. et Orationem *vide supra pag. 493 et 489.*

3) *Post Hymnum SS. Ambrosii et Augustini (p. 394).*

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. [1])

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli,

℟. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

---

[1]) Vide notam pag. 493.

V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum,
R. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

4) De B. Maria V.

Pro diversitate temporis Orationes habentur pag. 489 sqq.

5) Oratio post Psalm. poenitential. tempore Quadragesimae.

V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.
R. Neque secundum inquitates nostras retribuas nobis.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.
Oremus. Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris; preces populi tuis supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

6) Oratio pro Episcopo.

Die anniversario electionis, seu consecrationis[1]), vel inthronizationis.

Finita Missa solemni cantatur Te Deum Laudamus *pag. 394* cum *VV.* Benedicamus Patrem etc.

---

[1]) Interrogata, quomodo celebranda sit dies anniversaria consecrationis Episcopi, si occurrat in die dupl. min., S. R. C. 17. Sept. 1785 n. 2528 ad 3, respondit: *in Missis privatis*

Benedictus es etc. Domine, exaudi, *et unica Oratione*: Deus, cuius misericordiae etc. *(pag. 559)*; *deinde additur*:

V. Oremus pro Antistite nostro N.

R. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.

Oremus. Deus, omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum . . . quem pastorem ecclesiae . . . praeesse voluisti, propitius respice; da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

7) Oratio pro Rege catholico.

a. Singulis diebus Dominicis et festis.

V. Domine, salvum fac servum tuum, regem nostrum N.

R. Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

R. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Quaesumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus N., rex noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire. Per D. N. etc.

(Ita concluditur ex S. R. C. 3. Mart. 1761 in *Aquensi.*)

---

post alias, si occurrant, faciendam esse commemorationem consecrationis cum Collecta Deus omnium fidelium; *post Nonam celebrandam Missam solemnem pro electione vel consecratione Episcopi cum Gloria, Credo et Praefatione de Communi.*

b. Die onomastico et natali Regis.

Cantato „Te Deum“ *(pag. 394) subiungitur.*
V. Benedicamus Patrem etc.
V. (Si expositum est SS. Sacram.) Panem de coelo etc.
V. Domine, salvum fac servum tuum, regem nostrum N.
R. Et exaudi nos in die, quia invocaverimus te.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare unitatem: quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Deus, qui nobis sub Sacramento etc. *(pag. 489).*
Quaesumus, omnipotens Deus etc. (*ut supra pag. 560*).

8) Collecta pro frugibus terrae,

post Missam a sacerdotibus recitanda, aut cantanda a Paschate usque a festum S. Michaelis.

(Ex Missali Moguntino.)

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,
R. Et salutare tuum da nobis.
V. Dominus dabit benignitatem,
R. Et terra nostra dabit fructum suum.
V. A fulgure et tempestate,
R. Libera nos, Domine.
V. A peste, fame et bello,
R. Libera nos, Domine.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, te suppliciter deprecamur, ut misericordia

tua annuente concedas nobis messium copiam, fructuum largitatem, vinearumque substantiam, arborum foetus, proventus omnium rerum, atque ab his omnibus pestiferum sidus tempestatis universasque procellas, frigora et grandines amovere digneris. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

XV. De Benedictionibus.[1]

Regulae generales.

1. *Noverit sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quae ad Episcopum suo iure pertineant,*[2] *ne maioris dignitatis munera temere aut imperite unquam usurpet propria auctoritate.*

2. *In omni benedictione extra Missam, sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.*

3. *Stando semper benedicat, et aperto capite.*[3]

In principio cuiusque benedictionis dicat:

V. Adiutorum nostrum in nomine Domini, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

---

[1]) Cfr. *Gretserus*, S. J., de benedictionibus Ingolstadii 1615; *Quarti*, de sanctis benedictionibus, Venetiis 1727; *Bellarmini*, de cultu Sanctorum lib. 3 cap. 8; *Melata*, de benedictione papali; *G. Arendt*, de sacramentalibus (duo postrema inter libellos separatos *Analect. eccles.* Rom.).

[2]) „Ad sacerdotes Episcopo inferiores pertinent benedictiones solum verbales, seu simplices, in quibus non intervenit unctio chrismatis vel sacri olei. Inter istas vero nonnullae sunt, quae ad ipsum sacerdotem pertinent de iure et ratione ordinis: aliae, quae possunt ab eo conferri virtute delegationis factae ab Episcopo . . . in quibus non intervenit unctio chrismatis."

[3]) Manu recta et digitis simul iunctis et extensis. — *S. R. C. 24. Junii 1683 n. 1711 ad 6* eum modum dixit *congruentiorum* esse.

4. *Deinde dicatur Oratio propria*[1]*) una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit.*

5. *Postea rem aspergat aqua benedicta; et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.*

6. *Cum sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquae benedictae et aspergillo, et cum Rituali libro, seu Missali.*

7. *Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super altare, veluti esculenta; sed quod eiusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.*

---

1) S. R. C. interrogata „*An formulae benedictionum, quae inveniuntur in libris ab Ordinariis tantum locorum et non ab Apostolica Sedis approbatis, retinendae sint, adeo ut in benedictionibus perficiendis iisdem uti valeant sacerdotes stola et cotta induti?*" respondit *(D. auth. n. 2725 ad 9):* „Detur Decretum in Ariminen. 7. Aprilis 1832 sc.: »Illi soli libri adhibendi et illae tantum benedictiones, quae Rituali Romano sunt conformes.« Nec aliae adhibeantur, dummodo non constet, ab hac S. Congr. fuisse approbatas." — In omnibus casibus, pro quibus approbatae non habentur formulae, sufficit, ut absque cereo accenso manu super rem benedicendam formetur crux, cum intentione eam benedicendi et indulgentias, si quae applicari possunt, eidem applicandi *(S. C. Indulg. 11. April. 1840* et *7. Jan. 1843: Decr. auth. S. C. Indulg. 281 et 313).*

I. Benedictiones a parochis seu sacerdotibus faciendae. [1]

1. Ordo ad faciendam aquam benedictam. [2]

1. *Diebus Dominicis,* [3] *et quandocumque opus fuerit, praeparato sale* [4] *et aqua munda benedicenda in ecclesia, vel in sacristia, sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus primo dicit:*

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

2. *Deinde absolute incipit exorcismum salis:*

Exorcizo te, creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquae; ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus sumentibus te sanitas animae et corporis, et effugiat atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, et nequitia, vel versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus, adiuratus per eum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

R. Amen.

---

[1] Ex Rituali Romano, ubi alii fontes non assignantur.

[2] Cfr. de *Turrecremata,* de efficacia aquae benedictae, Romae 1559; *M. A. Marsilii,* de fonte lustrali, seu de aquae benedictae praestantia, Romae 1605.

[3] Aqua benedicta singulis saltem hebdomadibus renovetur *(Caerem. Episcop. lib. I cap. 6 num. 2).* Diebus autem Paschatis et Pentecostes in ecclesiis, ubi sunt fontes baptismales, fit aspersio aquae benedictae fontis, quae pridie ante iniectionem olei et chrismatis reservata est; ubi vero non sunt fontes, his diebus more solito fit aquae benedictio.

[4] Adhiberi potest sal iam exorcizatum et in hunc usum servatum *(D. auth. n. 3852 ad 3).*

Oremus. Immensam clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene†dicere et sancti†ficare tua pietate digneris; ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis; et quidquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiae. Per Dominum nostrum etc.

Exorcismus aquae, et dicitur absolute.

Exorcizo te, creatura aquae, in nomine Dei, Patris † omnipotentis, et in nomine Jesu † Christi Filii eius, Domini nostri, et in virtute Spiritus † sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem eiusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

R. Amen.

Oremus. Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato virtutem tuae bene†dictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiae latentis inimici, et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione huius aquae effugiat atque discedat: ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum etc.

3. *Hic ter mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:* Commixtio salis et aquae pariter fiat in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti.

R. Amen.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus invictae virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversae dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis saevitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas, te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et praesentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum . . . in unitate eiusdem Spiritus sancti etc.

4. *Post benedictionem aquae, sacerdos Dominicis diebus, antequam incipiat Missam, aspergit altare, deinde se, et ministros, ac populum, prout in Missali praescribitur.* *(Vide supra pag. 397.)*

5. *Postea Christifideles possunt de ipsa aqua benedicta in vasculis suis accipere, et secum deferre ad aspergendos aegros, domos, agros, vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et saepius aspergi possint.*

2. Benedictio candelarum[1]) extra diem Purificationis beatae Mariae Virginis.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini etc.

V. Dominus vobiscum etc.

---

1) Cfr. *Alessandri,* de candelarum . . . benedictione, Mediolani 1588.

Oremus. Domine Jesu Christe, Filii Dei vivi bene†dic candelas istas supplicationibus nostris: infunde eis, Domine, per virtutem sanctae cru†cis, benedictionem coelestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talemque benedictionem signaculo sanctae cru†cis accipiant, ut quibuscumque locis accensae, sive positae fuerint, discedant principes tenebrarum, et contremiscant et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec praesumant amplius inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R. Amen.

Postea aspergantur aqua benedicta.

3. Benedictio domorum in sabbato sancto Paschae.

1. *Parochus, seu alius sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquae ex benedictione fontium ante perfusionem chrismatis acceptae, visitat domos suae parochiae, aspergens eas eadem aqua benedicta. Ingrediens domum dicit:*

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

2. *Deinde aspergens loca praecipua domus, et eos, qui habitant in ea, dicit Antiphonam:*

Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, Alleluia; et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent: Alleluia, Alleluia.

Psalmus. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in saeculum misericordia eius. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat, etc. *Repetitur Antiph.* Vidi aquam, etc. *Deinde dicit:*

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, Alleluia, etc.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et sicut domos Hebraeorum in exitu de Aegypto agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodisti; ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

4. Benedictio loci.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Bene†dic, Domine, Deus omnipotens, locum istum *(vel* domum istam); ut sit in eo *(vel* in ea) sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas et mansuetudo, plenitudo legis et gratiarum actio Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto; et haec benedictio maneat super hunc locum *(vel* super hanc domum) et super habitantes in eo *(vel* in ea) nunc et in omnia saecula saeculorum. [1])
R. Amen.
Et aspergat aqua benedicta.

5. Benedictio thalami.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Bene†dic, Domine, thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum, et ad regna coelorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum.
R. Amen.
Postea aspergat thalamum aqua benedicta.

---

1) Si concluditur Oratio *(D. auth. n. 3421 ad V).*

6. Benedictio novae navis.[1])

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et bene†dic navim istam dextera tua sancta et omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noë ambulantem in diluvio; porrige eis, Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti super mare, et mitte sanctum Angelum tuum de coelis, qui liberet et custodiat eam semper a periculis universis, cum omnibus, quae in ea erunt: et famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper optabili cursuque tranquillo tuearis, transactisque ac recte perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Aspergat navem aqua benedicta.

7. Benedictio communis super fruges et vineas.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Oramus pietatem tuam, omnipotens Deus, ut has primitias creaturae tuae, quas aëris et pluviae temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuae imbre perfundas, et fructus terrae tuae usque ad maturitatem perducas. Tribue quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut a fertilitate terrae esurientium, animas bonis omnibus affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent nomen gloriae tuae. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

---

[1]) Non est functio parochialis *(D. auth. n. 1424).*

8. Benedictio peregrinorum ad loca sancta prodeuntium.[1])

Peregrini, ad loca sancta profecturi, antequam discedant, iuxta veteris Ecclesiae institutum, debent accipere patentes seu commendatitias litteras a suo Ordinario, seu parocho. Quibus obtentis, et rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum confessione, et audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam devote suscipiant. Expleta Missa, sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces.

Antiph. In viam pacis.

Canticum. Benedictus Dominus Deus Israel etc. *(ex Laudibus).*

Repetitur Antiphona.

In viam pacis et prosperitatis dirigat vos omnipotens et misericors Dominus: et Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, ut cum pace, salute, et gaudio revertamini ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc. *(secreto).*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Salvos fac servos tuos, etc.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto, etc.

V. Esto eis, Domine, turris fortitudinis, etc.

V. Nihil proficiat inimicus in eis, etc.

V. Benedictus Dominus die quotidie,

R. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.

---

1) „Peregrini illi dicendi sunt ii, qui extra locum sui domicilii devotionis gratia profecturi sunt ad certum locum, in quo aliquod sanctuarium adsit, quod approbante Ecclesia colitur. Cfr. *Gretserus*, de sacris peregrinationibus, Ingolstadii 1606; *Loartes*, de sacris peregrinationibus, Coloniae 1619.

V. Vias tuas, Domine, demonstra nobis,
R. Et semitas tuas edoce nos.
V. Utinam dirigantur viae nostrae,
R. Ad custodiendas iustificationes tuas.
V. Erunt prava in directa,
R. Et aspera in vias planas.
V. Angelis suis Deus mandavit de te,
R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti; tribue eis, quaesumus, iter prosperum, tempusque tranquillum, ut Angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergunt, locum, ac demum ad aeternae salutis portum feliciter valeant pervenire.

Deus, qui Abraham, puerum tuum, de Ur Chaldaeorum eductum, per omnes suae peregrinationis vias illaesum custodisti; quaesumus, ut hos famulos tuos custodire digneris; esto eis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in aestu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quo tendunt, prospere perveniant, et demum incolumes ad propria revertantur.

Adesto, quaesumus Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae huius varietates tuo semper protegantur auxilio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis Praecursoris hortamenta sectando, ad eam, quem praedixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Exaudi, Domine, preces nostras, et iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus a cunctis adversitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Pax et benedictio † Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos et maneat semper. — ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

2. *Quod si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari; ac si sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.*

9. Benedictio peregrinorum post reditum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Psalmus 127. Beati omnes, qui timent Dominum: * qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum, * in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo, * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: * et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum, * pacem super Israel.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc. *(secreto).*

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Benedicti, qui veniunt in nomine Domini.

R. Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum et terram.

V. Respice, Domine, in servos tuos, et in opera tua.

R. Et dirige eos in viam mandatorum tuorum.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Largire, quaesumus, Domine, famulis tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant.

Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum vitaeque dispositor, famulis tuis continuae tranquillitatis largire subsidium, ut quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos.

Deus, humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris: praetende societati nostrae gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Dominum nostrum, etc.

Deinde aspergantur aqua benedicta a sacerdote dicente:

Pax et benedictio † Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos et maneat semper. — *R.* Amen.

Benedictiones esculentorum, praesertim in Pascha.

10. Benedictio agni paschalis.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Aegypto, agnum occidi iussisti in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, et utrosque postes domorum de sanguine eiusdem agni perungi praecepisti; tu bene†dicere et sancti†ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem eiusdem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Et mox aspergat aqua benedicta.

11. Benedictio ovorum.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Subveniat, quaesumus, Domine, tuae bene†dictionis gratia huic ovorum creaturae: ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

12. Benedictio panis.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Domine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus aeternae vitae, bene†dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo gustantes, inde corporis et animae percipiant sanitatem. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. — *R.* Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

13. Benedictio novorum fructuum.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Bene†dic, Domine, hos novos fructus N. et praesta, ut, qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis et animae salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

14. Benedictio ad quodcumque comestibile.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Bene†dic, Domine, creaturam istam N., ut sit remedium salutare generi humano, et praesta per invocationem sancti nominis tui, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, et animae tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Aspergat aqua benedicta.

15. Benedictio olei simplicis.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

Exorcismus. Exorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem † omnipotentem, qui fecit coelum et terram. mare et omnia, quae in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, et omnis incursus, omne phantasma satanae eradicare, et effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis et corporis, in nomine Dei Patris † omnipotentis, et Jesu † Christi, Filii eius, Domini nostri, et Spiritus † sancti Paracliti, et in caritate eiusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. — *R.* Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Domine, Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, bene†dicere, et sancti†ficare hanc creaturam olei,

quam ex olivarum succo eduxisti, et ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta tibi Deo vivo et vero gratias agerent; praesta, quaesumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine bene†dicimus, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimici liberentur, et cunctae adversitates separentur a plasmate tuo, quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti, ut nunquam laedatur a morsu antiqui serpentis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate etc. — *R.* Amen.

Aspergat oleum aqua benedicta.

16. Benedictio vini in festo S. Joannis Evangelistae.

(Approbata pro Archidioecesi Coloniensi ex Append. Ritualis Rom.)[1])

In fine Missae post Evangelium S. Joannis scilicet In principio *dicitur sequens:*

Psalmus 22. Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas iustitiae, * propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitae meae.

---

1) Cf. hic p. 582 n. 20.

Et ut inhabitem in domo Domini, * in longitudinem dierum.

Gloria Patri, etc. — Sicut erat etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc. — *(secreto)*.

V. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

V. Salvos fac servos tuos, etc.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto, etc.

V. Nihil proficiat inimicus in eis,

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

V. Et si mortiferum quid biberint,

R. Non eis nocebit.

V. Domine, exaudi etc.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui Filium tuum Tibi coaeternum, et consubstantialem de coelis descendere, et de sacratissima Virgine Maria in hoc tempore plenitudinis incarnari temporaliter voluisti, ut ovem perditam et errantem quaereret, et in humeris propriis ad ovile reportaret, necnon ut eum, qui in latrones incidit, a vulnerum suorum dolore, infundens ipsi vinum et oleum, curaret; bene†dic et sancti†fica hoc vinum, quod de vite in potum hominum produxisti, et praesta, ut quisquis in hac sacra solemnitate de eo sumpserit vel biberit, salutem animae et corporis consequatur, et si in peregrinatione fuerit, ab eodem, tua gratia mediante, confortetur, ut via eius in omni prosperitate dirigatur. Per eundem Dominum nostrum etc.

R. Amen.

Alia oratio. Domine Jesu Christe, qui te vitem veram, et sanctos Apostolos tuos palmites appellari, et de omnibus te diligentibus vineam electam plantare voluisti; bene†dic hoc vinum, et virtutem ei tuae benedictionis infunde, ut quicumque ex eo sumpserit vel biberit, intercedente dilecto discipulo tuo Joanne, Apostolo et Evangelista, singulis

morbis et venenis pestiferis effugatis, sanitatem inde corporis et animae consequatur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Alia oratio. Deus, qui humano generi panem in cibum, et vinum in potum procreasti, ut panis corpus confortet, et vinum cor hominis laetificet, quique beato Joanni, praedilecto discipulo tuo, tantam gratiam contulisti, ut non solum haustum veneni illaesus evaderet, sed etiam in tua virtute veneno prostratos a morte resuscitaret: praesta omnibus hoc vinum bibentibus, ut spiritualem laetitiam et vitam consequi mereantur aeternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

R. Amen.

Aspergat aqua benedicta. [1])

17. Benedictio in festo S. Blasii contra morbos gutturis.

Sacerdos post Missam, aut alias superpelliceo vel alba et stola indutus, accensos duos cereos in antecedente festo Purificationis B. M. V. (vel speciali benedictione in append. Ritualis Rom. notata) benedictos in forma crucis sub mento cuiusvis benedicendi genuflexi tenens dicat:

Per intercenssionem sancti Blasii Episcopi et Martyris, liberet te Deus a malo gutturis et a quolibet alio malo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. (Ita in append. ap Rituale Rom.)

Pro archidioec. Vercell. S. R. C. 20. Mart. 1869 (cfr. Gardell. n. 5425 vel *Decr. auth. n. 3196)* hanc formulam praescripsit:

Per intercessionem B. Blasii liberet te Deus † a malo gutturis. Amen.

---

[1]) Aliquibus in locis sacerdos vinum benedictum populo bibendum tradit dicens singulis: *Bibe amorem S. Joannis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

18. Benedictio herbarum in festo Assumptionis B. M. V.[1])

Sacerdos ante altare conversus ad populum tenentem herbas dicit:

V. Adiutorium nostrum etc.

Dein dicit Psalmum 64 „Te decet hymnus" *ut in Brev. in Laud. Fer. IV.*

V. Dominus dabit benignitatem,
R. Et terra nostra dabit fructum suum.
V. Rigans montes de superioribus suis,
R. De fructu operum tuorum satiabitur terra.
V. Producens foenum iumentis,
R. Et herbam servituti hominum.
V. Ut educas panem de terra,
R. Et vinum laetificet cor hominis.
V. Ut exhilaret faciem in oleo,
R. Et panis cor hominis confirmet.
V. Misit verbum suum et sanavit eos,
R. Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum.
V. Domine, exaudi etc.
V. Dominus vobiscum etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui coelum, terram, mare, visibilia et invisibilia verbo tuo ex nihilo creasti; quique herbas arboresque ad usus hominum animaliumque terram gignere et unumquodque iuxta sementem in semetipso fructum habere praecepisti; atque non solum ut herbae animantibus ad victum, sed aegris etiam corporibus prodessent ad medicamentum, tua ineffabili pietate concessisti: te supplici mente et ore deprecamur, ut has diversi generis herbas et fructus

[1]) Loco benedictionis ex Missali Colon. dedi benedictionem ex appendice Ritualis Rom., quae *ubi libet* usui esse potest.

tua clementia bene†dicas, et supra naturalem a te inditam virtutem, eis benedictionis tuae novae gratiam infundas, ut ad usum hominibus et iumentis in nomine tuo applicatae, omnium morborum et adversitatum efficiantur praesidium. Per D. N. etc. — *R.* Amen.

Oremus. Deus, qui per Moysen famulum tuum mandasti filiis Israel, ut manipulos novorum fructuum benedicendos deferrent ad sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimae, et laetarentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius invocationibus nostris, et infunde tuae bene†dictionis abundantiam super nos et super manipulos novarum frugum, novarum herbarum, et fructuum collectionem, quae cum gratiarum actione tibi repraesentamus, et in nomine tuo in hac solemnitate bene†dicimus; et concede, ut hominibus, pecoribus, pecudibus et iumentis contra morbes, pestes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia serpentum, et aliorum venenosorum animalium et bestiarum morsus, necnon quaecumque venena, remedium praestent, atque contra diabolicas illusiones et machinationes et fraudes tutamen ferant, in quocunque loco positum vel portatum aut habitum aliquid ex eis fuerit: quaetenus cum manipulis bonorum operum, meritis B. Mariae Virginis, cuius Assumptionis festum colimus, quo ipsa assumpta est, suscipi mereamur. Per D. N. etc.

R. Amen.

Oremus. Deus, qui virgam Jesse, Genetricem Filii tuii Domini nostri Jesu Christi, hodierna die ad coelorum fastigia ideo evexisti, ut per eius suffragia et patrocinia fructum ventris illius, eundem Filium tuum, mortalitati nostrae communicares: te supplices exoramus, ut eiusdem Filii tui virtute eiusque Genetricis glorioso patrocinio istorum terrae fructuum praesidiis per temporalem ad aeter-

nam salutem disponamur. Per eundum D. N. etc. — *R*. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti, descendat super has creaturas, et maneat semper. — *R*. Amen.

Postea herbae aqua benedicta aspergantur et thurificentur.

19. Benedictio puerorum et puellarum.[1])

(Ex libro P. Maurel, „Le chrétin éclairé", Romae approbato.)

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Quaesumus, omnipotens Deus, pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene†dicere dignare, et per virtutem sancti Spiritus corda eorum corrobora, vitam santifica, castimonia decora, et sensus in bonis operibus munitos informa, prospera tribue, pacem concede, salutem confer, caritatem largire, et ab omnibus diabolicis atque humanis insidiis tua protectione et virtute semper defende, et in finem ad requiem paradisi eos perduc. Per Dominum nostrum etc.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos et ad te venientes complectebaris (*hic ponat manus super capita puerorum)* manusque super illos imponens benedicebas, atque dicebas: Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos, talium est enim regnum coelorum, et Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: respice, quaesumus, ad pueri *(vel* puellae, *si fuerit unus, seu*

---

[1]) Aliae formulae pro benedictione vel privatim vel in ecclesia facienda habentur in Ritualis Romani Appendice pag. 71* sq. edit. Ratisbon. a. 1891.

puerorum, *vel* puellarum) innocentiam, et ad suorum parentum devotionem, et clementer eos hodie per ministerium meum bene✝dic, ut in tua gratia et misericordia semper proficiant, te sapiant, te, timeant, et mandata tua et parentum custodiant, et ad finem optatum feliciter perveniant. Per te, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum.

R. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, † Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super te *(vel* vos), et custodiat atque dirigat te (*vel* vos) et maneat semper tecum *(vel* vobiscum). — *R.* Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

20. Bened. ad omnia, approbata a S. R. C.

(Ex Rit. Rom. append. pag. 90* editionis Ratisb. anni 1891.)

Haec benedictionis formula adhiberi potest a quovis sacerdote pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in Rituali Romano.

V. Adiutorium nostrum etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Deus, cuius verbo sanctificantur omnia, benedictionem tuam effunde super creaturam istam *(vel* creaturas istas): et praesta, ut, quisquis ea *(vel* eis), secundum legem et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem sanctissimi Nominis tuis, corporis sanitatem et animae tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Deinde illam (vel illas) sacerdos aspergit aqua benedicta.

II. Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendae.[1]

21. Benedictio sacerdotalium indumentorum in genere.[2]

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.,
℣. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum pontificalia et sacerdotalia seu levitica vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem et decorem nominis sui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris, et haec indumenta sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per nostrae humilitatis servitium puri✝ficare, bene✝dicere, et con✝secrare digneris, ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta exsistant; his quoque sacris vestibus Pontifices, et Sacerdotes, seu Levitae tui induti ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum

---

[1]) Ex Rit. Rom., ubi alii fontes non assignantur. — Cfr. *Bened. XIV.* Inst. 21.

[2]) Haec benedictio indumentorum impertitur *casulis, stolis, manipulis, albis, amictibus,* quae *certo,* et *cingulis,* quae *probabilius* etiam benedici debent; convenienter etiam datur aliis paramentis sacris, non tamen ex vero praecepto. Benedictio *corporalium* (pag. 585) datur simul etiam *pallis;* benedictio linteaminum altaris est pro solis *mappis seu tobaleis.* Purificatoria, vela calicis, bursae non benedicuntur (cfr. *D. auth. n. 2572 ad 12).* — Sacerdotes subdelegati uti *debent* benedictione, quae legitur in Rituali Romano *(D. auth. n. 3392).* — Superiores Regularium et Rectores, Priores, Guardiani, Ministri et alii, supposito S. Sedis privilegio, possunt facere benedictiones omnes, in quibus sacrum Chrisma non requiritur, sed pro servitio dumtaxat monasteriorum et ecclesiarum propriarum *(D. auth. n. 2377 ad 1—3).*

muniti et defensi esse mereantur, tuisque mysteriis apte et condigne servire et inhaerere, atque in his tibi placite et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oremus. Deus, invictae virtutis triumphator, et omnium rerum creator ac sanctificator: intende propitius preces nostras, et haec indumenta leviticae, sacerdotalis, et pontificalis gloriae, ministris tuis fruenda, tuo ore proprio bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris, omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos, et tibi in eis devote ac laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

R. Amen.

Oremus. Domine, Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus et Levitis in usum tabernaculi foederis necessaria Moysen famulum tuum agere iussisti, eumque spiritu sapientiae ad id peragendum replevisti: haec vestimenta in usum et cultum mysterii tui bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris; atque ministros altaris tui, qui ea induerint, septiformis Spiritus gratia dignantur repleri, atque castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

22. Benedictio mapparum, sive linteaminum altaris.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Exaudi, Domine, preces nostras, et haec linteamina sacri altaris usui praeparata bene†dicere et sancti†ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Oremus. Domine Deus omnipotens, qui Moysen famulum tuum, ornamenta et linteamina facere per quadraginta dies docuisti, quae etiam Maria texuit, et fecit in usum ministerii et tabernaculi foederis; bene†dicere, sancti†ficare et conse†crare digneris haec linteamina ad tegendum involvendumque altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saeeula saeculorum.

R. Amen.

Deinde aspergat ea aqua benedicta.

23. Benedictio corporalium.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domine, etc.

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Clementissime Domine, cuius inenarrabilis est virtus, cuius mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue, quaesumus, ut hoc linteamen tuae propitiationis bene†dictione sanctificetur ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri Jesu Christi, Filii tui, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, bene†dicere, santi†ficare, et conse†crare digneris linteamen istud ad tegendum involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, Filii tui, qui tecum vivit et regnat etc. — *R.* Amen.

Oremus. Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuae benedictionis infunde, ut per nostram bene†dictionem hoc linteamen sanctificetur, et Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus sancti gratia efficiatur. Per eundem Dominum . . . in unitate eiusdem Spiritus sancti . . .

R. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

24. Benedictio tabernaculi seu vasculi [1]) pro sacrosancta Eucharistia conservanda.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, maiestatem tuam supplices deprecamur, ut vasculum hoc pro Corpore Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, in eo condendo fabricatum, bene†dictionis tuae gratia dicare digneris. Per eundem Dominum . . .

R. Amen.

Deinde aspergat illud aqua benedicta.

25. Benedictio novae crucis. [2])

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

---

[1]) Hac uti potes etiam pro pyxi, lunula etc. quae non consecrantur, sed tantummodo benedicuntur (cfr. *S. Alph. lib. 6 n. 384 et 385*). — Vasa sacra exsecrantur, si per fractionem vel aliter amittunt figuram, aut forman essentialem, sub qua sunt consecrata vel benedicta; seu dum fiunt inutilia et inepta ad convenientem usum, ad quem sunt consecrata aut benedicta, e. g. quando in fundo calicis fit foramen, quamvis exiguum; item quando cuppa separatur a pede, sive id fiat violenter, sive non (nisi calix sit tornatilis, quia tunc tali forma est consecratus et per separationem formam suam non amittit, cum partes sine novo artificio iungi queant); denique quando de novo inauratur, amittit consecrationem et nova consecratione indiget. (Cfr. *D. auth. n. 2889 et n. 3042 ad I.*) — Idem fere dicendum de necessitate novae consecrationis patenae, et de benedictione pyxis et lunulae. — Calices aliaque vasa sacra, antequam tradantur artifici reficienda vel fundenda, non debent a sacerdote exsecrari nec manibus instrumentisve deformari *(Decr. gen. Pii VII. inter D. auth. n. 2620)*.

[2]) Novae cruces, quae in coemeteriis vel aliis in locis publice exponuntur, benedicendae sunt ab Episcopo vel

Oremus. Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut digneris bene†dicere hoc [1]) signum crucis tuae, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen et protectio, ac tutela contra saeva iacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Alia oratio [2]) *ad idem.*

Bene†dic, Domine Jesu Christe, hanc crucem, per quam eripuisti mundum a potestate daemonum et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

Hic aspergat aqua benedicta.

Santificetur hoc signum crucis in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, ut orantes inclinantesque se propter Dominum ante istam crucem, inveniant corporis et animae sanitatem. Per Christum Dominum nostrum etc.

R. Amen.

Postea sacerdos genuflexus ante crucem devote adorat et osculatur; et idem faciunt quicumque voluerint.

---

sacerdote facultatem habente; cruces vero usui privato destinatas, v. g. ut ponantur in domibus fidelium, simplices presbyteri possunt benedicere adhibendo formulam Ritualis. — Cruces altarium seu processionum non sunt benedicendae de praecepto; possunt tamen a simplici sacerdote benedici privatim et non solemniter *(D. auth. n. 2143 ad 1 et 2).*

[1]) Si fuerint plures, mutetur numerus.

[2]) Haec oratio additur, quando *crux missionis* benedicitur.

26. Benedictio imaginum Jesu Christi Domini nostri, B. Virginis Mariae et aliorum Sanctorum.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines (*sive* effigies) sculpi aut pingi non reprobas, ut, quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur; hanc, quaesumus, imaginem (*seu* sculpturam) in honorem et memoriam unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi (*vel* beatissimae Virginis Mariae, Matris Domini nostri Jesu Christi, *vel* beati N. Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam bene†dicere et sancti†ficare digneris: et praesta, ut quicumque coram illa unigenitum Filium tuum (*vel* beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, *aut* Virginem) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futurum. Per Christum Dominum nostrum. — *R.* Amen.

Ultimo aspergat aqua benedicta.

27. Benedictio coronarum aut rosariorum,[1]) propria Ord. Praed. vel ad hoc delegatis.

(Ex appendice ad Rituale Romanum.)

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Domine, exaudi etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

---

1) Elenchum indulgentiarum, quas *Summus Pontifex* benedicendo coronas, cruces etc. impertitur iis, qui talibus rebus pie utuntur, habes in *Rescript. S. C Indulg. auth.* summ. 1. — Elenchum a Pio X approbatum vide in *Act. S. Sedis* vol. 36 pag. 125 sqq.

Quas ndulgentias ut delegatus illis rebus adnectat, suffi-

Oremus. Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, de coelis in terram descendere et de beatissimae Virginis Mariae dominae nostrae utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli ; obsecramus immensam clementiam tuam, ut [*hoc signum*] haec signa rosarii] in honorem et laudem eiusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli [*dicatum*] dicata bene†dicas et santi†fices, [*eique*] eisque tantam infundas virtutem Spiritus sancti, ut quicumque [*hoc*] horum quodlibet secum portaverit atque in domo sua reverenter tenuerit, et in [*eo*) eis ad te, secundum huius sanctae societatis instituta, divina contemplando mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et indulgentiarum, quae eidem societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eundem Dominum etc. *R.* Amen.

Deinde aspergat rosaria aqua benedicta.

28. Modus benedicendi aquam sancti Ignatii (pro Societate Jesu approbatus).

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini, etc.
V. Sit nomen Domini etc.

---

cit signum crucis; ut rosariis per Ord. Pr. benedicendis indulgentiae speciales adnecantur, requiritur benedictio hoc n. 27 posita.

V. Domine, exaudi orationem meam, etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem nominis tui benignus assiste: ut intercedente beato Ignatio, Confessore tuo, famulos tuos ab aegritudine liberatos et sanitate donatos dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae cum omni prosperitate restituas. Per Dominum etc.

R. Amen.

Immergitur aquae numisma seu reliquiarium S. Ignatii, et immersum tenetur usque ad finem huius Orationis.

Bene✝dic, Domine, hanc aquam, ut sit remedium salutare generi humano; et per intercessionem beati Ignatii, cuius numisma (*vel* reliquiae) in eam immergitur (*vel* immerguntur) praesta, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant. Per Christum D. N.

R. Amen.

Educitur ex aqua numisa seu reliquiarium.

Oremus. Deus, qui ad maiorem tui nominis gloriam propagandam novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti, concede, ut eius auxilio et imitatione certantes in terris coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum etc.

R. Amen.

XVI. Mothodus pro erigendis stationibus Viae Crucis.

(Propria Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.)

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, uno saltem clerico adhibito, qui ei opportuno tempore porrigere possit vasculum aquae benedictae cum aspersorio, et thuribulum cum incensi

navicula, ascendit altare, ibique stans brevi sermone super praestantia et utilitate pii exercitii Viae Crucis populum alloquetur; deinde genuflexus in infimo gradu intonabit Hymnum: Veni Creatur Spiritus, etc. *(vide supra pag. 405).*

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur (t. p. Alleluia),

R. Et renovabis faciem terrae (t. p. Alleluia).

Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consulatione gaudere.

Defende, quaesumus, Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, populum istum *(vel* familiam istam) ab omni adversitate, et toto corde tibi prostratum *(vel* prostratam) ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finatur. Per Dominum nostrum etc.

Benedictio tabularum pictarum *(si adsunt).*

V. Adiutorium . . .

V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines etc. (pag. 588 num. 26).

Tum sacerdos eas aspergit aqua benedicta et incensat.

In oratorio privato omitti potest incensatio.

Benedictio crucium *(quae ex ligno esse debent).*

V. Adiutorium . . . *R.* Qui fecit, etc.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus: ut digneris bene†dicere haec signa crucis tuae, ut sint remedia salutaria generi humano; sint soliditas fidei, bonorum operum profectus, et redemptio animarum; sint solamen et protectio ac tutela contra saeva iacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oremus. Benedic †, Domine, has cruces, quia per crucem sanctam tuam eripuisti mundum a potestate daemonum et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

(Hic aspergens aqua benedicta dicat:)

Sanctificentur ista crucis signa in nomine Patris †, et Filii † et Spiritus sancti †, ut orantes inclinantesque se propter Dominum ante istas cruces inveniant corporis et animae sanitatem. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde cantatur Hymnus Vexilla Regis prodeunt, *et* Stabat Mater dolorosa *usque ad stropham:* Fac, ut ardeat cor meum *inclusive.*

Post Amen *sacerdos accedens ad locum primae stationis osculatur crucem et tabulam, easque vel per se, vel per laicum decenti habitu indutum collocat in loco ad id praeparato; deinde legit meditationem et preces huic stationi respondentes; quod et fiet in ceteris stationibus. Quibus finitis, cantatur Hymnus* Te Deum, *cum Oratione* Deus, cuius misericordiae etc. (supra pag. 394—396).

In fine sacerdos benedicit populum cum cruce.

XVII. Modus dandi benedictionem papalem.

(Pro Regularibus secundum ep. encycl. Bened. XIV. „*Exemplis Praedecessorum*“ d. d. 19. Mart. 1748.)[1]

1. *Admoneatur populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est designata ecclesia, de hora denique, qua dabitur Pontificia Benedictio. De quibus, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis certior fiat.*

2. *Postquam statutis die et hora, populus ad ecclesiam convenerit, alta voce legantur Litterae Apostolicae, seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem, accommodatum ad populi intelligentiam, conversa pronuntietur. Populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur: post quae sacerdos, nullis circumstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus, ut in Rituali praescribitur, quum agitur de benedictionibus, quae extra Missam presbyteris permittuntur, ante altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret:*

V. Adiutorium etc.
V. Salvum fac populum tuum, Domine,
R. Et benedic haereditati tuae.
V. Dominus vobiscum, etc.

Deinde stans sequentem recitet Orationem:

Oremus. Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de Sancto, et vota populi huius in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque

[1] Pro Episcopis et Praelatis inferioribus habetur formula in *Archiv für kathol. Kirchenrecht,* Neue Folge, XV. Bd., Seite 331, et *Beringer*, die Ablässe etc., 12. Aufl., Seite 34*.

benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum etc.

℞. Amen.

3. *Tunc sacerdos ad cornu Epistolae accedat, et ibidem non trina, h. e. triplici signo crucis, sed una benedictione, videlicet unico signo crucis benedicat, proferens alta voce haec verba:*

Benedicat vos omnipotens Deus † Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. — ℞. Amen.

XVIII. Formula benedictionis cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus S. Franc. Assis., quam Tertiarii aliquibus diebus et festis recipere possunt.

(Leo XIII. „*Quo universis*“ d. d. 7. Julii 1882.)

NB. Haec benedictio publice et in communi dari nequit nisi ab iis, qui hanc facultatem acceperunt. Privatim vero Tertiariis petentibus a quocumque confessario immediate post absolutionem sacramentalem conceditur: quo in casu indulgentia tamen non acquiritur a Tertiario, nisi peracta S. Communione aliisque operibus praescriptis.

A. Formula benedictionis in confessionali dandae.

Dominus N. J. Chus, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille te absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeas vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam Passionem et mortem Domini Nostri Jesu Christi, precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris (nostri) Francisci, et omnium Sanctorum, *auctoritate a Summis Pontificibus mihi commissa, plenariam indulgentiam*

omnium peccatorum tuorum tibi impertior. In nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.

(Si per circumstantias non licet hac integra forma uti, sacerdos omissis reliquis, dicere poterit: *Auctoritate* etc.)

B. Formula benedictionis publicae dandae.

Ant. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce Domine, parce populo tuo, quem redimisti Sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc. *(secreto)*.

V. Et ne nos inducas in tentationem,
R. Sed libera nos a malo.
V. Salvos fac servos tuos,
R. Deus meus. sperantes in te.
V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,
R. Et de Sion tuere eos.
V. Esto eis, Domine, turris fortitudinis,
R. A facie inimici.
V. Nihil proficiat inimicus in nobis,
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum. — *R.* Et etc.

Oremus. Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos. quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis

omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum D. N.

R. Amen.

Dicto: Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc., *Sacerdos pergit:*

Dominus Noster Jesus Christus etc. *(ut supra: solummodo ubi supra habes* te, tuorum, tibi *substitue* vos etc. *et omnia dic in plurali).*

XIX. Formula benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de monte Carmelo.

(Ab omnibus adhibenda sacerdotibus facultatem habentibus adscribendi Christifideles Confraternitati eiusdem scapularis ex decr. S. R. C. d. d. 24. Jul. 1888.)

V. Ostende nobis Domine misericordiam tuam,

R. Et salutare tuum da nobis.

V. D[ne] exaudi etc. — *V*. D[nus] vobiscum etc.

Oremus. Domine Jesu Christe, humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuaeque Genitricis Virginis Mariae de monte Carmelo amorem servus tuus devote est delaturus, dextera tua sancti†fica, ut eadem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensus in tua gratia usque ad mortem perseveret: Qui vivis etc.

Deinde aspergat aqua benedicta habitum, et postea ipsum imponat dicens: Accipe hunc habitum benedictum, precans sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. — *R*. Amen.

Deinde dicat: Ego ex potestate mihi concessa recipio te ad participationem omnium bonorum

spiritualium, quae cooperante misericordia Jesu Christi a religiosis de monte Carmelo peraguntur. In nomine Patri † etc.

Bene†dicat te conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui te cooptare dignatus est in confraternitatem B. Mariae V. de monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis antiqui; atque palmam et coronam sempiternae haereditatis tandem consequaris. Per Ch. D. N. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

NB. Si plures sunt recipiendi seu adscribendi, sacerdos vel singulis habitum imponens singulis dicit: *Accipe hunc habitum* etc., vel postquam singulis habitum imposuerit, dicet semel in plurali: *Accipite hunc habitum* etc. Reliqua similiter dicantur in plurali.

XI. Formula benedicendi et imponendi S. numismatis immac. Conc. M. V. (Med. miracul.) propria Congr. Missionis seu Lazaristis.

V. Adiutorium etc. — *R.* Qui fecit etc.
V. Dominus vobiscum,
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens et misericors Deus, qui per multiplices Immaculatae Mariae Virginis apparitiones in terris mirabilia iugiter pro animarum salute operari dignatus es, super hoc numismatis signum tuam benedictionem benignus infunde, ut pie hoc recolentes ac devote gestantes et illius patrocinium sentiant et tuam misericordiam consequantur. Per Ch. D. N. — *R.* Amen.

Deinde numisma aspergit aqua benedicta et ipsum postea imponens dicit [si plures recepturi sunt, dicit semel in plurali]:

Accipe sanctum numisma, gesta fideliter, et digna veneratione prosequere: ut piissima et immaculata

coelorum Domina te protegat atque defendat; et pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postulaveris, tibi misericorditer impetret, ut vivens et moriens in materno eius amplexu feliciter requiescas. Amen.

Dein: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. — Pater noster etc.

V. Et ne nos etc. — *R.* Sed libera etc.
V. Regina sine labe originali concepta,
R. Ora pro nobis.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor etc.
V. Dominus vobiscum, etc.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui beatissimam Virginem Mariam, matrem tuam, ab origine immaculatam innumeris miraculis clarescere voluisti: concede, ut eiusdem patrocinium semper implorantes, gaudia consequamur aeterna. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.



Appendix I.

Formulae[1] petendi varias facultates et gratias.

I. Formula petendi ab Ordinario facultatem legendi et retinendi libros prohibitos.

Aquisgrani 24. Jan. 1899.

Jos. S. Vicarius ad St. P. petit facultatem legendi et retinendi libros prohibitos.	Reverendissime Vicariatus Generalis, Infrascripto nonnunquam utile vel necessarium erit, legere libros prohibitos, quo se parare possit ad confutandos haereticorum errores. Quod ut secure facere possit, recurrit ad Reverendissimum Vicariatum Generalem, humillime supplicans, ut eidem facultatem eiusmodi libros legendi ac retinendi impertiri dignetur. Omni, qua par est pietate et veneratione, subscribit
Reverendissimo Vicariatui Archiepiscopi Generali Coloniam.	Reverendissimi Vicariatus Generalis infimus in Christo servus N.

1) Charta per medium plicanda et in dextera scribendum est eo ordine eodemque modo, quem haec prima formula exhibet.

Vel:

Formula petendi eandem facultatem a S. Sede.

Beatissime Pater,

Petrus N. Sacerdos Dioecesis N. humillime petit, ut sibi, ad conscientiae suae tranquillitatem, concedatur facultas legendi ac apud se retinendi libros quoscumque ab Apostolica Sede prohibitos etiam ex professo contra Religionem tractantes. Pro quo favore humillimus agit gratias etc.

NB. Indultum conceditur ad dies vitae cum clausula: accedente consensu Ordinarii.

2. Formula petendi ab Ordinario concilium et licentiam haereticum rebaptizandi et in gremium Ecclesiae admittendi.

Reverendissime Vicariatus Generalis.

N. viginti annos natus, oriundus ex N., hactenus sectam calvinianam professus, ad me, parochum loci N., accessit, enixe postulans, ut in ecclesiam Romano-Catholicam reciperetur; ipsum instruxi *(vel: instruendum curavi)* in principiis, mysteriis, et obligationibus religionis Catholicae, videturque ille ex vero salutis desiderio velle sectam haereticam deserere. Factis inquisitionibus circa eius Baptismum, nihil aliud comperire potui, quam quod . . . *(exprimatur hic, quid compertum fuerit);* quare dignetur Reverendissimus Vicariatus Generalis praescribere, quid circa eius Baptismum sit agendum,[1]) me deputare ad fidei professionem ab eo recipiendam eique absolutionem ab haeresi in utroque foro dandam, vel confessario ab eodem libere eligendo tribuere facultatem, ipsum ab haeresi, quatenus opus est, sacramentaliter absolvendi.

---

[1]) Ex pag. 156 sqq. colliges, *licentiam* non semper requiri et manente dubio obligationem esse baptizandi.

3. Formula petendi facultatem absolvendi a casibus reservatis, vel specialiter in litteris approbationis exceptis.

Reverendissime Vicariatus Generalis,

A Reverendissimo Ordinario ad excipiendas fidelium confessiones nuper approbatus ad biennium, dum confitentibus aures praeberem, occurrit mihi casus reservatus; cumque expedire videatur, ut ad me poenitens redeat, hisce humiliter supplico, ut mihi praedicta facultas, saltem pro hac et aliquot vicibus, concedatur.

Vel:

Cum propter frequentem populi concursum poenitentes, ceteroquin rite dispositi, sine absolutione dimitti, et ad alterum confessarium accedere vix possint, humiliter supplico etc.

Vel:

Licet ad absolvendum a casibus Reverendissimo Ordinario reservatis sim approbatus, tamen mihi casus occurrit in litteris approbationis *specialiter* exceptus. Quum poenitens ceteroqui rite dispositus sit, attamen timere debeam, ne horreat pro gratia absolutionis se sistere coram habente eiusmodi facultatem, Reverendissimum Vicariatum Generalem hisce quam humillime rogo, ut specialem hanc absolvendi potestatem mihi pro hac vice (vel: pro aliquot vicibus) largiri dignetur etc.

4. Formula petendi dispensationem ab Episcopo in casu voti non nubendi, sacros ordines suscipiendi, vel castitatis ad tempus servandae.

Reverendissime Domine,

Anna [N., parochiana mea, annos nata ...] alias votum emisit non nubendi *(vel:* castitatis ad [v. g. decem] annos servandae). Nunc autem cupit matrimonium inire: hinc ab Amplitudine Vestra humillime petit, ut sibi praefatum votum commutando

dispensare dignetur. Rationes sunt: Vehementes tentationes, quae voti observationem difficillimam (*vel:* fere impossibilem) reddunt; inconsideratio et levitas in voto emittendo.

NB. Quando in foro externo res tractanda est, vera oratorum nomina sunt exprimenda; aliter, si in solo interno foro res tractari potest.

2. Idem prorsus scribendi modus est in casu, quo votum emissum est suscipiendi sacros ordines, ita ut solius voti expressio mutetur.

5. Formula petendi a S. Sede dispensationem super voto castitatis perpetuae, seu ingrediendi religionem.

a) in casu occulto:

Beatissime Pater,

Caia poenitens alias votum perpetuae castitatis (sive ingrediendi religionem) private emisit. Nunc autem, quum, ob carnis stimulos vehementes, diffidat, se continenter vivere posse, pro conscientiae suae quiete cupit, ut sibi praefatum votum per Sedem Apostolicam relaxetur ad effectum licite contrahendi matrimonium.

b) in casu publico:

Beatissime Pater,

Anna N., Dioecesis N., annos nata ... ante septem annos votum castitatis perpetuae (seu ingrediendi religionem) private emisit. Nunc autem cupit sibi praefatum votum ad effectum licite contrahendi matrimonium per Sedem Apostolicam relaxari, quum eiusdem observatio sibi moraliter impossibilis evadat. Causae sunt: misera conditio oratricis, orbata utroque parente, cui per matrimonium, quod in promptu habet, optime provideretur; periculum incontinentiae, quum oratrix in domo sponsi famulatui addicta sit. Pro qua gratia etc.

6. Formula petendi ab Episcopo dispensationem super voto castitatis perpetuae seu ingrediendi religionem.

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Bertha, poenitens mea, alias votum perpetuae castitatis (seu ingrediendi religionem) private emisit. Nunc vero rem carnalem habuit cum iuvene, cui matrimonium promisit. Quum periculum sit in mora et proinde recursus ad Sanctam Sedem institui non possit, Oratrix, de commissis valde dolens, Amplitudini Vestrae Reverendissimae humillime supplicatur, ut cum ipsa super praefato voto dispensare dignetur ad effectum licite contrahendi matrimonium. Causae sunt: Urgens scandali periculum, nisi statim matrimonio inito puellae vitiatae honor protegatur; iustus timor, ne iuvenis corruptor, mutata voluntate, puellam deserat.

NB. In casu urgentissimae necessitatis, quo scilicet absque scandali vel infamiae periculo matrimonium differri nequeat, donec a S. Sede dispensatio obtineatur, communiter agnoscitur Episcopo quasi-ordinaria potestas dispensandi, quoties agitur de impedimento occulto, in quo Sedes Apostolica dispensare consuevit.

7. Formula petendi ab Episcopo dispensationem pro eo, qui vovit ingredi Religionem strictiorem, ut possit amplecti Ordinem minus strictum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Petrus N., dioecesis Vestrae subditus, nuper votum emiserat ingrediendae Religionis Carthusianorum, quod nunc cupit, ut relaxetur ita, ut sibi liceat alium Ordinem a S. Sede approbatum, sed minus strictum, ingredi.

Causae sunt: Corporis debilitas, ob quam timet, ne non ferat illius Ordines rigorem.

Vel:

Experientia, qua didicit, perpetua a carnibus abstinentiam propter nauseam stomachi se ferre non posse.

8. Formula petendi ab Episcopo dispensationem pro coniuge, quae vovit nunquam petere debitum coniugale.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Exponitur humiliter Illustrissimae Vestrae Gratiae ex parte devotae Ipsius Oratricis N. N. legitimo Matrimonio coniunctae, quod, cum praefata Oratrix nuper votum emiserit nunquam exigendi debitum coniugale, illudque votum iam ipsi ob continuas et molestas, quibus divexatur, tentationes factum sit admodum difficile, immo in magno versetur periculo votum suum praevaricandi, humiliter supplicat, ut Illustrissima Vestra Gratia cum illa misericorditer dispensare, vel votum hoc in alia pietatis opera commutare dignetur etc.

9. Formula supplicationis pro dispensatione super proclamationibus obtinenda.

Reverendissime Vicariatus Generalis,

Exponitur humiliter, quod N. N., ex parochia N., humana fragilitate devicta, copula habuerit cum sponso N. N. ex eaque gravida exsistat. At vero cum sponsus antea absens nunc redierit iamque tempus pariendi instet, Oratores, de crimine admisso poenitentes, enixe rogant, ut ipsis concedatur dispensatio super duabus proclamationibus, cum alias, si Oratrix ante nuptias partum ederet, scandala ac iurgia forent timenda. Oratores autem canonico impedimento non sunt obstricti, qua de re diligentem habui inquisitionem. Unde preces commendans subscribo etc.

10. Formula petendi consilium ab Ordinario quoad viduos, qui non possunt afferre certum testimonium de morte prioris coniugis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Petrus N. Matrimonium rite et servatis de iure servandis, contrahere intendit cum Bertha N., parochiana mea. Sed cum praedictus Petrus legitimo fuerit Matrimonio iunctus cum Anna N., quam asserit obiisse in civitate N. die N. mensis N., anni N., paratus quoque sit praestare iuramentum, rem revera ita se habere, de cuius tamen obitu certum aliud et indubitatum non affert testimonium, dicens, id sibi propter locorum distantiam esse impossibile; ad Matrimonii solemnizationem procedere non audeo, nisi Illustrissimae Vestrae Gratiae mandatum accepero. Videtur interim Matrimonium diu differri non posse; nam cum sponsa gravida iam sit vicina partui, periculum est, ne patiatur famae totale dispendium, si diutius nuptiae differantur. His ergo attentis, dignetur Illustrissima Dignitas Vestra suam mentem declarare illi, qui in omnimoda veneratione subscribit etc.

11. Formula petendi consilium ab Ordinario quoad vagum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Petrus N. Matrimonium rite, servatis de iure servandis, contrahere intendit cum Anna N. parochiana mea: sed cum praedictus Petrus sit vagus, nullibi certum habens domicilium, mihi de eiusdem libertate non constat: facta quidem pro ratione muneris mei diligenti inquisitione, nihil potui invenire, quod ipsius libertati, vel parentum consensui utcumque obesset; tamen cum haec mihi non sint plane perspecta, ad Illustrissimam Vestram Dignitatem recursum habere compellor, ut mihi suam voluntatem dignetur scripto intimare, mihique dare in mandatis, quid in hoc casu agi velit.

In omnimoda veneratione subscribo etc.

12. Formula petendi consilium ab Ordinario, si factis proclamationibus denuntietur aliquod impedimentum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Facta per me prima proclamatione in ordine ad Matrimonium Petri M. parochiani ad sanct. A. in B. et Annae N. parochianae meae, intellexi, praedictam sponsam esse per legitima sponsalia ligatam Joanni N. parochiano meo, qui proinde praetenso illius Matrimonio se opponit. *Vel:* Intellexi, praefatos sponsos esse affines in primo gradu propter carnalem copulam, quam habuit sponsus cum sorore sponsae suae. *Vel:* Sponsum in Baptismo suscepisse prolem suae sponsae, atque ideo ipsi esse spirituali cognatione coniunctum.

Unde humiliter supplico, ut Illustrissima Vestra Gratia mihi intimare dignetur, quid hoc in casu fieri velit. Ad ulteriores proclamationes non procedam, nisi prius Illustrissimae Dominationis Vestrae mentem intellexero.

13. Formula supplicationis pro dispensatione super tempore clauso, ubi tum temporis contrahere non licet.

Reverendissime Vicariatus Generalis,

Vincentius N., in parochia N. habitans et Rosa N., parochiana mea, iam diu sponsalia contraxerunt, variis vero difficultatibus obstantibus, nuptias facere non potuerunt. Quibus tamen sublatis quum ex diuturniore Matrimonii dilatione gravissima damna Oratoribus eorumque rei domesticae immineant, Reverendissimo Vicariatui Gen. humillimi supplicant, ut super impedimento temporis clausi dispensare dignetur. Quam benignitatem ut Oratoribus, nullo impedimento canonico, quantum mihi ex diligenti inquisitione constare potest, obstrictis

impertiatur, suas cum illorum precibus coniungens, Reverendissimum Vicariatum Generalem submisse rogat etc. N. . . .

14. Formula petendi dispensationem a Sacro Officio super impedimento mixtae religionis.

Beatissime Pater,

Anna N , annos nata . . ., mulier catholica Dioecesis N., matrimonium inire cupit cum Paulo N. viro acatholico quocum etiam affinis est in primo gradu, quia sponsus est viduus ex sorore Oratricis. Hinc clementissimam dispensationem implorant. Conditionibus ab Ecclesia praescriptis de amovendo a catholica coniuge perversionis periculo, de conversione coniugis acatholici ab ipsa pro viribus procuranda, praesertim vero de universa prole utriusque sexus tam natae quam nasciturae in catholicae religionis sanctitate educanda satisfactum est (sive satisfacere parati sunt). Causae dispensationis sunt: educatio 2 filiorum Oratoris vidui et periculum matrimonii civilis.

(Preces ab Ordinario commendandae sunt.)

NB. Non requiritur expressio paupertatis, quia S. Officium dispensat tum pauperes, tum divites: taxae solvendae pro utrisque sunt 14 libellae in totum.

15. Formula petendi dispensationem a Sancta Sede super impedimento publico ad matrimonium contrahendum.

Beatissime Pater,

Petrus N , annos natus (ex. gr. 30) et Anna N., annos nata (ex. gr. 25), uterque Dioecesis N., cupiunt invicem matrimonialiter copulari. Obstant vero impedimenta: a) *primi gradus affinitatis,* quia Orator est viduus ex sorore Oratricis; b) *cognationis*

spiritualis in secunda specie, quia Oratrix prolem Oratoris e sacro fonte levavit. Hinc clementissimam dispensationem implorant. Causae sunt:

1) angustia loci,
2) aetas superadulta,
3) educatio trium filiorum Oratoris vidui.

Oratores offerunt (ex. gr.) 50 libellas in totum; *vel:* oratores sunt pauperes, offerunt tamen (ex. gr.) 12 libellas in totum; *vel:* Oratores sunt adeo pauperes, ut nihil solvere possint.

Preces commendandae sunt a Reverendissimo Ordinario his vel similibus verbis: *Preces Oratorum in Domino commendat N. N. Episcopus;* vel *N. N. Vicarius Generalis;* vel *N. N. Officialis.*

Vel:

Beatissime Pater,

Joannes N., annos natus . . ., et Anna N., annos nata . . ., uterque Dioecesis N., cupiunt invicem matrimonialiter copulari. Obstat vero *impedimentum criminis* ex adulterio cum promissione futuri matrimonii et *forsan* [1]) impedimentum *primi gradus aff.* ex copula illicita Oratricis cum filio Oratoris. Hinc clementissimam dispensationem implorant. Causae sunt: proles adulterina, educatio duorum filiorum impuberum Oratoris vidui, cohabitatio sub eodem tecto, periculum matrimonii civilis.

Oratores sunt canonice pauperes, offerunt tamen 30 libellas in totum.

NB. Hae supplicationes, sive Datariae Apostolicae sive S. Poenitentiariae porriguntur, inscribuntur ipsi Papae, quamquam Papa non semper per seipsum immediate dispensat [supplicationes

---

[1]) Quoties agitur de impedimento dubio hoc etiam exprimendum est, ut desuper dispensetur ad cautelam.

vero, quibus a Sacra Poenitentiaria *pro foro interno* in occultis impedimentis dispensationes petuntur, inscribuntur sive ipsi Papae sive Cardinali Poenitentiario maiori]. — Aetas utriusque sponsi semper indicanda est; Dataria enim Apostolica non iam dispensat, priusquam doceatur de aetate oratorum. — Si oratores sunt ex diversis dioecesibus hoc est indicandum. — Diversa impedimenta nunc cum eorum provenientia exponenda sunt prout supra habetur pagina 350 sq. Causae paucis verbis indicentur, uti supra pag. 365 sq. dictum est et quidem *ita, ut primo obtutu conspici possint.* — Si dispensatio unius impedimenti reservatur Sanctae Sedi, etiam alia, si quae sunt, per cohaerentiam eidem reservantur. — Omnes preces *pro foro externo* in causis matrimonialibus, quae S. Sedi porriguntur, *commendandae sunt ab Ordinario.* — In precibus, quas parochi conficiunt et ad Cancellariam episcopalem transmittunt, omnia fusius explicentur, si hoc a dicta Cancellaria desideratur: ita indicanda est paroecia utriusque oratoris, addendum schema impedimenti; causae dispensationis aliquantenus explicentur, status fortunae clarius exponatur: quae omnia optime inservire possunt ad informandam Curiam episcopalem, minime vero requiruntur in supplica S. Sedi porrigenda. — Formulae supplicandi apud Episcopum vel Nuntium Apostolicum sunt eaedem, quibus supplicatur apud Summum Pontificem, nisi mutatis mutandis in titulo.

16. Formula petendi dispensationem a Sancta Sede super impedimento publico in matrimonio bona fide contracto.

Beatissime Pater,

Petrus N. et Anna N., uterque Dioecesis N., die . . . mensis . . . anni . . matrimonium bona

fide publice in facie Ecclesiae inter se contraxerunt, invalide tamen, quia obstabat impedimentum quarti gradus consang., quod tunc ignorabant. Cupientes modo illud convalidare Sanctitatem Vestram de opportunae dispensationis gratia humillime deprecantur ad vitanda scandala, quae ex eorum divortio sequerentur.

Vel:

Beatissime Pater,

Petrus N. et Anna N., uterque Dioecesis N., ante novem annos matrimonium bona fide publice in facie Ecclesiae inter se contraxerunt, obtenta ab Ordinario, ex speciali facultate, dispensatione super II gradu consanguinitatis (*sive*: obtenta dispensatione super II gradu cons. per Rescriptum S. Poenit. d. d. . . .; *sive:* obtenta a Dataria Apostolica dispensatione super II gradu consg. per Breve d. d. . . .). Nunc vero innotuit, Oratores etiam quarto gradu consg. ex alio stipite coniunctos esse. Cupientes modo illud convalidare Sanctitatem Vestram de opportunae dispensationis gratia humillime deprecantur ad vitanda scandala, quae ex eorum divortio sequerentur, praesertim quum iam tres liberos susceperint.

NB. In praedicto formulari non requiritur expressio aetatis oratorum; non requiritur indicatio, utrum oratores sint pauperes necne, quia dispensatio in casu a S. Poenitentiaria conceditur et quidem gratis omnino tam pro pauperibus quam pro divitibus. — Praeviae dispensationes necnon tempus, quo matrimonium bona fide contractum erat, exacte indicentur, in quantum fieri potest. — Si ex matrimonio pututivo iam adsint filii, hoc semper indicandum est.

17. Formula petendi dispensationem a Sancta Sede super impedimento publico in matrimonio mala fide contracto.

Beatissime Pater,

Petrus N. et Anna N., uterque Dioecesis N., consanguinei in quarto gradu tangente tertium, die . . . mensis . . . anni . . . matrimonium publice in facie Ecclesiae inter se contraxerunt, mala tamen fide, quum super praedicto impedimento dispensationem non obtinuerint. De commissis nunc summopere dolent; et cupientes modo, matrimonium suum convalidari, S. Vam de opportunae dispensationis gratia humillime deprecantur. Causae sunt: Scandala vitanda, quae ex eorum divortio sequerentur, quum oratores communiter pro coniugibus legitimis habeantur; duo filii ex praedicto matrimonio nati. Oratores sunt pauperes, possunt tamen solvere 80 libellos in totum (sive: Oratores sunt ita pauperes, ut nihil valeant persolvere).

NB. Semper exprimendum, utrum oratores, qui mala fide contraxerunt, sint pauperes necne; si sunt pauperes, dispensatio conceditur a S. Poenit., alias a Dataria Apostolica (cfr. supra p, 341 not, 1).

18. Formula petendi dispensationem a S. Poenitentiaria super impedimento occulto ad matrimonium contrahendum.

Beatissime Pater,

Sempronius matrimonium contrahere cupit cum Caia, cuius sororem ad praesens defunctam carnaliter cognovit. Quum vero orator ob impedimentum ex praemissis proveniens, quod occultum est, eiusmodi matrimonium contrahere nequeat absque Sedis Apostolicae dispensatione, hinc pro suae conscientae quiete cupit, ut in praemissis, de quibus plurimum dolet, absolvatur et dispensationem accipiat. Nupturientes, qui insuper coniuncti sunt

in tertio tangente secundum consang. gradu pro opportuna dispensatione recursum in foro externo instituerunt.

Vel:

Beatissime Pater,

Sempronius matrimonium contrahere cupit cum Caia vidua. Obstat vero impedimentum criminis ex adulterio cum machinatione utriusque, quia Caia, consentiente immo suadente Sempronio, venenum medicinae aegroti viri sui infundebat, ex quo iste biduo post mortuus est. Nunc vero de crimine commisso, quod omnino occultum est, summopere dolentes, clementissimam dispensationem implorant. Causa est graviditas sponsae ex praedicto adulterio.

NB. Ob sigillum sacramentale Confessarius non exponat nisi stricte necessarium tum quoad personam tum quoad rem. — Non requiritur commendatio Ordinarii. Quoties agitur de impedimento ex copula illicita ortum: si pars complex iam defuncta est, id semper exprimi debet. — Si agitur de duobus impedimentis, uno occulto et publico altero, tunc, *permittente id poenitente*, pro utroque dispensatio peti potest in foro externo et hoc ipso etiam impedimentum occultum habetur ut publicum. Alioquin recursus pro obtinenda dispensatione in impedimento publico institui potest sive apud Episcopum sive apud Sanctam Sedem, nec ulla mentio facienda est de impedimento occulto. In recursu autem pro obtinenda dispensatione ab occulto impedimento publici impedimenti, si etiam adest, seu potius obtentae ab eo dispensationis, mentio fieri debet.

19. Formula petendi dispensationem a Sacra Poenitentiaria super impedimento occulto in matrimonio sive bona sive mala fide contracto.

Beatissime Pater,

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devoti Ipsius Oratoris Titii, quod ipse, alias impedimenti conscius *(vel ignarus)* Matrimonium in facie Ecclesiae contraxerit et consummaverit cum muliere, cuius sororem *(vel matrem, prout veritas exigit)* antea carnaliter cognoverat. Cum autem dictus Orator ob affinitatis impedimentum ex dictis proveniens, quod occultum est, in eo Matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicae dispensatione, et si divortium inter eos fieret, scandala exinde orirentur, cupit, a praemissis, de quibus summe dolet, absolutionem et super impedimento ad remanendum in dicto Matrimonio dispensationem obtinere *(si proles ex eo suscepta sit, addatur :* prolisque legitimationem).

20. Formula petendi dispensationem a Sacra Poenitentiaria super impedimento, quod occultum vel sit vel dici possit in matrimonio sive bona sive mala fide contracto in utroque foro.

Beatissime Pater,

Petrus N. et Anna N., uterque Dioecesis N., ante septem annos (bona vel) mala fide in facie Ecclesiae contraxerunt scientes, se teneri impedimento primi gradus affinitatis ex copula illicita Oratoris cum defuncta sorore Oratricis, ex quo matrimonio iam tres susceperunt filios. Nunc vero criminis commissi poenitentes, clementissimam dispensationem implorant.

NB. Expressio paupertatis non requiritur, quia S. Poenitentiaria in casu dispensat, sive oratores sint pauperes sive non. — Non requiritur com-

mendatio Ordinarii, licet dispensatio impertiatur pro utroque foro.

21. Formula petendi a S. Sede sanationem matrimonii in radice pro foro externo.

Beatissime Pater,

Petrus N. et Anna N., uterque Dioecesis N., ante mensem matrimonium in facie Ecclesiae contraxerunt, obtenta dispensatione super tertio gradu consang. per Rescriptum S. Poenit. d. d. . . . Nunc vero parocho eorum innotuit, eosdem etiam in quarto gradu esse consanguineos ex alio stipite. Coniuges adhuc in optima fide perseverant et ob periculum scandali moraliter impossibile evadit eosdem monere de privata consensus renovatione. Hinc infrascriptus Ordinarius Sanctitati Vestrae supplicatur pro sanatione matrimonii in radice.

Vel:

Beatissime Pater,

Petrus N., annos natus . . ., et Anna N., annos nata . . ., uterque Dioecesis N., ante decem annos matrimonium civile inierunt, ex quo iam tres liberos susceperunt. Mulier maxime dolet de crimine commisso et parata est ad omnia, ut S. Matri Ecclesiae reconcilietur et iterum ad S. Sacramenta suscipienda admittatur. Ipsius autem vir, hostiles nutriens affectus erga omnem religionem, vult quidem in matrimonio remanere, omnino vero renuit renovare consensum in forma Ecclesiae sive publice sive privatim: hinc ad consulendum conscientiae oratricis infrascriptus Ordinarius S. V. humillime supplicatur, ut praedictum matrimonium in radice sanare dignetur.

NB. In priore casu suprascriptae formulae preces regulariter porriguntur S. Poenitentiariae; in

altero casu regulariter porriguntur S. Officio. — Prout obtineri potest sanatio matrimonii civilis, ita etiam obtineri potest sanatio matrimonii mixti absque dispensatione et invalide initi, dummodo praestentur consuetae cautelae.

22. Formula petendi a S. Poenitentiaria sanationem matrimonii in radice pro foro interno.

Beatissime pater,

Caia, in matrimonio constituta, confessionem generalem peragens, se accusavit de commercio carnali habito cum fratre viri sui ante matrimonium contractum. Caia omnino ignorat impedimentum exinde exortum, quod occultum est. Ex altera parte iuste timendum, ne ipsa, iam diu pertaesa de consuetudine viri sui, hunc deserat, si resciret, matrimonium suum esse invalidum. Hinc ad praecavenda scandala confessarius scribens Sanctitati Vestrae supplicatur, ut praedictum matrimonium in radice sanare dignetur.

23. Formula petendi a S. Sede sanationem dispensationis, quam *Perinde valere* dicunt.

Beatissime Pater,

Petrus N. et Anna N., Dioecesis N., Rescripto S. Poenit. d. d. . . . (sive: a Dataria Apostolica per Breve d. d. . . .) dispensationem obtinuerunt super primo gradu affinitatis. Nunc vero innotuit, eosdem etiam teneri impedimento cognationis spiritualis in secunda specie, quia Oratrix prolem Oratoris e sacro fonte levavit: hinc dispensationem etiam super hoc impedimento implorant.

NB. Si prima dispensatio data est a S. Poenitentiaria, preces huc remittendae sunt; si data est a Dataria Apostolica, etiam haec concedere debet *Perinde valere*. — Quum in supplica pro

obtinenda dispensatione in I gradu aff. iam adductae fuerint causae et aliae indicationes, hae in praesenti formulari praetermittuntur. S. Sedes igitur *ante* matrimonium primas litteras sanat et convalidat, perinde ac si ab initio etiam super impedimento noviter adducto expeditae fuissent. — At si, obtenta prima dispensatione, oratores matrimonium contraxerunt et *postea* appareat aliud impedimentum, tunc non est supplicandum pro *Perinde valere,* sed pro *nova dispensatione* in matrimonio contracto.

24. Formula petendi ab Episcopo vel Nuntio Apostolico dispensationem super impedimento publico ad matrimonium contrahendum.

Reverendissime et illustrissime *(vel:* Celsissime, prout dignitas personae exigit) Domine,

Paulus N., annos natus . . . et Margarita N., annos nata . . ., parochiani mei, consanguinei in quarto gradu tangente tertium (prout ex schemate apposito apparet), cupientes invicem matrimonialiter coniungi clementissimam dispensationem implorant. Causae sunt: Aetas superadulta, oratrix orphana utroque parente orbata, propositum contrahendi propalatum. Oratores sunt canonice pauperes, possident tamen bona, quorum valor est circiter . . . Petitur, ut eisdem pro omnibus dispensationis expensis non plus quam decem marcae imponantur *(sive:* Oratores sunt adeo pauperes, ut nihil solvere valeant).

Omni venerationis et subiectionis affectu permaneo

Magnitudinis Vestrae Reverendissimae *(vel:* Celsitudinis Vestrae Reverendissimae)

devotissimus filius

N. N. parochus loci N. (Dioecesis N.).

Vel:

Reverendissime et Illustrissime (*vel:* Celsissime, prout dignitas personae exigit) Domine,

Paulus N., annos natus . . . Dioecesis N., et Margarita N., annos nata . . ., parochiana mea cupiunt invicem matrimonialiter coniungi. Obstat vero impedimentum primi gradus aff. ex copula illicita habita ab Oratore cum sorore Oraticis in praesens defuncta, necnon publicae honestatis ex sponsalibus ab Oratore cum eadem Oratricis sorore initis: hinc clementissimam dispensationem implorant. Causae sunt: incestus cum graviditate sponsae, concubinatus tollendus. Quum sponsa proxime paritura sit, petitur, ut dispensatio quantocius concedatur, Oratores sunt ita pauperes, ut ne obolum quidem valeant persolvere. (Concluditur ut supra.)

NB. Vi Quinquennalium fori externi sub n⁰ 3 Episcopus potest dispensare in IV tangente III gradum: in quo casu dispensari solet super utroque gradu. — Si preces diriguntur ad proprium Ordinarium, expressio Dioecesis sane non requiritur; requiritur vero, si preces porriguntur Nuntio Apostolico. — In casu hic secundo loco posito Episcopus uti debet: a) facultate sua speciali dispensandi in determinato numero casuum super I gradu aff. ex copula illicita; b) Quinquennalibus fori externi sub earum n⁰ 4.

25. Formula supplicationis pro dispensatione super impedimento mixtae religionis obtinenda ab Ordinario.

Reverendissime Vicariatus Generalis,

N. N. parochiana mea, matrimonium inire cupit cum N. N. viro acatholico. Conditionibus ab Ecclesia praescriptis de amovendo a catholica coniuge perversionis periculo, de conversione coniugis

acatholici ab ipsa pro viribus procuranda, praesertim vero de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate educanda opportunis cautionibus utraque pars satisfacere parata est (vel: *satisfecit, prout apposita hisce litteris acta publica testantur).*

Causae sunt: (hic ponantur rationes, ob quas vel sponsi cupiunt, vel parochus convenire putat, ut matrimonium illud ineatur, v. g.) copula inter sponsos habita, proles concepta, periculum matrimonii mere civilis, periculum defectionis a fide.

Quare humillime rogo, ut, data super impedimento mixtae religionis dispensatione, huic Matrimonio assistendi facultas mihi concedatur.

(Addatur publicum instrumentum de educatione prolis in religione catholica, si cautiones iam praestitae sint.)

NB. S. Officium Episcopis concedit facultatem dispensandi in impedimento mixtae religionis, quam facultatem saepe restringit ad casus urgentiores; eisdem rogantibus insuper concedit indultum dispensandi in casu, quo mixta religio concurrit cum alio impedimento dirimente.

26. Formula petendi ab Episcopo vel Nuntio Apostolico dispensationem super impedimento publico in matrimonio contracto.

Reverendissime et Illustrissime *(vel:* Celsissime) Domine,

Paulus N. et Margarita N. parochiani mei, praemissis denuntiationibus in facie Ecclesiae bona fide contraxerunt matrimonium, ex quo iam duos filios susceperunt. Nunc vero innotuit, eos esse consanguineos in tertio gradu (prout apparet ex schemate apposito); hinc ad vitanda scandala, quae ex eorum divortio sequerentur, matrimonium suum convalidare cupiunt et opportunam dispensationem implorant.

NB. Vi Quinquennalium fori externi sub n⁰ 3 Episcopi dispensare possunt in III gradu cons. etiam in matrimonio contracto. — Modus supplicandi idem est eo casu, quo, obtenta dispensatione super uno impedimento, contraxerunt et deinde aliud impedimentum detexerunt.

27. Formula petendi ab Episcopo vel Nuntio Apostolico dispensationem super impedimento occulto ad matrimonium contrahendum.

Reverendissime et Illustrissime *(vel:* Celsissime) Domine,

Sempronius matrimonium inire cupit cum Caia, cuius matrem post nativitatem Caiae carnaliter cognovit. Impedimentum ex eo proveniens est occultum. Sempronius, ignorans eiusmodi impedimentum, Caiae matrimonium promisit et rem carnalem cum ea habuit, ex qua gravida evasit. Quum omnia parata sint ad nuptias, et matrimonium, usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri nequeat, Sempronius, de crimine commisso summopere dolens, Magnitudini (vel Celsitudini) Vestrae Reverendissimae supplicatur pro opportuna dispensatione.

In quorum fidem.

N. N. parochus et Confessarius loci N.

NB. Episcopis in diversis impedimentis occultis vel facultate ordinaria vel vi Quinquennalium fori interni dispensare potest pro matrimoniis contrahendis, quatenus recursus ad S. Sedem institui nequeat. — Quoties agitur de copula cum matre sponsae, dispensatio non datur, nisi illa secuta fuerit post eiusdem sponsae nativitatem. Quae adest affinitas in linea recta, dispensationem non excludit, quando oritur ex copula illicita.

28. Formula petendi ab Episcopo vel Nuntio Apostolico dispensationem super impedimento occulto in matrimonio contracto.

Reverendissime et Illustrissime *(vel:* Celsissime) Domine,

Caia ante quinque annos matrimonium in facie Ecclesiae contraxit cum Sempronio viduo. Tempore missionum confessionem generalem instituentes, mihi infrascripto parocho et confessario aperuerunt peccata, ex quibus apparet, dicto matrimonio duo obfuisse impedimenta occulta scilicet: impedimentum criminis (neutro tamen machinante), quia vivente adhuc uxore Sempronii, Caia et Sempronius adulterium commiserunt cum promissione futuri matrimonii; necnon impedimentum primi gradus affinitatis ex copula illicita inter Sempronium et sororem Caiae ad praesens defunctam. Coniuges putativi summopere dolent de commissis et humillime implorant opportunam dispensationem, quia absque gravissimo scandalo separari nequeant. (Concluditur ut supra.)

NB. Si impedimentum criminis (neutro machinante) est publicum, Episcopus dispensare potest vi Quinquennalium fori externi sub n° 5 in matrimonio contrahendo tantum; si est occultum, dispensare potest vi Quinquennalium fori interni sub n° XII sive in matrimonio contrahendo sive in contracto: in contrahendo, quatenus recursus ad S. Sedem institui nequeat, in contracto absque eiusmodi restrictione. — Quinquennalibus fori interni Episcopus in uno eodemque casu etiam cumulative uti potest.

29. Formula petendi ab Episcopo *Perinde valere* ad convalidandas litteras dispensatorias.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Nicolaus N. et Anna N. parochiani mei ante decem annos matrimonium in facie Ecclesiae con-

traxerunt, obtenta a S. Sede dispensatione super II gradu consanguinitatis. Quum vero post missas preces et ante dispensationis exsecutionem incestum inter se commiserint, eorum matrimonium invalidum fuit: hinc Amplitudini Vestrae humillime supplicant pro convalidatione litterarum dispensationis ad effectum iterum valide contrahendi.

NB. Usus facultatis, de qua in precibus, locum habet, si dispensatio facta est ante diem 25. Jun. 1885, secundum ea, quae dicta sunt pag. 353, et tunc locum habere potest pro matrimonio contracto invalide ob incestum reticitum in precibus, aut patratum post missas preces et ante dispensationis exsecutionem, aut iteratum durante tempore separationis vi litterarum apostolicarum indictae: quae facultas Episcopis conceditur a S. Poenitentiaria.

30. Formula petendi ab Episcopo facultatem restituendi ius petendi debitum coniugale.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Petrus coniugatus, contracto Matrimonio, cum uxoris consanguinea (primi vel secundi gradus) copulam habuit carnalem et ius petendi debitum coniugale exinde amisit. Cum autem servare cum coniuge castitatem vix possit, et incestus sit occultus, humillime supplico, ut mihi facultas concedatur, eidem ius amissum dispensando restituendi, etc.

NB. Episcopi praedicta facultate gaudent sive vi Quinquennalium fori interni sub n⁰ X sive alia via. — Si adulterium commissum est publicum, facultas restituendi ius petendi debitum exstat in Quinquennalibus fori externi sub n⁰ 5: quo casu verum nomen oratoris exprimi debet.

31. Formula processus informatorii ad commissorium in causa dispensationis publica.

Plurimum Reverende Domine Vicari Generalis,

Ex diligenti inquisitione in causas ab Oratoribus Hermanno N. et Maria N. ad impetrandam dispensationem Apostolicam super primi aequalis affinitatis gradus impedimento allegatas, cuius rei officium plurimum reverenda Dignitas Vestra die . . . mihi demandare dignata est, intellexi, eosdem supradicto affinitatis gradu reapse praepediri, quominus Matrimonio valide iungi queant, in casu vero denegatae dispensationis non solum Oratricem turpiter cognitam ab Oratore diffamatam et innuptam remansuram, verum etiam pertimescendum esse, ne ambo a fide catholica desciscant. Quarum veritatem causarum testificans simul fidem facio, eosdem vere orthodoxae fidei cultores esse, sub obedientia sanctae Romanae Ecclesiae vivere, ulteriusque sub illa vivere et mori intendere et Oratricem raptam non fuisse. Praeterea testor, eosdem vere canonice pauperes et miserabiles esse, manuum suarum labore et industria dumtaxat vivere, ullique taxae persolvendae impares esse. Quae cum ita sint, plurimum reverendam Dignitatem Vestram etiam atque etiam rogo, ut suprafatis Oratoribus, qui separati sunt, et per me veniam contriti precantur, Apostolicae dispensationis gratiam benigne impertire[1]) dignetur.

NB. Si alia sunt impedimenta, ut cognatio spiritualis, publica honestas, haec simul cum causis petendae dispensationis explicentur: in reliquo petitio fiat ad normam formulae 24 et seqq.

---

[1]) Quodsi super tempore clauso, vel super proclamationibus dispensatione opus sit, hic inserenda est clausula concernens.

32. Formula petendi authorizationem ad assistendum Matrimonio in casu dubii domicilii

Reverende Domine Pastor,

Anna N., parochiana mea, Matrimonium rite contrahere intendens cum uno ex vestris, a sex aut septem diebus declinandae cuiusdam molestiae causa ad parochiam vestram profugit, proinde domicilium mutasse neutiquam videtur, cum adhuc totam supellectilem suam in domo parentum reliquerit, et, ut asserit, nunquam animum habuerit deserendi parochiam meam, sed asylum dumtaxat in parochia vestra quaesierit. Sed cum vi Tridentini Decreti (uti Reverentia vestra novit) Matrimonii valor a proprii parochi assistentia dependeat, nihil inconsulta Reverentia vestra hic volui attentare; rogo itaque Reverentiam vestram, ut, pro omni securitate, me ad assistendum praefato Matrimonio authorizare dignetur, prout in istiusmodi casibus fieri assolet, dum de domicilii mutatione dubium utcumque suboritur. Id ergo confidenter exspectans, omni cum veneratione subscribo etc.

33. Formula consulendi Episcopum circa sepulturam:

a) illius, qui non satisfecit praecepto Communionis paschalis.

Reverendissime ac Illustrissime Vicariatus Generalis,

Petrus N., parochianus meus, morte subitanea ex hac vita ereptus est die hodierna; sed cum dictus Petrus iam per aliquot annos, non obstantibus iteratis monitionibus et adhortationibus meis, satisfacere pertinaciter noluerit praecepto ecclesiastico de annua Communione, cumque eiusmodi rebelles peccatores iuxta sacrorum canonum statuta

debeant christiana sepultura privari, humiliter supplico, ut Reverendissimus Vicariatus Generalis mihi intimare dignetur, quomodo id agi velit.

b) illius, qui tamquam publicus peccator sine poenitentia defunctus est.

Reverendissime Vicariatus Generalis,

Petrus N., parochianus meus, iam a longo tempore vivens in concubinatu de totius viciniae notitia, et cum publico omnium scandalo, spretis etiam iteratis monitionibus meis, nocte praecedente in hoc lugendo statu, sine ullis poenitentiae signis, improvisa morte ex hac vita sublatus est *(si de alio crimine agatur, illud exprimatur una cum eius publicitate)*; cum autem Ritualia eiusmodi peccatoribus publicis ecclesiasticam sepulturam negandam esse decernant, a Reverendissimo Vicariatu Generali supplex expostulo, ut, quomodo hoc in casu id agi velit, statuere dignetur.

34. Formula petendi indulgentias a S. Sede.

Beatissime Pater,

Rector Ecclesiae parochialis sub titulo Assumptionis B. Mariae V., loci N., Dioecesis N., devotissime petit, ut Sanctitas Vestra concedere dignetur, quatenus Christifideles, visitantes dictam ecclesiam, Indulgentiam Plenariam, sub consuetis conditionibus, lucrari valeant: festo Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. Pro qua gratia etc.

NB. Per Secretariam Brevium Summus Pontifex concedit usque ad quattuor Indulgentias Plenarias pro una eademque Ecclesia. Hae vero Indulgentiae Ordinario loci praesentandae sunt, ut permittat earum publicationem in paroecia.

35. Formula petendi a S. Officio dispensationem super ieiunio naturali ante S. Communionem.

Beatissime Pater,

Petrus N., Dioecesis N., tanta corporis debilitate tantoque stomachi languore premitur, ut eidem moraliter impossibile evadat observare ieiunium naturale praescriptum ad S. Communionem recipiendam. Hinc humilis Orator a Sanctitate Vestra supplici genu postulat, quatenus ipsi concedere dignetur facultatem sumendi aliquid per modum potus, antequam ad sacram synaxim recipiendam accedat. Pro qua gratia etc.

NB. Si agitur de persona laica petitum indultum conceditur pro s. Communione semel vel bis in mense, pro persona ecclesiastica vel religiosa semel vel bis in hebdomada.



Index rerum II. Partis.

D.

Q.

R.

S.

T.



MANUALE SACERDOTUM.

AUCTORE

P. JOSEPHO SCHNEIDER, S. J.

EDIDIT

P. AUG. LEHMKUHL, S. J.

APPENDIX II:

PREGHIERE PER GLI INFERMI ED I MORIBONDI.

SUPERIORIBUS ECCLES. APPROBANTIBUS.



J. P. BACHEM, COLONIAE AD RH.

1899

Haec **appendix precum**, iam antea probata, ut denuo typis mandetur, facultatem concedimus, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaeten prope Roermond
d. 29. Junii 1899.

(L. S.) **Henricus Haan,**
Praepositus Provinciae Germaniae S. J.

Imprimatur.

Coloniae die 28. Junii 1899.

Dr. Kreutzwald,
Vic. cap.

J.-Nr. 2720.

APPENDIX II.

I. Preghiere per gli infermi.

1. Avanti la S. Communione (il Viatico).

Mio Gesù! Io credo fermamente tutto ciò, che per la santa Chiesa cattolica ci proponete a credere, perchè Voi, che siete la stessa verità eterna ed infallibile, ce lo avete rivelato. Ma soprattutto credo, che Voi siete veramente, realmente ed essenzialmente, in corpo e anima, carne e sangue, divinità ed umanità presente nel santissimo Sacramento dell' altare, e in questa fede voglio vivere e morire.

Mio Gesù! Io spero in Voi, e spero del pari di ottenere da Voi, per questo santissimo Sacramento, la beatitudine celeste, come pure tutto ciò che mi è necessario ed utile a tal fine, perchè Voi, Dio onnipotente, misericordioso e fedele, ce lo avete promesso. Di più spero fermamente, che Voi mi renderete capace di ribattere tutte le tentazioni e tutti gli assalti dello spirito infernale, e di così perseverare nella grazia e nel vostro santo amore fino all' ultimo respiro.

Mio Gesù! Io Vi amo con tutto il cuore, sopro ogni cosa, perchè Voi siete il sommo ed amabilissimo mio Bene.

Mio Gesù! Io mi pento dei peccati tutti della mia vita, perchè con essi ho mosso asdegno ed oltraggiato Voi, il mio clementissimo Iddio, che adesso amo sopra ogni cosa.

Mio Gesù! Vi adoro in questo santissimo Sacramento, perchè Voi siete il mio Signore ed il mio Dio, il mio Redentore ed il mio Salvatore.

Mio Gesù! Non son degno, che Voi entriate sotto il mio tetto, ma dite una sola parola, e tosto sarà guarita l'anima mia.

Mio Gesù! Il mio povero cuore Vi desidera e Vi sospira; orsù venite, visitatemi, confortatemi, conservatemi nella vostra grazia!

Il corpo di Gesù Cristo, nostro Signore, custodisca l'anima mia per la vita eterna. Così sia.

2. Dopo la S. Communione.

Ho trovato colui, che ama l'anima mia; lo voglio tenere e giammai lasciarlo.

Mio Gesù! Io credo in Voi, perchè siete l'eterna verità.

Mio Gesù! Io spero in Voi, perchè siete la stessa bontà e misericordia infinita.

Mio Gesù! Io Vi amo con tutto il mio cuore, perchè siete il mio sommo ed amabilissimo Bene. Sarei affatto senza cuore, se non Vi amassi sopra ogni cosa.

Mio Gesù! Donde mi viene questa grazia, che Voi, mio Dio e mio Signore, Vi degnate visitare un misero peccatore, quale son io?

Mio Gesù! Io mi offro tutto a Voi in sacrifizio, col corpe e coll' anima; — con tutto ciò che sono e che posseggo, io mi consacro al vostro servizio ed al vostro onore; — disponete di me a vostro piacimento.

Gesù, per Voi io vivo! — Gesù, per Voi io muojo! Gesù, io sono vostro in vita ed in morte! Così sia.

Anima Cristi:

Anima di Cristo santificatemi!
Corpo di Cristo salvatemi!
Sangue di Cristo inebbriatemi!
Acqua del lato di Cristo lavatemi!

Passione de Cristo confortatemi!
O clementissimo Gesù esauditemi!
Nelle vostre sacratissime piaghe nascondetemi!
Da Voi giammai separatemi!
Dallo spirito malo difendetemi!
Nell'ora di mia morte chiamatemi!
Di venire a Voi commandatemi!
Di lodarvi con tutti i Santi permettetemi!
Nel Vostro regno eternamente sopportatemi!
Così sia.

Il corpo di Gesù Cristo, nostro Signore, custodisca l'anima mia per la vita eterna. Così sia.

3. Avanti l'estrema Unzione.

Mio divin Salvatore! Fate, che ora il santo Sacramento dell' estrema Unzione, dall' infinita vostra misericordia per sostegno dei vostri fedeli infermi con tanto amore istituito, mi conforti in queste mie angustie. Io credo fermamente, che questo sacramento è per alleviarmi negli affanni della malattia, per corroborarmi contro le tentazioni, e per condonarmi i peccati, dei quali sono forse ancora, senza mia saputa colpevole verso di Voi, poichè il vostro S. Apostolo (Jac. V. 14.) dice: „C'è un infermo tra di voi? Chiami i Sacerdoti della Chiesa, affinchè questi facciano orazione sopra di lui e lo ungano nel nome del Signore; e l'orazione in unione colla fede salverà l'infermo, e il Signore lo allevierà, e se ha de' peccati da scontare, questi gli saranno rimessi.“ Io credo pure, che questo sacramento mi ridonerà la sanità del corpo, qualora essa secondo la vostra disposizione sia giovevole per la mia salute eterna. Io Vi ringrazio, o Dio mio, di aver istituito questo mezzo della grazia anche per me, misero infermo, e perciò desidero vivamente di riceverlo, onde essere affatto prosciolto e purgato da tutti i peccati,

che pei sensi interni od esterni, avrò mai commessi. Riempite il mio cuore vieppiù di odio ed aborrimento contra ogni trasgressione della vostra legge, di uno sviscerato amore verso di Voi, e di una perfetta rassegnazione nella vostra santissima volontà, affinchè io riceva questa santa unzione in una maniera veramente degna e proficua per la mia salute. Così sia.

Mio Dio, fatemi la grazia di communicarmi insieme con questa santa unzione tutti gli effetti graziosi della medesima, onde restino perfettamente sanate le piaghe dell' anima mia. Ah! Quante volte, mio Dio, ho io abusato dei miei sensi per offendervi! In vece di adoperare i membri del mio corpo al servizio vostro, ne ho fatto istrumenti per peccare. Il mio corpo nel santo battesimo era divenuto il tempio dello Spirito santo, ed io l'ho tante volte profanato! Misericordia, Signore, misericordia, perdono e clemenza! — Detesto tutti i miei peccati, me ne dolgo e me ne pento, perchè con essi ho tante volte offeso Voi, il sommo mio Bene, che tanto merita, di essere amato infinitamente e sopra tutto. Propongo adesso, di non offendervi mai più; perdonatemi, Signore, pei meriti infiniti del preziosissimo sangue e della crocifissione del vostro Figlio e mio divin redentore; e donatemi la beatitudine celeste.

Amabilissimo mio Gesù crocifisso! — Io bacio con gran tenerezza di cuore le sacre piaghe, che Voi per amor di me e della mia salute avete voluto ricevere. Mio caro Gesù, per quell' amore infinito, che Vi indusse a morir crocifisso, usatemi misericordia, perdonatemi i miei peccati, fatemi parte delle grazie di questo sacramento, e se Vi piace di chiamarmi a Voi, ricevetemi nel paradiso, per colà lodarvi e glorificarvi in unione cogli angeli per tutta l'eternità. Così sia.

4. Dopo l'Estrema Unzione.

Vi ringrazio di cuore, mio divin Salvatore, pel conforto del sacramento della santa unzione. Io spero che ora i miei peccati tutti saran perdonati e che, se nella mia penitenza e confessione commisi dei difetti, la grazia di questo s. sacramento li avrà compensati. Perciò voglio cacciare adesso tutti i miei timori, e gettarmi pienamente nelle braccia della vostra misericordia. Spero inoltre, che Voi mi ridonerete benignamente la sanità del corpo, qualora questa sia conducevole per la mia salute eterna; e se no, io mi rallegro con tutto il cuore di poter presto entrare nella pace eterna, giacchè un sol giorno con Voi in Paradiso, mio dolcissimo Gesù, vale più di mille anni quì in terra. Fate, che io non perda mai più la grazia dei vostri santi sacramenti. Così sia.

II. Preghiere pei moribondi.

Io credo in Voi, mio Dio, e credo fermamente tutto ciò, che avete rivelato, e per la vostra santa Chiesa cattolica ci proponete a credere, perchè Voi, verità infallibile, lo avete detto. Credo, che Voi siete un solo Dio in tre persone divine, uguali e distinte, Padre, Figliuolo e Spirito Santo; che il Figliuolo si fece uomo, per opera dello Spirito Santo prendendo carne ed anima umana nel ventre della purissima Vergine Maria, morì per noi in croce, resuscitò, salì al cielo, e di là ha da venire a giudicare tutti i vivi ed i morti per dare per sempre ai buoni il cielo, ai cattivi l'inferno. In questa santa fede voglio vivere e morire. — Io spero in Voi, perchè siete infinitamente buono, misericordioso e fedele. Io spero e confido in Voi, mio dolcissimo Gesù! perchè Voi, per potermi condonare i miei peccati, avete dovuto soffrire strazî inauditi e morire in croce. Io spero e desidero

vivamente di possedervi un dì lassù nel cielo, Voi che siete il mio sommo ed unico Bene; come pure confido fermamente di ottenere da Voi la grazia necessaria per vincere tutti i nemici della mia salute e perseverare nel vostro santo amore. — Io Vi amo, perchè Voi siete il sommo Bene. Deh! Vi avessi amato tutti i giorni della mia vita! Mi duole il cuore, di aver coi miei peccati offeso il mio amabilissimo Iddio. Non mi discacciate dalla vostra presenza, Signor mio: mi pento di tutto cuore di essere stato così ingrato verso di Voi. Detesto tutti i miei peccati, e con un cuore umile e contrito imploro la vostra pietà e misericordia.

Padre mio! se sia possibile, passi da me questo calice; però non la mia volontà si faccia, ma bensì la vostra. Come piace al Signore, così succeda; il Nome del Signore sia benedetto!

Gesù, mio divin Redentore! Fra poco devo comparire al vostro tribunale — siatemi salvatore, o Gesù mio; abbiate pietà di me e condonatemi tutti i miei peccati. Gesù, a Voi vivo! Gesù, a Voi muojo! Gesù, di Voi sono vivo e morto! Gesù! Io muojo volontieri, perchè Voi per amor mio avete voluto morire fra i più atroci tormenti — muojo volontieri per espiare, per quanto è possibile, i miei innumerevoli peccati. Mio Gesù, misericordia o Dio mio, abbiate pietà di me in riguardo di Gesù Vostro Figlio diletto! Mio Gesù, io muojo colla più ferma confidenza nei vostri meriti infiniti Gesù! abbiate pietà di me, misero peccatore! — Gesù! nelle vostre mani raccomando l'anima mia

Santa Maria, Madre di Dio! Mostrate adesso che siete veramente la mia Madre. Pregate Gesù vostro figlio, che abbia pietà di me. O clemente o pia, o dolce Vergine Maria! soccorretemi e intercedete per me adesso e nell' ora di mia m[illegible]

San Giuseppe! pregate per me. Santo Angelo Custode, mio santo Patrono, Angeli e Santi tutti di Dio, intercedete per me, affinchè io muoja santamente in pace.

Gesù! nelle vostre mani raccomando l'anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia!

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell' ultima mia agonia!

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con voi l'anima mia.

Preghiere dei circonstanti pei moribondi.

1. Ricordatevi, o clementissimo Gesù, di quella gran tristezza e di quelle terribili angoscie, che soffrì la vostra anima santissima, quando sul monte Oliveto, prostrato in terra, supplicaste il vostro Padre celeste, di voler allontanare da Voi, se fosse possibile, quell' amarissimo calice della passione. Ricordatevi di quella spaventosa agonia e del sudore di sangue, che allora scorreva da tutti i vostri membri, e venite in ajuto al nostro fratello infermo (nostra sorella inferma) che ora si trova con Voi sull' Oliveto e pena in agonia. O piètoso Gesù! confortatelo (la). Per la virtù salutifera dell' agonia vostra, risparmiategli quel calice amaro, e inviategli un' Angelo dal cielo, che lo (la) consoli in questa sua estrema necessità, nel modo che Voi, o Gesù, avete voluto esser confortato da un Angelo. Non lo (la) abbandonate in quest' ultimo conflitto, ma ricreatelo (la) pietosamente col calice della salute eterna. Così sia. Pater noster e Ave Maria.

2. Ricordatevi, o amantissimo Redentor nostro vostro intenso amore verso di noi, amore che diede nelle mani degli empî vostri nemici, i

quali Vi strascinarono dinnanzo a giudici iniqui, Vi accusarono falsamente, Vi maltrattarono, Vi sputarono in faccia, Vi percossero, e condannarono finalmente come bestemmiatore! — Per questa vostra carità immensa, o Gesù, abbiate pietà del nostro povero fratello (della nostra povera sorella) sciogliete i vincoli dei suoi peccati, ordinate ai santi Angeli vostri di condurlo (la) salvo al vostro tribunale affinchè i suoi nemici non prevalgano contro di lui (lei); per l'iniqua sentenza, che per amor suo avete voluto Voi stesso subire, pronunziate sopra di lui (lei) una sentenza benigna. In Voi aveva egli (ella) posto tutta la sua confidenza quando viveva; orsù! ricevetelo (la) adesso negli eterni tabernacoli, acciocchè per lui (lei) il vostro preziosissimo sangue non sia stato sparso inutilmente. Così sia. Pater noster e Ave Maria.

3. Ricordatevi, o pietoso Gesù dell' ignominia e degli strazî indicibili che soffriste, allorchè quegli empî, dopo aver denudato il vostro corpo virginale, lo flagellarono sì crudelmente, che da capo a piedi non era che una piaga e, come ciò non saziasse ancora la loro furia, cruciarono il vostro capo benedetto con un' orribile corona di spine e Vi vestirono per ischerno di uno straccio di porpora. O Redentor nostro! santo sposo delle anime nostre, che guadagnaste col vostro sangue, per questi ineffabili tormenti, raddolcite in quest' ora i dolori del nostro fratello moribondo e fortificatelo, acciocchè a vostro esempio ei li sopporti tutti con perfetta rassegnazione e pazienza. Purificate l'anima sua nel sangue che versaste alla vostra flagellazione e coronazione; vestitelo colla porpora dell' eterna gloria ed accordategli pietosamente la corona dell' immortalità. Così sia. Pater noster e Ave Maria.

4. Ricordatevi, e dolcissimo Gesù, di quell' ul-

timo ed amaro cammino, che con quella pesante croce sulle spalle faceste dal tribunal di Pilato al monte Calvario, tutto piagato, spossato ed esausto! O Salvatore pietoso, eccovi il nostro fratello moribondo, che anche lui si trova a quest' ora incamminato per una via molto amara ed in procinto di salir un monte assai alto! Voi, o Gesù per aumento di sua gloria eterna, gli avete imposto questa croce, che gli pesa molto e lo fa spasimare d'angoscia, fin che sia giunto al termine dei suoi patimenti ed abbia rimesso la sua anima nelle vostre benedette mani! o dolcissimo Gesù, guardatelo con occhi propizî ed alleggeritegli il peso di sua croce, acciocchè non soccomba! confortatelo colla virtù dello Spirito santo, perchè segua animosamente le vostre traccie sanguinose insino alla cima del monte, sopportando pazientemente tutti i dolori e ribattendo fortemente tutti gli assalti nemici, e così pervenga vincitore sino a Voi ed al ceto dei vostri eletti. Così sia. Pater noster e Ave Maria.

5. Ricordatevi, o clementissimo Gesù, degli strazì atroci che vi penetrarono fino alle ossa, quando i manigoldi barbaramente distesero le vostre sante membra, ed inchiodarono le vostre mani e i piedi benedetti sul legno della croce! quando immerso in angoscia orribile rimaneste per tre ore intiere in croce, sospeso tra cielo e terra, tra un Dio irritato ed il genere umano condannato, quando pei peccati del mondo Vi sacrificaste al vostro Padre celeste, fra tormenti sì atroci che cielo e terra ne mostrarono terrore e compassione! Per questi dolori che soffriste volgete ora uno sguardo pietoso al nostro fratello moribondo; offerite Voi la vostra santa passione per lui, giacchè egli stesso non è più in istado d'implorare la vostra misericordia, e gli occhi suoi sono di già offuscati dalle

tenebre della morte! — O Gesù, luce del mondo, sole di giustizia, illuminate e consolate la sua anima coi raggi della vostra grazia e guidatela a quel fonte di luce eterna, onde possa vedere e lodare eternamente Voi il suo Dio e Redentore, in unione col Padre e collo Spirito santo. Così sia. Pater noster e Ave Maria.

6. Ricordatevi, o santo ed amabile Salvator nostro, di quelle sette parole, che dall' alto della croce pronunziaste a conforto dei vivi e dei moribondi, e perdonate adesso a questo nostro fratello moribondo, come perdonaste un giorno ai vostri manigoldi! Fate udire anche a lui quelle consolantissime parole: „Ancor oggi sarai meco in paradiso". Fate che l'intercessione della vostra madre purissima, che tanto venerò in vita, gli approfitti; confortatelo ora nel suo abbandono, poichè in Voi egli ha posto tutta la sua confidenza, e ristoratelo colle acque della vita eterna, che tanto brama. Fate che questi, per cui avete tanto patito, termini il corso di sua vita mortale nel possesso della vostra grazia e esaudite l'umile nostra supplica con cui raccomandiamo l'anima sua nelle vostre mani pietose. Abbiate pietà di lui e ricevetelo benignamente, affinchè egli possa in eterno magnificare con giubilo la vostra grande misericordia. Così sia. Pater noster e Ave Maria.

7. Ricordatevi, o forte consumatore di nostra salute, della santa morte, che subiste o con la quale avete domata la nostra propria morte e ci avete rigenerati per la vita eterna! Pei dolori che sentì la vostra santissima anima, quando si separò dal corpo, per l'inclinazion del vostro capo divino per cui Voi ci invitaste al bacio di pace, e per l'apertura del vostro santo costato, donde sgorgò il prezzo della nostra Redenzione, che fu nell' istesso tempo il bagno salutare dei nostri peccati,

Vi scongiuriamo di assistere il nostro fratello moribondo, quando la sua anima si separerà dal corpo; dategli il bacio di pace, e fatelo entrare, perfettamente purgato e riconcigliato, nella vita eterna, che con la vostra morte gli avete procurato, acciocchè là in unione con quegli spiriti beati e tutti i cittadini della celeste Gerusalemme, possa lodare, magnificare e glorificare per tutta l'eternità il vostro immenso amore. Così sia. Pater noster e Ave Maria.

Tre altre preghiere pei moribondi.

1. Dio eterno ed onnipotente, Voi che soccorrete col vostro divino ajuto tutti colore che si ritrovano in tribolazioni ed angustie, esaudite l'umile nostra supplica e inviate al nostro moribondo un Angelo dal cielo, che lo assista in questa sua estrema necessità, lo conforti nell' agonia, lo guidi davanti al vostro cospetto divino e lo introduca nei gaudî eterni. Per Cristo N. S. Così sia.

2. Mirate, o benignissimo nostro Creatore, con occhi pietosi il nostro fratello moribondo, che adesso sta per pagare alla vostra divina giustizia il debito da Adamo in lui trasmesso, refrigerate l'anima che creaste, acciocchè purgata, mediante questa pena temporale di tutti i suoi peccati, possa entrare senz' altro nella gloria eterna. Per Cristo N. S. Così sia.

3. Dio di misericordia, amante delle anime nostre, che per correggerle le solete castigare con pene temporali, Vi preghiamo istantemente, prestate all' anima del vostro servo (serva) che sta lottando colla morte, il vostro paterno ajuto e conforto divino, affinchè nel suo transito, tutta bella e senza macchia, venga condotta dai santi Angeli, a Voi, suo Creatore. Per Cristo N. S. Così sia.

Quando si dà al moribondo il crocifisso.

Fratello in Cristo carissimo! Mirate quì l'imagine del vostro Salvatore crocifisso, che per l'immenso amore che ci porta, ha voluto morir in croce della morte più ignominiosa e dolorosa, che ci sia. Mirate: il capo è coronato di spine, perchè Egli ci vuol dar la corona dell' eterna gloria. Egli inclina il suo santo capo, come per darci e ricevere il bacio di pace. La sua fronte scorre goccie di sangue per lavarci dai nostri peccati. Le sue braccia si aprono per darci l'amplesso il più amorevole. Il suo santo costato è aperto, affinchè noi tutti troviamo nel suo cuor divino un sicuro ricovero. Orsù, riponete tutta la vostra fiducia in questo amantissimo e benignissimo vostro redentore e ditegli: Gesù mio, siatemi propizio! Gesù, abbiate pietà di me! Gesù, perdonatemi i miei peccati! Gesù, nelle vostre mani raccomando l'anima mia! — Gesù, in Voi ho sperato e spero fermamente; non permettete, che io resti confuso.

Quando si dà al moribondo la candela accesa.

Fratello carissimo! La luce del mondo, Gesù Cristo, si compiaccia d'illuminare gli occhi dell' anima vostra, perchè non dormiate il sonno della morte eterna. Parti di quì, o anima cristiana, va incontro al tuo amantissimo sposo, e porta in mano il cero acceso! Colui che dalle tenebre dell' abisso vi ha chiamato all' ammirabile sua luce, non permetta che l'anima vostra incappi nelle tenebre esteriori, ma piuttosto la scorti dalle tenebre della morte al fonte della luce eterna. Il lume della santa fede ed il fuoco sacro dell' amore non venga meno nel vostro cuore all' ora del vostro transito, ma bensì arda più vivo. O voi, santi Angeli della

luce, allontanate di quì gli spiriti infernali tutti, acciò non venga a spegnersi nel cuor di questo nostro fratello, per la loro astuzia o violenza, il sacro lume della fede, della speranza e della carità.

Sulla tomba — (in vece dell' orazione funebre).

O Dio, Creatore e Redentore di tutti i fedeli, esaudite la supplichevole nostra preghiera, e per l'infinita vostra carità e misericordia perdonate al vostro servo (a) or ora trapassato, tutti i suoi falli e misfatti, con cui ha provocato la vostra divina giustizia e i vostri castighi nell' altro mondo. Fate, che al vostro divin tribunale egli trovi pietà e misericordia ed acquisti pei meriti infiniti di Gesù Cristo, la pace e beatitudine eterna. Così sia.

Gran Dio onnipotente! Giudice dei vivi e dei morti! Al cui cospetto abbiamo un giorno da comparir tutti per render conto delle opere nostre, commovete d'innanzi alla tomba il nostro cuore e richiamateci alla memoria la nostra propria caducità, onde camminiamo di continuo nel vostro santo timore e sulla via dei vostri commandamenti e così dopo questa vita possiamo sperare un giudizio benigno insieme coll' eterna felicità. Così sia.

Professione di fede Tridentina.

Io. N. credo con ferma fede tutto ciò che contiene il simbolo di fede, di cui si serve la santa Chiesa Romana, cioè:

„Io credo in Dio Padre onnipotente, fattore del cielo e della terra, di tutte le cose visibili ed invisibili, ed in un Signore Gesù Cristo, unigenito Figlio di Dio, nato dal Padre avanti tutti i secoli, Dio di Dio, lume di lume, Dio vero di Dio vero,

generato, non fatto, consostanziale col Padre, da cui son fatte tutte le cose; il quale per noi uomini e per la nostra salute discese dal cielo, ed incarnato per opera dello Spirito santo in Maria Vergine, si è fatto uomo; che fu pur crocifisso per noi, sotto Ponzio Pilato patì, e fu sepolto, e risuscitò il terzo dì secondo la Scrittura, e salì al cielo, siede alla destra del Padre, e di là ha da venire di nuovo con gloria a giudicare e vivi ed i morti, il di cui regno non avrà fine; e nello Spirito santo, Signore e vivificante, che procede dal Padre e dal Figlio; che unitamente col Padre e Figlio si adora e si glorifica; che parlò per bocca dei profeti; ed in una santa Chiesa cattolica ed apostolica. Confesso un solo battesimo per la remissione dei peccati, ed aspetto la risurrezione dei morti e la vita del secolo futuro. Così sia.“


Io ammetto ed abbraccio fermamente le tradizioni apostoliche ed ecclesiastiche, come pure le altre osservazioni e costituzioni della Chiesa.

Ammetto similmente la sacra Scrittura secondo quel senso, che tenne e tiene la santa Madre Chiesa, a cui appartiene il giudicare del vero senso ed interpretazione delle sacre Scritture, e non la accetterò nè interpreterò mai, se non dietro il consenso unanime dei Padri. — Io professo del pari, essere veramente e propriamente sette i sacramenti della nuova legge, istituiti da Gesù Cristo nostro Signore per la salute del genere umano, benchè non tutti a tutti necessari, cioè: Il battesimo, la confermazione, l'Eucaristia, la penitenza, l'estrema unzione, l'ordine sacro ed il matrimonio; che questi sacramenti conferiscono la grazia e che tre di essi: il battesimo, la confermazione e l'ordine, non si possono reiterare senza sacrilegio. Ricevo ed ammetto i riti accettati ed approvati della Chiesa cattolica, che si usano nella solenne

amministrazione dei suddetti sacramenti. — Abbraccio e ricevo indistintamente tutto ciò che dal SS. Concilio di Trento è stato definito e dichiarato circa il peccato originale e la giustificazione. Professo parimente, che nella s. Messa si offre a Dio un sacrificio vero, proprio e propiziatorio pei vivi e pei morti, e che nel santissimo Sacramento dell' Eucaristia c'è veramente, realmente e sostanzialmente il corpo ed il sangue insieme, coll' anima e la divinità di Nostro Signor Gesù Cristo e che ivi si fa la conversione di tutta la sostanza del pane nel Corpo e di tutta la sostanza del vino nel Sangue, la qual conversione vien dalla Chiesa cattolica chiamata: Transustanziazione; come pure confesso, che sotto una specie sola, si riceve Cristo, tutto ed intiero, ed un vero sacramento. Tengo costantemente per certo, che c'è un purgatorio e che le anime ivi detenute vengono ajutate dai suffragi dei fedeli; e similmente, che i Santi che regnano con Cristo, si han da riverire ed invocare, che essi offeriscono per noi orazioni a Dio, e che si han pure da venerare le loro reliquie. Asserisco fermamente, che le imagini di Cristo e della Madre di Dio sempre Vergine, si possono possedere e ritenere, come pur quelle degli altri Santi, e che ad esse si deve rendere il debito onore e la dovuta venerazione. — Confesso pure, che Cristo lasciò alla Chiesa la podestà delle Indulgenze, ed affermo, essere l'uso delle medesime molto salutare al popolo cristiano. Riconosco essere la santa Chiesa romana, cattolica ed apostolica, la madre e maestra di tutte le chiese; perciò prometto e giuro al Pontefice romano, successore del beato Pietro, Principe degli Apostoli e Vicario di Gesù Cristo, un' obbedienza verace. — Ricevo e professo del pari indubitatamente tutto ciò che fu dai sacri canoni e dai Conciglî ecume-

nici, specialmente dal SS. Conciglio Tridentino e dal Conciglio ecumenico Vaticano definito e dichiarato, specialmente riguardo al primato ed al magisterio infallibile del Romano Pontefice, e al tempo stesso danno, rigetto ed anatematizzo tutto ciò che vi ha di contrario e le eresie, qualunque sieno, dalla Chiesa dannate, rigettate ed anatematizzate.

Con ciò io N. prometto, voto e giuro, di ritenere e confessare, coll' ajuto di Dio sino all' ultimo alito costantissimamente, questa vera cattolica fede, fuori della quale nessuno può salvarsi e che presentemente io professo e tengo veracemente; e di più procurare, per quanto sta in me, che questa medesima fede sia tenuta, insegnata ed annunziata dai miei sudditi ossia da quelli, la cui cura, in virtù del mio ufficio, a me spetta. Così Dio m'ajuti e questo suo santo Evangelio!


BOSTON COLLEGE
3 9031 01324365 4